G
VII
80
r.e 26

Alexandri Pollini.

dono Hieronymi Aleandri.

GEORGII RAGVSEII VENETI

THEOLOGI, MEDICI, ET PATAVINÆ SCHOLÆ Philoſophi Ordinarij

EPISTOLARVM MATHEMATICARVM

SEV

DE DIVINATIONE, LIBRI DVO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quibus non ſolùm Diuinatrix Aſtrologia , verùm etiam Chiromantia, Phyſiognomia, Geomantia, Nomantia, Cabala, Magia, cæteræque huius generis ſuperſtitioſæ diſciplinæ tanquam inanes exploduntur , & naturalibus rationibus à fundamentis penitus euertuntur.

His acceſsit eiuſdem Autoris Diſputatio de Puero, & Puella, qui ſuperioribus annis Patauij , occaſione magni cuiuſdam incendij , è ruinis extracti , atque ad D. Antonij Confeſſoris altare delati , reuixiſſe putantur.

PARISIIS,
Sumptibus NICOLAI BVON, viâ Iacobæâ, ſub ſignis ſancti Claudij, & Hominis Sylueſtris.
M. DC. XXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRISSIMO

AC REVERENDISSIMO

D. D. SCIPIONI

CARDIN. TIT.

S. SVSANNÆ, S. R. E.

BIBLIOTHECARIO.

VIR ILLVSTRISSIME,

Peruenit nuper in manus Pauli Gualdi V. C. beneficio libellus Georgij Raguſeij viri bene litterati, quem ille aduerſum iſtos qui ſeſe Chaldæos, ſeu Genethliacos appellant, vulgus autem Mathematicos dicit, vel

diligentiſſimè conſcripſit. Equidem hunc cumprimum in manus cepi, auidè legi totum, cùm ipſius rei argumento, quod ſatis quidem blandum erat, tum ſcriptoris, quæ non modica eſt apud nos auctoritate permotus. Cùm ita curſim tranſiuiſſem, non conquieuit animus, cui voluptati magis fuerat eiuſmodi lectio, quã cultui. Itaque penſim & enucleatè denuò legens, eum à ſaliua, quam ſemel imbiberam, haud diſcrepare comperi ad ſummam ita ſcitè, ſubtiliterque mihi videtur aduerſum iſtorum Chaldæorum, aliorumque id genus æruſcatorum præſtigias & offucias diſſerere, eorumque diſciplinam expugnare, vt qui ante prodiere ſuper hac re ipſa libri, non incurioſe quidem facti dici poſſint, hic autem cæteris omnibus longè non ſolùm antiſtet, ſed etiam inter omnes micet

---- velut inter ignes, luna minores.

In eandem ſententiam iuerunt non pau-

ci homines impensè docti, quibus legen-
dum dedi, qui me etiam enixiùs rogarunt
vt modeſtiſſimi & vndecunque doctiſſi-
mi viri libellum domeſticis parietibus nõ
cohiberem, ſed eum quamprimùm pu-
blica luce donarem, atque ſinerem in eru-
ditorum manus peruenire, vnde certiſſi-
ma ſpes eſſet doctiores illos atque cultiores
euaſuros ijs omnibus quos vel ipſe Mer-
curius, quem Aſtrologorum filij τῆς
γλώττης κύριον appellãt, proſpera radia- Anonym.
tione reſpexerit. Edẽdi conſiliũ & Gual- εἰς τετράβ. Πτολεμ. 3.
dꝰ probauit, & vt inſcriberẽ Tibi, vir Il-
luſtriſſime, auctor fuit, quo mihi profectò
neque gratiùs quicquã, neque optatius po-
tuit contingere; idque meritò Magna qui-
dem eſt dignitas tua, ſed eruditio ſumma:
& vel te videre erudiri eſt. Illa tibi cum
pleriſque communis eſt, doctrina prope
ſingularis. Tu litteras ad exemplum vſ-
que colis: te omnes litterati. Tu culto-
res tuos redamas, & humaniter foues:

Non n. clam te eſt hos plerumque humi repere, niſi vt vitis per vlmum, per potentiores ſerpant. In te virtutes omnes elucent, & te colere nihil aliud eſt, quàm virtutes ipſas colere; Namq; tu es κόσμος
Author ap. Suidam. *ἀρετῆς ἁπάσης, ἢ τόγε ἁρμονικώτερον εἰπεῖν, ἀρετή τις ἔμψυχος. Itaque nemo nō probabit meũ & Gualdi conſiliũ, qui præſtanti cùm dignitate, tùm eruditione viro libellum hunc dicaturi, eum elegimus, in quẽ totus orbis litteratus, velut in lumen altâ nocte ſubortum, oculos conijcit, cuius nomen, præter huiuſce auctorem libelli me etiã, ſi mihi tantũ arrogare licet, velut in conſortiũ famæ viteque adſciri valeret; id certè viri eruditiſſimi Raguſei gloriæ accedet; quod tibi liber eius inſcriptus à bono nomine videatur incipere: me verò librum edentem fortaſſe laus aliqua ſequetur, referentque gratias ſi non ipſa Chaldæorum & diuinorum imperita atq; incondita natio, ipſi ſaltem veri rectique*

vindices & propugnatores. Lutetiæ Pa-riſiorum x. *Kal. Mart.* CIↃ.IↃC. XXIII.

Illuſtriſſimę & Reuerendiſſ. Dignitati veſtræ

Deuotiſſimus

CAROLVS HANNIBAL FABROTVS.

LECTORI.

AMICE Lector, libellus iſte quem vulgamus, non modò lucem nō vidiſſet, ſed etiam fortaſſe periiſſet, quæ eius auctoris eſtmodeſtia niſi me furti genere quodā obligaſſē; eſt enim furto proximum, inuito Domino, quod tu priuatim vtendū acceperis, edere, publicareque. Verùm illa potior apud me ratio eſſe debuit quà ita publicæ vtilitati ſummoperè conſultum videbatur: cuius equidem reſpectu paſſus ſum hanc editionem habere nonnihil ex iniquo, atque eius rei nomine cùm ab auctore veniam petiero, ſiueritque ſe exorati, à te quoque, benigne Lector, mihi erit expetenda, quod ruptum ac lacerum librum exhibeam qui prodire debuit integer & incorruptus. Scimus enim cùm ex eius opuſculi lectione, tùm ex virorum doctiſſimorum relatione, id quod edimus longe maioris operis fragmentum eſſe. Verùm enitar quantum potero vt ne diu patiaris id damnum quod feci, & vt ſine vulnere quandoque liber exeat allaborabo. Interim his fruere, quibus nos, cùm de Chaldæis ibi cæteriſque diuinis agatur titulum ex ipſa re indidimus DE DIVINATIONE.

GEORGII RAGVSEII VENETI
EPISTOLARVM MATHEMATICARVM, SEV *DE DIVINATIONE.*
LIBER PRIMVS.

Albertino Bariſono, Canonico Patauino. EPISTOLA I.

Habeant-ne cæleſtia corpora, præter motum, & lucem, qualitates occultas, quas Influentias appellant?

QVOD etiam cogites Aſtrologiam deguſtare, Philoſophiâ & legitimâ ſcientiâ apprimè inſtitutus, argumentũ eſt præſtantis fœcundíque animi tui, diſci-

plinarum omnium prope auidi, capacíſque. Conſilium approbo, cùm tu præſertim Romæ ſis, vbi quidem Aſtrologorum abunde eſt. Illud autem quod ad me ſcripſiſti, te ab eo ſtudio aliquantulum dehortari, maximi certè momenti eſt, nec à nobis ſilentio prætereundum. Quid enim, quæſo, prodeſſet Aſtrologia, nimirum ea, quæ de iudiciis aſtrorum eſt, quamque præcipuè cupis addiſcere, ſi pręter lucem, & motum, aſtra nullam vim ac potentiam occultam haberet? Philoſophi quidem & Aſtrologi hac in re ſunt varij, atque inter ſe diſcordes. Statuunt nonnulli, ſolam lucem, motu circumuectam ad rerum omnium generationem ſufficere, quæ cæleſtibus corporibus adſcribuntur: occultas verò eorumdē corporum qualitates ita derident, vt eas delirantium ſomnia paſſim appellent. Contendunt alii, vires aſtro-

rum abditas eſſe huic inferiori mundo perneceſſarias, adeò vt ſi tollantur è medio, rerum omnis generatio peritura ſit. Addidêre quidam non ſolùm ad vniuerſalem procreationẽ, cæleſtium corporum afflatus deſiderari, verumetiam peculiares quoſdam effectus, qui aut caſu fieri, aut interdum à libera hominis voluntate proficiſci creduntur, ab eiſdem vſquequaque pendêre. Aperiam in tanta diuerſitate ſententiam meam, vt ſcire poſſis, quantum tibi diuinatrix Aſtrologia profutura ſit. Abditas cæleſtium corporum vires, præter motum, & lucem, ita neceſſarias eſſe cenſeo, vt ſine illis mundus conſiſtere nulla ratione queat: eas tamẽ arbitror ad res tantummodò vniuerſales, non etiam ſingulares pertinere; eáſque præcipuè, quæ liberam hominis voluntatem reſpiciunt. Audire mihi videor te confeſtim obiiciẽ-

Opinio Ptol. lib. 1. Quadrip. cap. 2.

tem, alienum eſſe à Philoſopho, illud ſtatuere, quod neque vlla ratio ſuadeat, non grauis alicuius autoris teſtimonium confirmet, neque ſenſus, experientiáve comprobent: huiuſmodi autem eſſe id, quo de nunc diſſeritur. Cùm enim cæleſtia corpora nobiliſſima ſint, paucioribus certè inſtrumentis ad agendum vtuntur; eapropter ſolo calore, qui partus eſt lucis, & opifex vniuerſalis naturæ; quíque eminentiâ ſuâ quatuor principes qualitates continet, ea omnia poſſunt efficere ac generare quæ in his inferioribus conſpiciuntur. Nãque poteſt lux, velut inſtrumentum vnius ſideris, calorẽ; velut autem alterius inſtrumentum, aut frigus, aut alias qualitates progignere. Poteſt etiam Sol abſentiâ ſuâ, & radiis obliquis frigus inducere. Luna item, lumine aucta, ob debilem, nec diſſoluentem calorem, humorem elicere,

aliíque planetæ, pro varia ad Solem ratione, alias item poſſunt qualitates producere. Vnica ergo lux inferiora hæc corpora afficit: motus verò planetas adducit, & abducit, vt dierum, & noctium caloris, & frigoris, cæterarumque qualitatum ſit viciſſitudo. Id quod Philoſophis multis, ſed præſertim Ariſtoteli Peripateticorũ principi exploratiſſimum fuit: qui nuſquam docuit cæleſtia corpora, præter motũ, & lucem, agendi aliud inſtrumentum habere: nec herculè aliquid eſt, quod aduerſari magis Peripateticis videatur, quàm abditæ iſtæ ſiderum & aſtrorum potentiæ. In eadem nihilominus perſiſto ſententia, & conſtanter affirmo, præter lucem, & motum, omninò concedendas eſſe aſtrorum qualitates occultas, quibus in elementari regione varios, & illos quidem admirabiles effectus progignũt. Amabò te, quo-

nam pacto lux, aut cæli motus ad intima terræ viſcera peruenire poteſt, vbi aurum, argentum, cæteraque metalla procreantur? Terra ſuâpte naturâ frigida eſt, & propterea eò non permanat calor in eius ſuperficie genitus, quoniam illi proprium frigus obſiſtit: an num æſtiuis ardoribus interiora terrarum maximè frigent? At inquiunt, quemadmodum ignis calor trans parietem ſentiri poteſt, nec tamen flamma videri; ita nihil prohibet, quominus calor à luce diffuſus, intra montium cauernas recipiatur, quò tamen lux ipſa non peruenit. Ingenioſè id quidem, fateor, verùm hæc ſimilitudo per omnia non procedit: calor enim ignis calefacit per contactum partis poſt partem; ideóque mirum non eſt ſi trans parietem abſque flamma ſentiatur: Lux verò non niſi aëris attenuatione calefacit; & propterea in

cauernis montium cùm nulla ſit lux, nulla pariter erit aëris attenuatio, atque adeò nec calor. Præтereà, quonã motu, aut lumine agitatur continuè Oceanus, cùm ſæpe fluat & refluat, Lunâ non apparente, nec vllam ad ipſum lucem effundente? Acus etiã magnete illitus, nonne vel in denſa caligine trahitur à Polo Septentrionali? Heliotropium nonne occultâ Solis virtute fouetur, cùm ad eius nutum moueatur? Herbæ, gemmæ, & lapilli multi quot habent in ſe vires, quarum cauſas dum Philoſophi veſtigare nituntur, in abditiſſimos naturæ ſecretioris receſſus ſeſe recipiunt, eáſque tandem ſympathiæ & antipathiæ tribuere coguntur. Cur Canicula oriens æſtum gignit immenſum, maria turbat, canes in rabiem agit? Cur Orion nimbos efficit, Hyades pluuias, Arcturus tempeſtates? Cur ſilens Luna, quo tem-

pore parum, aut nihil habet lucis, inferiora hæc corpora vehementiùs mouet, maioréſque Oceani aſſultus, & vndarum reciprocationes excitat? Cur in magnis planetarum coniunctionibus modò venti excitantur ingentes, modò imbres magni, modò frigus immenſum? Hęc certè non acciderēt, niſi planetę, aſtraque omnia, præter lucem, & motum, abditam aliquam agendi facultatem haberent. Non igitur vt tu fortaſsè dicis, contra ſenſum, experientiam, aut rationem, non etiam contra Philoſophiam, eiuſmodi occultæ qualitates ſtatuuntur. Quinimmò proterui & peruicacis hominis eſt, effectus illos inuitâ naturâ, manifeſtis qualitatib⁹ adſcribere, quos edere minimè poſſunt, quíque cauſam longè excellentiorem exigunt. Num vides quãta ſit in eorum animis effuſa caligo, quótque in abſurdas ſententias inci-

dant, qui à calore, frigore, aliíſque huiuſmodi qualitatibus rationem ſumere profitentur; cur magnes ferrum, & ſuccinum feſtucas alliciat, cur ſaphyrus anthracem fuget, cur remora nauim ſiſtat, & aliorum huius generis ſexcentorum? Ita planè acciditin re noſtra: aiunt enim cæleſtia corpora, quòd nobiliſſima ſint, paucioribus inſtrumentis ad agendum vti, atque adeò ſolo calore; quaſi animalia, quæ perfectiora ſunt plãtis, longè pluribus inſtrumentis non vtantur, quàm plantæ. Addunt, ſolo calore vti, qui partus eſt lucis. Ageret ergo tantummodò Sol, qui lucis eſt autor, quámque (vt multis placuit) cæteris aſtris impertitur. Aut ſi cum aliis contendant, habere aſtra ſingula lumen proprium; certum eſt, illud exiguum eſſe, modicâque calefaciendi vi pollere: ſiquidem, teſte Ariſtotele, ad calorem gignen-

Lib. 1. Meteor. cap. 4.

dum, vt motus vehemens, ita lumen ingens neceſſarium eſt; alioquin aëris attritio, & attenuatio nunquam fieret. Continere autem cæleſtem lucem virtute, & eminentiâ ſuâ quatuor principes qualitates, quas, vt diuerſorum aſtrorum inſtrumentũ poteſt effundere, fortaſſe eſt dictu, quàm probatu facilius. Continet quidem cælum virtute & eminentiâ ſuâ mundum hunc inferiorem, quē, vt inſtrumentum ſuperioris cauſæ continuè regit, ac gubernat; & proptereà habent aſtra ſuá quęque vim non ſolùm qualitates, verumetiam ſubſtantias gignendi. At verò lux quonam pacto frigus efficere poteſt? Abſentiâ, inquiunt, corporis lucidi, & radiis obliquis. Sed hoc eſt potiùs calorem aut nullum, aut modicum gignere, quàm frigus inducere. Eſt enim frigus per ſe vna ex principibus qualitatibus, non ſim-

plex caloris negatio; ideóque ſi quã-do à cæleſtibus corporibus emanat, præſertim à Saturno (vt Aſtrologi docent) non illud certè eſt luci, ſed occultis qualitatibus adſcribẽdum. Non defuerũt autem inter Sanctos Patres, & doctos viros, qui huiuſce-modi qualitates receperint: eas enim admiſerunt Dionyſius, Damaſce-nus, Auguſtinus, Bonauentura, Magnus Albertus, D. Thomas, Scotus, & alij complures, quorum teſtimo-nium vt præclariſſimum, ita grauiſſi-mum eſſe nemo vnquam negabit. At inquies, Ariſtoteles eas reproba-uit. Non ita facilè id admiſerim. Si dixeris, eas non ſtatuiſſe, concedam libenter: reprobaſſe autem, negabo. An ignoras modum eius philoſo-phandi, qui nihil docet, quod pro-bare non poſſit? Senſus effugiũt qua-litates iſtæ, occultæque ideò nuncu-pantur, & propterea mirum nõ eſt,

ſi de iis Ariſtoteles ne verbum quidem. Si permittes, me hac de re Platonicè philoſophari, poſtquā apud Peripateticos non eſt locus, ſcribam aliqua de influentibus hiſce virtutibus: quæ ſi non erunt demonſtratione munita, animos certè noſtros maximâ probabilitate percutient. Putásne, tot lumina, quæ in firmamento conſpiciuntur, præter ea quæ in ſuis quæque ſphæris infixa ſunt, ornatus tantùm gratiâ à ſummo rerum omnium conditore edita eſſe? Lucent illa quidem, & irrequieto ambitu circum terram voluuntur: Sed prętermotum, & lucem, quibus hęc inferiora corpora fouēt, aliud quippiam ab iis defluit, ſibi deſuper datū, quo res varias multis & admirandis proprietatib⁹ inſignitas progignūt. Adeſt quidem in terris, immò & in aquis, per omnia fuſus calor ille cæleſtis, partus lucis, beneficus & ſalu-

taris, ingenti cæli commutatione dilapſus, continuâque agitatione conſeruatus, cui nullum frigus, ſed ſola extinctio aduerſatur: tamen non eſt hic rerũ vniuerſalis opifex, ſed opificis inſtrumentum. Præparat hic materiam, & afficit, ſpeciem tamen non creat; ſed tanquam ſuperioris virtutis internuncius, materiam & formã affinitate coniungit. Contemplare, obſecro, tritici granum, aut plantæ cuiuſpiam ſemen, dum à terra, quaſi piâ, benignâque matre excipitur: Continet illud in ſeſe calorem cæleſtem, qui à terreſtri tepore exſuſcitatus, ſenſim afficit ſeminis corpus; ex eo tamen herbeſcentem viriditatem non elicit, nec plantam progignit. A quónam igitur (inquies) & anima plantæ, & corpus eius tot ramis diſtinctum, tot foliis veſtitum, tot fructibus ornatum originem ducit? Ab aſtris puto, quæ tunc non

motu, nec luce agunt, ſed influente virtute diuinitatem quandam redolente. Vt igitur tot ſunt in vniuerſo lapidum, gemmarum, metallorum, plantarum, & animalium diſtinctę ſpecies, ſuis quæque proprietatibus præditæ; ita ab diſtinctis ſideribus & aſtris diſtinctas virtutes habentibus, eas omnes procreari cenſendum eſt. Materiam ſuppeditant elementa, varia inter ſe temperatione compacta: formas efficiunt cæleſtia corpora diuinis influxibus, & quaſi radiorum iaculationibus illuſtrata. Hinc qualitates emergunt duplices, aliæ, quæ materiam; aliæ, quæ formam conſequuntur: has occultas, illas manifeſtas Philoſophorum ſcholæ paſſim appellant. Ceſſet nunc admiratio, cur rhabarbarum bilem expurget, agaricum pituitam, epithymum atram bilem? Cur pæonia comitialē morbum profliget, cur piſcatorum

manus contactu torpedinis obſtupeſcant, cur leonem gallinacei aſpectus, cantúſque terreat? Totius ſubſtantiæ proprietates hæc ipſa vocitāt nonnulli, alij ſympathias, & antipathias: loquamur nos paulò dilucidiùs, dicamúſque eſſe qualitates, in formis ipſis ab aſtrorum virtutibus impreſſas. Igitur præter motum, & lucem, habent quoque cæleſtia corpora qualitates occultas, quibus & rerum omnium ſpecies ſuis quaſque proprietatib9 inſignitas progignūt, & in elementis ipſis, atque potiſſimùm in aëre varias affectiones inducunt. Ex ortu enim diuerſorum ſiderum, ſtellarúmque fixarū, ex magnis planetarum coniunctionibus, atque ex variis eorumdem aſpectibus calores, frigora, aliáque id genus excitantur: quæ prudens atque peritus Aſtrologus interdum præuidere poteſt, rebúſque ad Medicinā,

Agriculturam, Nauigationem, quãdóque etiam ad Militiam pertinentibus aliquam vtilitatem afferre. Pertinent etiam cęlorum virtutes ad humanorum corporum conſtitutiones, itaut Aſtrologus eo tempore quo quis naſcitur, ex variis aſtrorum diſpoſitionibus, corporis eius bonam aut malam habitudinẽ, ac deinceps aliquam animi propenſionem, eam ipſam habitudinem quodammodo conſequentem prædicere poſſit. vt bilioſos idoneos futuros eſſe atque propenſos ad rem militarem, melancholicos ad diſciplinas, ſanguineos ad venerem, pituitoſos ad negotia peragenda. Eſſe verò aliquod aſtrũ, aut ſidus, quod in natali cuiuſque hominis die peculiarem virtutem influat, cui homo quilibet toto vitę ſuę curriculo ſubditus ſit, figmentũ potiùs Chaldæorum exiſtimo, quàm probabile dictum

ctum. Si Mars (inquiunt) cùm aliquis naſcitur, vnà cum capite Draconis octauam domum occupauerit, vitã ille ſuam ſuſpendio finiet. Si Mercurius cum Luna fuerit in nona, vir erit ſapiens & religioſus. Si Sol in medio cæli cum Parte fortunę, rectè diſpoſitus, atque benignis cæterorum planetarum radiationibus affectus, Rex erit. Temeraria certè dicta, & vanitatis plena. Nam ſi hominum animas ſtellarum virtutibus ſubiiciunt, quaſi ſingulis aſtrorũ aliquod pręſto ſit, quod eas vel ad bonum, vel ad malum procliues reddat, toto cælo aberrant: nobilior eſt enim aſtris hominis anima ad Dei ſimilitudinẽ facta, & proptereà nullam ab illis poteſt felicitatem aut infelicitatem expectare & conſequi. Si corpora tantùm, miror, cur non etiam equorum & boum natalitia ſidera notent, in quibus par eſt, eorum ſimiliter vir-

tutes influere. Inuenirent fortaſſe, an equorum alios futuros eſſe gradarios, alios ſuccuſſores, veredos alios, hos deſultorios, illos clitellarios, nõnullos ephippiatos, quoſdam iugales, alios molarios: boum etiam hũc aratro, illum macello deſtinatum eſſe, atque ita varios horum animaliũ euentus prænunciare poſſent. Non igitur homo, qui naturâ liber eſt, ſideribus ſubiicitur, nec alio præterea opus habet, quod eum vel ad bonum, vel ad malum flectat: ad hoc enim ſatis eſt Dæmon, & corrupta natura: ad illud cuſtos, & interior quidam mentis impulſus, diuinitùs illuſtrati. Atque hinc elice, quàm vana ſit illa diuinatricis Aſtrologiæ pars, quæ de variis hominum euentibus diſſerit: de qua tamen propediem pluribus ad te ſcribam. Interim Vale. Patauij III. Nonas Febur. M. DC. XV.

Albertino Bariſono, Canonico Patauino.

EPISTOLA II.

Quid tractet præcipuè Diuinatrix Aſtrologia.

OPER æprecium me facturum exiſtimaui, Bariſone, ſi priùs quàm tibi ſcribam, quid de Diuinatrice Aſtrologia ſentiam, eiuſdem quaſi typum, & rudem quandam adumbrationem ad te mitterem: ita enim & rem, quam tractaturi ſumus, & animi mei ſenſum faciliùs intelliges. Aſtrologia ſcientia quædam eſt, ex Mathematicarum numero, quæ in cœleſtium corporum contemplatione verſatur; ea potiſſimùm ratione, qua virtute ſua in Mundum hunc inferiorem varias affectiones inducunt. Conſiderant ergo Aſtrologi ſphæras decem, di-

uerſis motibus circunductas. Stellas octaui orbis 1022. in quadraginta octo imagines diſtributas, ſexque magnitudinibus diſtinctas, præter eas, quas obſcuras, & nebuloſas appellant. Ex illis imaginibus duodecim ſunt, quę Zodiacum exornant, quæque ſigna communi nomine nuncupantur, inter ſe variè differentia. Alia enim dicunt eſſe mobilia, alia fixa, communia alia; nonnulla maſculina, quædam fœminina, hæc Septentrionalia, illa Auſtralia; quædam directè, alia obliquè aſcendentia; nonnulla imperantia, & alia obedientia. Diuidunt rurſus hæc duodecim ſigna in quatuor, quas vocant Triplicitates, igneam, aëriam, aqueam, terream, quarum quęlibet tria ſigna complectitur, vt apud ipſos legere eſt. Sed reuertamur ad ſtellas, quarum non

ſolùm numerum Aſtrologi conſiderant, verùm etiam magnitudinem, lumẽ, colorem, longitudinem, latitudinem, declinationem, ortum, occaſum, reſpectum ad planetas, & id genus alia. Contemplantur etiam ſeptem planetarum naturas, & proprietates, ſitum, motum, ſexum, detrimenta, exaltationes, depreſſiones, terminos, gaudia, applicationes, ſeparationes, ſtationes, directiones, retrogradationes, coniunctiones, aſpectuſque varios, quos oppoſitionem, quadratum, trinum, atque ſextilem appellant. Diuidunt Cœlum in duodecim partes æquales, quas vocant domos, illaſque in angulos ſuccedentes, & cadentes diſtinguunt, & ſuam cuique ſignificationem attribuunt. Primam vocant angulum Orientis, Horoſcopum, & interdum etiam aſcendens,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

dicuntque eſſe domum vitæ, & corporis conſtitutionis. Secundam, quæ ſuccedit Orienti, eſſe domum facultatum, & bonorum mobilium. Tertiam, quę cadit ab Horoſcopo, fratrum, parentum, & breuium itinerum. Quartam, quę eſt angulus imi Cæli, bonorum ſtabilium. Quintam, quę huic ſuccedit, filiorum, & gaudij. Sextam, quę cadit ab angulo, ſeruorum, & ęgritudinum. Septimam, quę eſt angulus Occidentis, apertorum inimicorum, atque vxoris. Octauam ſuccedentem, mortis, & hæreditatum. Nonam cadentem, longiorum itinerum, & religionis. Decimam, quę eſt angulus medij Cæli, honorum, & dignitatum. Vndecimam ſuccedentem, bonę fortunę, & amicorum. Duodecimam cadẽtem, carcerum, & occultorum inimicorum. Hęc omnia pertinent

ad eam Aſtrologiæ partem, quæ Iſagogica dicitur. Ea verò, quæ in operatione conſiſtit, quæque Iudiciaria paſſim nuncupatur, quatuor præcipuè reſpicit, ſtatum mundi, aëris mutationem, hominum ortus, atque opportunorum temporum pro variis rebus agendis, electiones: de quibus omnibus Aſtrologorum Princeps Ptolomæus in quadripartito opere ſatis luculenter diſſeruit. Hinc Aſtrologi ſtellarum curſus, variosſque planetarum aſpectus præuidentes, Principum occaſus, regnorum mutationes, peſtilentias, annonæ caritatem, & huius generis plura prænunciant. Rurſus pluuias, niues, grandines, ventos, tempeſtates, ſerenitates, ardores, frigora, ſiccitates. Ad hæc proſperam, aduerſamque hominum fortunam, bonam, aut malam corporis habitudinem, propenſionem ad virtutes,

vel ad vitia, opes, dignitates, itinera, longitudinem, aut breuitatem vitæ, genus mortis, & alia huiuſmodi. Denique idoneos eligunt dies, ad ſerendum, plantandum, cædendum arbores, nauigandum, pharmacum exhibendum, aliaque opera felici ſidere incipienda. Arabes, & Chaldæi ad minutiora deſcendentes, interrogationum ſcientiam addidere, qua ſe ſcire profeſſi ſunt, vtrum quis ea nocte rem habuerit cum muliere, necne, vtrum obtinebit gratiam ac beneficium à Rege, vtrum inueniet furem cum re furto ſubtracta, vtrũ in carcerem detruſo citò reſtituetur libertas, pluraque his ſimilia. In his verſatur diuinatrix Aſtrologia: de qua quid ſentiam, proxima epiſtola intelliges. Vale. Patauij X. Kal. Martij M. DC. XV.

Arabum, & Chaldæorũ figmenta lege Halyabenragelẽ, Zahelem Albubar, Meſſahallacum, & alios.

Albertino Bariſono, Canonico Patauino.

Epistola III.

Diuinatricis Aſtrologiæ confutatio.

Prædicere futura, & occulta in lucem proferre, diuinum quiddam eſſe videtur: hincque diuinationis nomen originem traxit; quę futurorum prudentia dicitur, vel, vt Cicero ait, vis quędam in homine cognoſcens, & ſigna explicans, quæ aliis omnibus portendantur. Diuina igitur Aſtrologia eſt, colligunt Aſtrologi, quia diuinare docet, quidni? Cedant ei cæteræ ſcientiæ, ſi tamen vera docet: Quid enim homini poteſt eſſe iucundius, quàm ſiderum intuitu, quę ſibi euentura ſunt, prouidere? Sin autem falſa, & commentitia, non ſolùm ſcientiæ, ſed artis quoque

Diuinatio quid. Lege Cicer. 1 & 2. de diuinat.

titulo indigna cenſeatur, & tanquam Dæmonum, impiorumque hominum inuentum penitus explodatur. Hinc ego adoleſcens, ſciendi cupiditate inflammatus, magniſque pollicitationibus illectus, ſexennium Venetiis operam dedi. Præceptore vſus primùm Octauiano Gandauenſe, viro omni doctrina erudititiſſimo, & de me optimè merito, à quo rudimenta quędam accepi: deinde celeberrimo Barocio, patritio Veneto, qui me non ſolùm in Ptolomęi Quadripartito, & Centiloquio, verùmetiam in Chaldęorum, & Arabum minutis obſeruationibus exercuit. Natiuitates, quas vocant, conſtruxi multas, & annorum Reuolutiones: non pauca in aëris mutationibus obſeruaui: quin etiam opportuna tempora in rebus agendis frequenter elegi, pro varia ſtellarum diſpoſitione. Veráne, an

falſa prædixerim, nouit Deus: quanquam in tanta rerum diuerſitate, quæ prænunciantur, haud difficile eſt interdum in veritatem incurrere, vt fatidicæ quoque mulieres perſæpè faciunt. Vnum tamen erat, quod ingentem animi mei ad hæc ſtudia propenſionem aliquantulum comprimeret, impetumque retardaret: non conſtare videlicet, vndenam effluxerit ſcientia hæc, quænam, & qualia ſint eius principia, & qua tandem ratione firmentur. Nihilominus ſtudioſi tunc munere fungens, credebam facilè quicquid à præceptoribus audiebam; ratus aliquando fore, vt librorum lectione, admirandæ huius diſciplinæ fundamenta mihi perſpecta fierent. Res tamen aliter contigit: adultior enim factus, vbi auctores multos de diuinatrice Aſtrologia diſputantes perlegi, eam reperi à gra-

uiſſimis Philoſophis neglectam, à viris eruditiſſimis reprobatã, à Sanctis Patribus, ab Eccleſia Catholica, ab ipſo denique Deo Opt. Maximo damnatam. Ariſtoteles, qui ſe diſciplinas cũctas excolere profeſſus eſt, Iudiciariam Aſtrologiam ne nominauit quidem. Plato ſcientiarum cupidus, ad Ægyptios adiit, à quibus arcana multa didicit; nihil tamen de hac Aſtrologiæ ſpecie in Græciam reportauit. Seneca Aſtrologos adulationis, mendacij, & ignorantiæ inſimulat, vtpote qui Claudium, poſtquam Princeps factus eſt, ſingulis menſibus, ſingulis annis efferant; cùm tamen horam eius nemo nouerit. Cicero futurorum ſcientiam tanquam inutilem aſpernatur, aitque maximè abſurdum eſſe, cordatos viros mollibus cogitationibus effœminari, & Chaldæorum promiſſiones expectare, quibus aut bonis qui-

Seneca in ludo Claudij.

Cicero Tuſcul. 1.

buſdam deſtituti illudimur, aut imminentibus malis cruciamur, & angimur. Tacitus vocat Aſtrologos genus hominum, potentibus infidũ, ſperantibus fallax, à quibuſcumque bene inſtitutis ciuitatibus expellendum. Omnes Sãcti Patres in illa verba capitis 1. Geneſeos, *Fiant luminaria in firmamento cœli, & ſint in ſigna*, &c. vnanimi conſenſu diuinatricem Aſtrologiam deteſtantur, eamque diuinæ legi contraire penitùs arbitrantur. Auguſtinus multis in locis Aſtrologos ſuperſtitioſos vocat, & à Chriſtiana pietate alienos. Ambroſius eos omnes vanitatis coarguit, qui ex hora natiuitatis quęrunt, qualiſnam vnuſquiſque ſit, qui natus eſt. Hieronymus de Aſtrologis loquens, ait eos eſſe, qui ex aſtrorum curſu, lapſuque ſiderum, res humanas regi arbitrantur; cumque ſalutem aliis promittunt, ſua ignorant

Corn. Tacit. lib. 17.

Auguſtinus 2. ſup. Gen. ad literã. 2. de doct. Ch. & alibi.

Ambroſ. 15. lib. 4. examer.

Hieronym⁹ in Iſaiã cap. 47.

ſupplicia. Baſilius artem hanc appellat πολυάχολον ματαιότητα, quę hominum animos irretiat, & à Dei cultu ſenſim auocet. Sacri etiam Canones diuinationes cunctas, vel eas, quę ſiderum intuitu, & obſeruatione fiunt, tanquam temerarias, pernicioſas, atque gentilitatem olētes vndique reprobant; fidemque illis habentes, pręter alias pœnas, Eccleſię communicatione priuant. Denique in diuina ſcriptura frequenter legimus, neminem, pręter Deum, futura prędicere poſſe, nec quicquam nobis cęleſtia ſidera portendere. *Dicite Dijs veſtris*, ait Iſaias, *vt ventura prænuncient, eoſque verè Deos confitebimur.* Et Hieremias, *Iuxta vias gentium nolite diſcere: à ſignis Cœli nolite metuere, quæ timent gentes.* Non deſunt autoritates, & rationes quamplurimę, quibus Diuinatricis Aſtrologię vanitas apertiſſi-

Baſilius in Exam.

Sacri Canones 26. q. 5. C. qui diuinationes.

Iſaias cap. 41.

Hieremias cap. 10.

mè demonſtratur. Noui reſponſiones, quæ ab aliis vulgò afferuntur: ſed nolo ego actum agere, nec ab aliis dicta compilare. Cùm tibi per ocium vacauerit, legere poteris Ioannem Lenſæum Belliolanum in oratione contra Genethliacorum ſuperſtitionem; Hieronymum Sauonarolam in opere eximio aduerſus Diuinatricem Aſtrologiam; Thomam Garzonium in Vniuerſali Platea; Petrum Gregorium Tholoſanum in Arte mirabili; Poſſeuinum in Bibliotheca ſelecta; Euſebium libro ſexto de Præparatione Euangelica: ſed præ cæteris Ioannem Picum Mirandulanum in opere contra Aſtrologos, & Benedictum Pererium lib. 2. in Geneſim, peculiari, & illâ quidem ſatis diffuſâ, & eruditâ contra Aſtrologos diſputatione. Ab his fontibus plenam, & cumulatam rei quæſitæ co-

gnitionem haurire poteris. Ego hac epiſtolâ ea tantùm afferam, quæ me magis in confictę huius ſcientię contemptionem, atque deſpicientiam adduxerunt: nitarque non ſolùm ramos amputare, verùmetiam, ſi fieri poterit, radicum fibras euellere. Tu autem, vbi rem totam diligentiſſimo examine libraueris, cùm oppoſitæ ſententiæ pondus, tùm aduerſantium rationem, atque etiam reſponſionum efficacitatem facilè intelliges. Deſpiciamus quęſo in primis Aſtrologici ædificij fundamenta, vt rem ab ouo exordiamur. Scientia omnis naturaliter inuenta, vt Ariſtoteles docet, ab experientia ortum ducit; hæc ex memoria, memoria verò ex ſenſu gignitur. Quænam autem eſt Cœlorum virtus, ſi lumen, & motum excipias, quæ ſenſibus manifeſta ſit? Nulla profectò. Deſtitutáne igitur erunt cœleſtia

Ariſt. 1. Poſt.

leſtia corpora influente virtute? Minimè verò: ſed, vt alia epiſtola me ſcripſiſſe memini, cõtinuè quippiam huic inferiori mundo inſtillant, & vniuerſalem rerum procreationem moliuntur. Vtrum autem peculiarem aliquam virtutem habeant, qua homines præcipuè afficiant, incertum omninò eſſe arbitror: illud autem certiſſimum, ſi quam habeant, quænam, aut qualis illa ſit, à nobis certò ſciri non poſſe. Nondum planè cognoſcimus herbarum vires, quæ ſunt apud nos, & Cælorum virtutes intelligemus, qui à nobis tãto ſunt interuallo diſiuncti? Conſideremus deinde domorum ſignificationes ab Aſtrologis effictas. Vndenam, obſecro, didicerunt ipſi, primam domum res ſignificare, ad vitam, & ſtatum corporis pertinentes, ſecundam ad opes, tertiam ad fratres, affines, & breuia itinera, quar-

mo, & à veritate penitùs alienum. Rurſus nonne ſtultum eſt, ponere in cælo aſtra, quæ homines ad malum procliues reddant? Ad malum autem? Immò verò ne ad bonum quidem. Iouem, & Venerem propitias ſtellas appellant, Saturnum, & Martem infeſtas. Solem dicunt, pro varia eius conſtitutione, dignitates portendere, Mercurium ſcientias, lunam itinera, & id genus alia. Quonam docti magiſtro, aut quanam ratione ducti hæc protulerunt? Pendent fortaſſe planetarum virtutes ab efficctorum Deorum moribus, atque natura, quorum nomina ſortita ſunt? Quid dicam de Capite, & Cauda Draconis, atque de Parte, quam vocant, fortunæ? Nihil aliud illa ſunt, ſi ipſiſmet Aſtronomis credimus, quàm circulorum quorundam interſectiones, & Planetarum tranſitus ad Septentriona-

lem, vel Auſtralem Zodiaci partem: hæc verò, vt Ptolomæus docet, certa quædam ſolis à luna diſtantia. Ab horum tamen varia in domibus cæleſtibus diſpoſitione, & ad ſtellas, tam fixas, quàm errantes ratione, varias ſignificationes eliciunt, proinde tanquam ſidera quædam, & cæleſtia corpora eſſent: quo quid cogitari poteſt abſurdius? Non miror, quòd Arabes poſteà Partem vitæ, mortis, patris, matris, itinerum, planetæ interficientis; gradus præterea puteales, lucidos, tenebroſos, & alias huiuſmodi ineptias excogitauerint. Durum profectò mihi videtur, credere, hominem, qui rationis, conſiliique particeps eſt, liberaſque operationes edit, incertis iſtis, & implicitis affectionibus ſubiici. Sed enim ſtatim ad experientiam, tanquam ad tutum, tranquillumque portum confugiunt. Dicuntque ſe obſer-

Hermes in Centilog. propoſit. 52. 67.

uaſſe, cùm fuerit Mercurius, exempli gratia, in ſexta domo Natiuitatis alicuius, malè diſpoſitus, eum futurum eſſe Apoſtatam. Si fuerit Iuppiter in Cancro, remotus ab Aſcendente, nec ab vllo impeditus, futurum eſſe in ſcientiis valdè peritum, cui tamen ſolitaria vita placebit, & alia huiuſmodi, optimum ſanè effugium: nam, vt paulò antè dictum eſt, ſcientiæ omnes experientiâ, memoriâ, ſenſuque gignuntur. Quiſnam autem aut ex veteribus, aut ex recentioribus Aſtrologis, vel vnam aſtrorum conſtitutionem, omninò alteri ſimilem obſeruare vnquã potuit? Perficit Nona Sphęra, Ptolomæo teſte, ſuam integram reuolutionem, 36000. annorum ſpatio, octaua 7000. Saturnus 30. & ſuam deinceps cæteri planetæ, vt te non ignorare arbitror. Ecquis autem eſt, qui tam diuturnam duxerit

vitam? Planetæ pro vario ſitu in circulis epicyclis, nunc veloces, nunc tardi ſunt curſu; interdum progredi, aliquando regredi, nonnunquã etiam ſtare dicuntur. Videas rurſum eoſdem nunc inuicem coeuntes, nunc è diametro ſeſe reſpicientes, nunc trinâ, ſextili, aut quadratâ radiatione percutientes. Ad ſtellas fixas nunquam eandem rationem ſeruant: modò illas antecedunt, interdum ſubſequuntur, & aliquando cũ eiſdem congrediuntur. Nulla ergo eſſe poteſt Aſtrologorum obſeruatio, cùm præſertim, vt ipſi docent, ad aſtrorum ſignificationem adſequendam, neceſſe ſit non ſolùm ſigna, verùmetiam gradus, & minuta notare. Ideóque dicunt, Iacobo, & Eſau diuerſa cõtigiſſe: quia quamuis eodem tempore, non tamen eodẽ temporis articulo nati ſunt. Age,

demus hoc illis, vt natalitium alicuius diem obſeruauerint, qui ſuſpendio perierit, Martemque, aut Saturnũ in octaua domo malè conſtitutũ repererint; an ne conſequetur neceſſariò, vt quicunque hos planetas in eorum Natiuitatibus ita conſtitutos habuerint, vitam ſuſpendio finire debeant? Minimè verò: obſeruaui enim ego in multorum Natiuitatibus hos ipſos planetas in octaua domo peſſimè ſe habentes, qui tamen nec informi letho, nec infauſto rebus humanis exceſſerunt. Etenim vt peculiaris aliqua ſit aſtrorum in hominibus virtus; eadem certè numero aſtrorum diſpoſitio, ob ſphærarum variantem curſum, non ita facilè redit, nec hominis ætas ad obſeruandas eaſdem cæli reuolutiones ſufficere poteſt. Huc accedit, quòd ex innumeris aſtris, quæ in firmamento cernuntur, 1022. duntaxat

ab Aſtrologis conſiderantur; & tamen probabile eſt, cæteris quoque ſuam virtutem ineſſe. Non me latet, certum illum ſtellarum numerum quamplurimos Mathematicos aſſerere, tueríque: verùm ij, quàm grauiter hallucinentur, memini aliàs me docere. Præterea, putas ne, Nonam, & Decimam ſphæram influendi aliqua facultate pollere? Id profectò rationi conſentaneum videtur, & tamen ſphęræ illæ fuerunt veteribus ignotæ. Quænam igitur erit veteris Aſtrologiæ certitudo, aut recentis obſeruatio? Supereſt autem ſacra, vt aiunt anchora, quam neceſſe eſt conuellere. Quidam enim dixerunt, non eſſe cur miremur quòd nullus vnquam eaſdem cæli reuolutiones obſeruare potuerit, vt ex inde Aſtrologicam diſciplinam aſtrueret: quoniam Aſtrologia non eſt ſcientia, humanitùs excogitata,

ſed diuinitùs enunciata. Hanc calluiſſe Moſes perhibetur, hanc Abraham Ægyptios edocuit, hanc ipſe à filiis Seth tanquam per manus accepit, hanc illis pater Adam primùm tradidit, hanc denique eidem, cùm addormiret, Deus Optimus Maximus communicauit. Ideo ex Ioſepho collegerunt, Adamum duplicem rerum omnium interitum, cataclyſmum ſcilicet, ſeu diluuionem, & epyroſim ſeu mundi incendium prædixiſſe. Et filios Seth, ne diuinæ huius facultatis arcana aliquando perirent, columnas duas, alteram ex lateribus, alteram ex lapidibus extruxiſſe, in quibus quæcunque acceperant, diligentiſſimè conſcripſerunt; lapideamque aiunt etiamnum in Syria reperiri. Ego iſtis libentiſſimè aſſentirem, ſi quam Diuinæ ſcripturæ autoritatem afferrent: nullam autem afferunt; nec vſpiam ego in

Ioſephus lib. 1. Antiquit. cap. 4.

ſacris literis reperi, Moſem, aut Abrahamum diuinatrici Aſtrologiæ operam dediſſe. Didicerunt quidem ab Abrahamo Ægyptij Aſtrologiam, vt Antiquitatis cultores tradiderunt, non eam certè, quæ in aſtrorum iudicijs, ſed illam, quę in ſtellarum curſibus, variiſque reuolutionibus verſatur, quęque veriùs Aſtronomia nuncupatur. Hæc illa eſt, quã filij Seth ad virtutes propenſi, primùm inuenerunt, non ea, quæ natalitia ſidera notare, aut Natiuitates cóſtruere docet: nec aliud certè per diſciplinam rerum cæleſtium, atque illarum ornatum Ioſephus, non dilutę autoritatis autor ſignificauit. Ad hãc ipſam ea pertinent, quæ eorumdem iuſſu, publicis, æternísque monumentis inciſa, atque inſculpta fuêre. Prædixiſſe autem Adamũ duplicem rerũ omnium exterminationẽ facilè admiſerim, dummodò tan quã ratũ

habeatur, id non aſtrorũ ſcientiâ, ſed Deo præmonſtrante feciſſe. Vt hinc poſſit elici multa quidem Adamo Deum Opt. Max. in ſopore illo cõmunicaſſe; futurorum tamen ſcientiam ſibi ipſi, tanquam peculiarem, & propriam reſeruaſſe. Vndenam igitur, inquies, ortum duxit hæc diuinatrix Aſtrologia, quam tot annorum curriculo viri doctiſſimi, & celeberrimi profeſſi ſunt? Ab hominibus puto, rudibus, ſimplicibus, credulis, antiquis: quam poſteà viri impij, ſceleſti, dæmonum cultui dediti, omníque dedecore infames fouerunt, auxerunt, & falsò in ſcientiarũ numerum retulerunt. Primi omniũ fuêre Chaldæi, Ægyptij, Indi, aliíque barbari homines: qui cùm initiò hebeti eſſent ingenio, accepiſſentque Cælum inferiorum rerum cauſam exiſtere, illud tanquam Deum venerari cœperunt, ſeſéque totos ſiderũ

inſpectioni tradiderunt. Impulit eos Dæmon, opportunam occaſionem nactus, in hanc diuinationis inſaniã. Cùm enim varias ſtellarum conſtitutiones in hominum natiuitatibus obſeruaſſent, multáq; illis cùm proſpera, tum aduerſa accidere animaduertiſſent, ea omnia ab aſtris neceſſariò pendere crediderunt; hincque ſenſim tanquam diuini nuncij, his felicitatem, miſeriam aliis prænunciare auſi ſunt. Cumque interdum ſi fortuitu, vel etiam dæmonis præmonitu res abditè latentes inueſtigaſſent, vel poſt futuras prædiuinaſſent, ſimplices homines maiores eis honores habere cœperunt, quàm cæteris è plebe viris. Percrebuit autem fama, homines eſſe, qui ſiderum intuitu futura prænunciarent: cumque natura mentibus noſtris inſatiabilis quædam ſciendi cupiditas inſita ſit, multi è regionibus diſſitis ad

Chaldæos, & Ægyptios ſeſe contulerunt, vt hanc diuinandi artem addiſcerent. Eò autem libentiùs ipſam amplectebantur, quòd illi prudentes atque periti cùm felicitatẽ promitterent viris principibus, & magnatibus, non modicum inde quæſtum corrodebant, lucrumque planè magnum captabãt. Creuit vbique breui tẽporis ſpatio Aſtrologorũ numerus, vt nulla eſſet in orbe ciuitas, quæ Chaldæos, cæteroſque diuinos non haberet. Paſſim ab iſtis vitæ diuturnitas, diuitiæ, dignitates, itinera, naufragia, exilia, carceres, ſuſpendia, variáque mortis genera præmonebantur. Pauci tamen fuerũt ex inſignioribus, qui cum Dæmone aliquo fœdus, & ſocietatem non inierint: vtplurimùm enim, teſte Auguſtino, in diuinatrice ſuperſtitione immundorum ſpirituum operatio ſeſe immiſſcet: Non quòd hi ſiderum ſuſpe-

tem Regis denunciabit, quaſi ipſam ex aſtrorum decretis præſciuerit, atque idem factitabit in rebus quamplurimis, quãquam ſi ſemel verè loquutus dicetur, ſexagies mendacio fallet, ambiguè loquens vtplurimũ, & inſtar oraculi amphibolias affectans. Enimuero ſi Philoſophi & Medici in futurarum rerum prædictione, quæ à cauſis naturalibus pendent, perſæpe hallucinantur; quanto magis Aſtrologi in præmonendis iis quę caſu & fortuitò fiunt, quæque à libero hominis arbitrio proficiſcuntur? Hæc enim certò ſciri nulla ratione poſſunt: quoniam nec in ſeipſis perſpiciuntur, cùm præſentia non ſint; nec in ſuis cauſis, quæ ad ipſa vim certam deſtinatamque non habent. Nec eſt cur Aſtrologi dicãt, Mundum hunc inferiorem cæleſtiũ corporum interuentu à Deo Opt. Max. gubernari, atque ideò quæ no-

bis contingentia ſunt, certã & defi-
nitam cauſam habere. Quoniam cę-
leſtia corpora creata ſunt à Deo re-
rum omnium parente, tanquam ho-
rum inferiorũ vniuerſales cauſæ: ef-
fectus autem varij qui in lucem pro-
deunt, aut à variis materiæ affectio-
nibus pendent, aut à libera hominis
voluntate. Ecquis autem erit qui cer-
tam eorum ſcientiam habere queat?
Non poteſt certò ſciri, an malus pu-
nica hoc anno fruct⁹ edet, etſi edet,
quot, qualésve edet. Aſtrologus au-
tem profitebitur, ſe ſcire quid huic,
aut illi homini accidere debeat? Pro-
fectò non tantùm miror Aſtrologo-
rum iactantiam, quantùm multorũ
hominum credulitatem, qui tantùm
illis tribuunt, vt, iis inconſultis, nihil
rectè ſe facere poſſe arbitrẽtur; cùm
tamen vel in rebus leuiſſimis, atque
à naturalibus cauſis proficiſcentibus
mendaces ſæpiſſimè deprehendan-
tur.

tur. Quoties pluuias, niues, tempeſtates prænuntiant, iis ipſis diebus, quibus Cœlum mirè ſerenum conſpicitur? Deſine igitur, Albertine mi, huic Diuinatrici Aſtrologię operam nauare: & ſi qua te illius addiſcendæ cupiditas tenet, reputa cum animo tuo, qualesnam eius profeſſores fuerint. Circulatores nonnullos reperies, præſtigiatores alios, hos veneficos, illos apoſtatas, ad ſummam, Omnes iſti vates & diuini cùm aliis felicitatem promiſiſſent, ipſi miſerè vitam traduxerunt. De Iuntino, Bellantio, Pirouano, & aliis, quos huius ſcientiæ, aut quod verius eſt, impietatis patronos elegiſti, nihil ſcribo: eorum enim audaciam, atque iactationem ſatis ſuperque Poſſeuinus compreſſit, quem adire, ſi lubet, potes. Illud tamen tibi conſulo, vt eorum libros, tanquam impietatis plenos, non ſolùm non le-

Poſſeuinus lib. 15. Biblioth. cap 15.

gas, ſed ableges potius. De Cardano, Iaiſnerio, & aliis, qui non modò temerè ac nimis effrenatè, ſed etiam ſceleſtè ac impiè tradiderunt quam Chriſtus humani generis ſoſpitator geneſim habuerit: quem etiam rentur ſenſiſſe legem fatalis neceſſitatis, & excepiſſe finem quem illi conſcia fati ſidera decreuerant. De his (inquam) flagitioſis hominibus quidnā iudicandum ſit, puto tibi ſatis exploratum eſſe. Hæc habui quæ de Chaldæis, cæteriſque diuinis tibi ſcriberem: vtinam ea ſint, quæ iſtam tuam ſciendi cupiditatem atque ardorem non refrigerent tantùm, ſed etiam reſtinguant. Vale. Patauij, IX Kalendas Aprilis, M. DC. XV.

a. pol.

Franciſco Contareno, Thadæi filio Patritio Veneto.

EPISTOLA IV.

De imaginibus, quas Aſtrologi in firmamento eſſe finxerunt.

ACADEMIA, quæ nuper te auctore Venetiis inſtituta eſt, egregium poſteris virtutis tuæ dabit ſpecimen, & ad litteras propagandas laudabilem propenſionem tuã æternùm teſtabitur. Nos verò iudicium tuum accuratum, politum, atque limatum ſuſpiciemus, doctrinam exquiſitam admirabimur, quam nos adſequi poſſe diffidimus. Ideò non equidem miror, quòd in ea diſputatione, quæ ſuperioribus diebus de cæleſtibus imaginibus habita eſt, ſententiæ tuæ non modò fautores multos habueris, verùm

etiam eiuſdem amplificatores. Ego quoque ſententiæ tuæ conſtanter adhæreſco, nec vllas puto veras in cælo imagines reperiri: ſed omnes aut à ruſticis imperitè ob ſimilitudinem quandam, aut à Barbaris impiè, aut à Poëtis fabulosè, aut ab Aſtrologis perperam effictas eſſe. Ruſtici à ſtellarum quarundam conformatione ſimilitudine ducta, Falcem in firmamento, Currum, glocientem cum pullis Gallinam, & alias huius generis imagines confinxerunt. Barbari Idolorum cultui dediti, quemadmodum inſignes virtute viros, vt Herculem, Hectorem, ob egregia facinora in Deorum; ſic animalia quędam, vt Canem, Delphinum, ob ſingularia quędam beneficia, in Aſtrorum numerum retulerunt. Poëtæ, vt optimè noſti, fabulosè multarum rerum imagines in cælum tranſtulerunt: vt Arietis,

in honorem Iouis arenarij; Tauri, in memoriam illius, qui Europam incolumem tranſuexit in Cretam, & aliorum complurium. Aſtrologi putant, reuera in cælo imagines eſſe, habereque illas vim ac poteſtatem ſimilia in rebus hiſce inferioribus procreandi. Aiunt enim, eum, qui ſub Vrſa natus eſt, habere ſimilitudinem vrſæ; qui oriente Corona futurum eſſe Regem; qui naui, nautam; qui lyra, muſicum. Neque verò imagines ſolùm viſibiles in variis cæli partibus effinxerunt, ſed inuiſibiles etiam in quocunque decano, ſeu qualibet ſigni facie ſomniarunt: quas mirabilium operum effectrices cauſas eſſe tradiderunt. Expediet fortaſſe rem exẽplis elucidare. Cùm quodlibet Zodiaci ſignum gradus triginta cõtineat, illud Aſtrologi in tres partes præcipuas diuidunt, quas nonnulli decanos, alij

facies appellant ; ita vt quibuſlibet decem gradibus decanum vnum, ſeu faciem præficiant. Dicunt ergo ex Perſarum doctrina, in primo Arietis Decano oriri fœminam, cui nomen ſplendoris filia: poſt ipſam piſcis marini caudam, & caput Ceruotauri; denique Cynocephalum, dextrâ manu clauam, ſiniſtrâ verò candelam gerentem. In ſecundo Decano oriri medium piſcis marini, mediũ Ceruotauri, nauim, equum, fœminam cum brachiis ferreis, caput pectentem ſuum, & alia multa. In tertio denique Decano oriri iuuenem, cui nomen falſus, ſolio aſſidentem, & cum eo equum duplicem, caudam Ceruotauri, & alia figmenta, quæ certè ſcribere me nõ ſolùm piget, verumetiam pudet. Simili modo reliquis ſignis ſuos cuique Decanos aſſignant, à quibus mirabiles ſignificationes ſe accipere

profitentur: illudque præſertim obſeruarunt, Chriſtum, Seruatorem noſtrum, tunc temporis natum eſſe, cùm facies prima Virginis aſcenderet, in qua lactantem Virginem conſtituunt; quo certè neſcio quid cogitari poſſit abſurdius & magis impium. Sed eò præterea vanitatis peruenerunt, vt ſtatis quibuſdam temporibus, certiſque aſtrorum cõſtitutionibus, cæleſtes ipſas imagines in lapidibus, & metallis ſculpendas, aut arte fuſoria exprimendas eſſe docuerint; tanquam ea vel ad noxia declinanda, aut ad vtilia, vel voluptaria conſequenda maximum ſint momentum allaturæ. Arabum certè figmenta hęc omnia ſunt, vt ſcitè admodum, & eruditè docuiſti: nec alio modo imagines in cęlo ſtatuendas eſſe arbitror, quàm eo ipſo, quo veræ, ac ſolidæ Aſtronomiæ profeſſores ſtatuerunt. Illud autem in

primis animaduertendum, ſi verè, & propriè loqui velimus, non idem eſſe in cęlo imagines, ac ſigna. Diuide primum Mobile in duodecim partes æquales, ipſę illę partes appellantur ſigna: quę omnia fixa, & immobilia ſunt, atque ad Æquinoctialem circulum relata, ſemper eodem modo ſe habent. In iis punctis, vbi Æquinoctialis Zodiacum interſecat, ſunt ſemper ſigna illa, quę Aries, & Libra nuncupantur: in punctis ſolſtitialibus ſemper Cancer, & Capricornus, & deinceps alia. Porrò ſigna hęc nullis ſtellarum cõformationibus deſcribuntur, cùm in Primo Mobili fulgores eiuſmodi non appareant: ſed vt Aſtrologi ſtatum Solis, vel temporis proprietatem, ſecundùm quandam ſimilitudinem exprimerent, quę vt plurimum accidit, cùm Sol in hac, vel illa Zodiaci parte reperitur; ideò ſin-

gulas Zodiaci partes propriis quibuſdam nominibus appellarunt. Exempli gratiâ, quartam Zodiaci partem appellarunt Cancrum, propterea quòd cùm ad illud ſignum peruenerit Sol, ad modum Cancri retrocedere incipit. Sextam partem dixerunt Virginem, quoniam ſole ſub eo ſigno decurrente, iam terra exuſta penitùs eſt, nihilque gignit, ſed perinde ac Virgo, infœcunda, & ſterilis dicitur. Eodemque modò, ſemper ab re aliqua, vel effectu, ſimilitudine ſumpta, cæteris Zodiaci partibus, vel ſignis propria nomina impoſuerunt. Hæc igitur ſunt ſigna, quæ à veris Aſtronomis ſtatuuntur in cælo, nulla certè ſuperſtitione, ſed ſolis naturalium rerum proprietatibus ducti. Vtinam doctrinam hanc non coinquinaſſent Aſtrologi, qui temerè pronunciarunt, eum, qui ſub Cancro natus eſt, futurum eſſe re-

trogradum, & verſutum ac callidum: qui ſub leone, ferum, atque crudelem: qui ſub Virgine, caſtum, & eodem modo de aliis. Imagines verò eę ſunt, quas in octaua ſphęra, ex multarum ſtellarum, aliquam inuicem rationem habentium, congregatione, primi illi Aſtrologię proceres effinxerunt. Vt Canis, Leporis, Hydræ, Draconis, Andromedę, Perſei, Herculis, Orionis: Arietis etiam, Tauri, Geminorum, Cancri, & aliorum ſignorum, quę pariter variis fulgoribus inſignita, inter cęleſtes imagines collocarunt. Hę autem in cęlo re vera non ſunt, ſed Aſtrologorum arbitrio, & forſan à Dęmone mendacij parente confictę: vt nemo planè mirari non debeat, eas imagines poſteris Aſtrologiæ ſtudioſis arriſiſſe, atque in eas aniles ineptias incidiſſe. Vnum tantùm affero huiuſce vanitatis apertiſ-

ſimum argumentum,illam videlicet imaginem , quam Aſtrologorum plerique cadentẽ Vulturem paſſim vocarunt , Ptolomæum Aſtrologorum Principem, Lyram appellaſſe. Quænam autem eſt ſi dis placet, Lyræ & cadentis Vulturis comparatio vel ſimilitudo ? Non ſunt ergo in Stellifero cœlo magis canes & lepores , quàm tigrides & elephanti: ſed prò captu quiſque atque arbitratu ſuo quas vult imagines effingit: nec maiorem habet imprimẽdi vim illa ſtellarum congeries in oculis ſuſpicientis,quàm habeat campanę ſonitus in auribus audientis. Atenim ornatus gratiâ , aiunt Aſtrologi , veras in Firmamento imagines à Deo Opt.Max. impreſſas eſſe. Ridiculum id planè:non enim cælum exornaſſet,hoc modo,quinimmò teterrimis monſtris dedecoraſſet. Deerant fortaſſe rerum aliarum pulcherrima ſi-

mulachra? an num ſola luminum varietas, tamque aptè diſpoſita multitudo inſignem ornatum affert ſuperiori mundo? quid Ariete, quid Scorpione, quid Piſcibus opus eſt? Ad procreationem, inquiunt, rerum ſimilium. O miſeram hominum cæcitatem, & incredibilem amentiam: quaſi Arietes, & Scorpiones non eſſent in terra, nec Piſces in aqua, niſi eorum imagines exiſterent in Cœlo. Cur ergo ibi Columbę, Agni, Vitis, Tritici, Palmæ, Nucis, & aliarum huiuſmodi rerum imagines non reperiuntur? Hinc igitur addiſcant, tandem Deũ Mundi conditorem generabilium, atque diſſolubilium rerum ſpecies cęleſtibus quidem corporibus, neutiquam tamen imaginibus ſubieciſſe. Quod quidem referente Pico, adgnouit aliquando magnus ille Ptolomęi commentator Haly eben-

roda: qui docuit, nullam à ſignis, vel imaginibus, ſed omnem à ſtellis fixis, ex quibus ipſæ conſtitutæ ſunt, operationem proficiſci. Quęnam enim, aut qualis poteſt eſſe imaginum vis ac poteſtas? vtique enim aliud non ſunt quàm fictitiæ quędam figuræ, &, vt Logici loquuntur, entia rationis; neque cum veris figuris vllam habent ſympathiam, aut naturalem affectũ, vel vllam efficacitatem: id enim quod non eſt, in eo, quod exiſtit, effectum parere neutiquam poteſt. Inſaniam verò illam de imaginibus, metallis, atque lapidibus inſculpendis, quis non magnopere irrideat? Vultus huius ſæculi, ait Ptolomæus, ſunt ſubiecti vultibus cæleſtibus: & ideò ſapientes, qui imagines faciebant, ſtellarum introitum in cæleſtes vultus inſpiciebãt, & tunc operabantur quod debebant. Putant igitur, imagines

Ptol. in Cētiloq. prop. 9.

cęleſtes itȧ dominari terreſtribus, vt omnem ſuam vim, & proprietatem cum illis communicent, ſi certis temporibus, & quibuſdam obſeruatis conditionibus inſculptæ fuerint. Narratque Haly fabulam illam de imagine Scorpionis formata à quodam Aſtrologo, eo tempore, quo Scorpionis imago in cælo vigebat, eamq; optimè Scorpionum ictus curare dicebat. Conſueuere prætereà nomina quædam, vel ſiniſtra manu conſcribere, vel imagines pingere; earum autem quaſdam ſupinas, alias ſurſum erectis pedibus defodere, Necromantumque facta nefaria imitari: qui aut Angelos, aut Dæmonas, aut eorum nomina, & ignotos characteres inſculpunt, quaſi ab iis ipſis omnis pendeat operandi facultas. Atqui ſi vel modicam rerum naturalium peritiam haberent Aſtrologi, facilè intelligerent,

res arte factas, quà tales ſunt, nec cæleſtem influxum recipere, nec aliquem effectum producere vllo modo poſſe. Etenim ad quantitatis genus, vt characteres, ita inſculptæ illæ imagines pertinent: conſtans autem eſt Philoſophorum decretum, quãtitatem efficiendi vim non habere. Si quando igitur optati contingunt effectus, eos certè putandum eſt, nõ imaginum, characterum, aut nominum vi, ſed aut materiæ proprietate, cui inſculpta ſunt, aut occulta Dæmonum opera produci. Tantùm enim operis confert, ad aliquem effectum edendum, lapis, metallum, aut alia quæcunque pura, nuda, ſimplexque materia, quantùm eadem characteribus & imaginibus inſignita: cùm nihil aliud hęc ſint, quàm occultæ cum Dæmonibus pactiones, ad ſimulandum idolorum cultum, prætexendumque. Optimè igi-

D.Tho.2.2. q 47. art. 2. & lib. de occult. oper. nat.

tur collegiſti, Contarene, nullam agēdi vim effictas ab Aſtrologis imagines habere, nec vllas eſſe in Cælo à Deo Opt. Max. conſtitutas. Quòd ſi quandóque in ſacris literis Arcturi, Orionis, aut Pleiadum mētio fiat; illud imperiti vulgi gratiâ poſitum eſſe exiſtimandum eſt. Vale, vir doctiſſime, & Raguſeij tui, quem probè ſcis tibi addictiſſimum, memor eſſe perge. Patauij, Kalendis Quintil. MDCXVIII.

Iob. 9. 38. Amos 5.

Ioanni Pagnono Cathedralis Venetiarum Eccleſiæ Archidiacono.

EPISTOLA V.

Vitæ hominis longitudinem, aut breuitatem non poſſe ab Aſtrologis per Hylech, & Alchochoden cognoſci.

Homo ſciētia boni, & mali à Dæmone deceptus. Gen. cap. 3.

CALLIDE admodum atque verſutè Dæmon à Dei cultu, & obe-

& obedientia cupiens hominem abducere, pulchrum & ſuauem ei fructum obtulit, cuius edulio bonorum atque malorum ſcientiam nanciſceretur. Illa ſciendi cupiditate homo inflammatus ad verba dæmonis impiger obediuit, atque ex oblato ſibi fructu malè ſanus eſitauit. Hinc ſciendi magis libidinem atque ardorem, quàm veram & perfectam ſciētiam eſt adeptus. Inter cætera verò, quæ libidinem illam accendunt præcipuè eſt rerum poſt-futurarum præcognitio: hac enim ſibi ſuprà humanam conditionem eminere, ipſique etiam Deo coæquari poſſe facilè credidit. Eorum autem, quę ventura ſunt, nihil profectò eſt, quod anxiùs exquirat, quodque ſcitu dignius arbitretur, quàm quod ad vitæ ſuæ diuturnitatem breuitatemque prænoſcendam pertinet. Callidus, & veterator Dæmon hominis

Homo natura ſcire deſiderat. *Ariſt. 1. Metap.*

perditè mortem inhians, quo voti ſui compos fieret; ei ſuaſit ſcientiam quam appeteret facilè ex aſtrorum inſpectione comparari poſſe, & pręſertim ex illarum dignitatū obſeruatione, quas Hylech, & Alchochoden Mathematici deinceps appellauere; quarumque ſignificationem, & vim à me nuper elegantiſſimâ tuâ epiſtolâ quæſiuiſti. Ad ſignificationem quod attinet, neſcio, quomodo in hominum geneſi, præter figmenta varia, duos etiam quaſi præfectos Aſtrologi ſomniarint: alterum vitæ, quem vocant Hylech, alterum annorum, quem vocant Alchochoden. Priorem dignitatem, ipſis authoribus, ambiunt Sol, Luna, Pars fortunæ, Gradus Aſcendentis, Luminarium coniunctio, aut oppoſitio, Natiuitatem præcedens: horum enim ſingulis, dūmodo nihil impedimento ſit, cō-

Hylech, & Alchochoden quid ſint. Lege Iulium Firmicum lib. 1. Inſtit. Math. Alcabit differ. 4. & Albumaſar lib. de Hylech, & Alchochoden.

cedi poſſe arbitrantur. Poſteriorē verò in eum planetā conferunt, qui ad locum Hylech radios ſuos proiecerit, ibique dominatum aliquem obtinuerit. Si fuerit Hylech in aliqua domorum Natiuitatis optimè collocatus, benigniſque radiorum iaculationibus affectus; promittunt ei, qui natus eſt, optimam corporis conſtitutionem, vitamque diuturnam: ex diuerſo corpus imbecillum, ac debile, multis infirmitatibus obnoxium, breuique temporis ſpatio periturum. Ab Alchochoden accipiunt annorum vitæ numerum; dicuntque planetam quemlibet conferre annos ſuos aut maiores, aut medios, aut minores, prout in Natiuitatis figura benè, vel malè collocatus fuerit. Fingunt, maiores annos Saturni eſſe 57. medios 43. cum dimidio, minores 30. Annos maiores Iouis eſſe 79. medios 45. cum dimi-

dio, minores 12. atque de cæteris, vt in eorum tabulis legere eſt. Ex felici igitur, aut infelici ſtatu Alchochoden, quot quiſque annos viuere debeat, ad vnguem ſe prædicere poſſe profitentur. Atque hæc de ſignificatione. Quod verò attinet ad horum præfectorum vim, & efficacitatem, paucis expediam: puto enim, vanum, & maximè abſurdum eſſe, exiſtimare, à planeta, vel à gradu, & multò magis ab aliqua Signorum diſtantia, vitæ noſtræ diuturnitatem, aut breuitatem pendêre. Namque ſi cauſam interiorem quæras, à bona, vel mala corporis habitudine pendet; ſi exteriorem, à diuina voluntate. Demus aliquam planetarum coniunctionem, aut alium quemuis aſpectum, eo tempore, quo quis naſcitur, talem poſſe in aëre affectionem inducere, vt inde bona, aut mala corporis habitudo oriatur; nemo

tamen ſanæ mentis eò adduci poterit, vt exiſtimet priuatum planetam, ob dignitatem aliquam in natiuitate adeptam, poſſe nato homini tot annos, non plures, nec pauciores tribuere. Quonam enim innixi fundaméto Aſtrologi hæc definierunt? Vndenam didicerunt, annos Saturni maiores eſſe 57, Iouis 79, Martis 66, cæterorumque planetarum ſuos cuiuſque præfinitos annos? Ad hæc quam vim habere poteſt, hominis vitam minuendi, vel producendi, gradus ille Zodiaci, ſub quo luminarium coniunctio, vel oppoſitio contigerit? Sanè gradus ille aſtrum non eſt, ſed particula quædam primi mobilis, arbitrio noſtro diuiſi, atque adeò quantitas, quæ, vt quantitas eſt, efficere nihil poteſt. Deinde Pars illa fortunæ, quæ non eſt aliud, quàm certa quædam ſolis à luna diſtantia, quemadmodum poterit in corpus

humanum quicquam inſtillare, cuius vi, ac dominatu illud robuſtum, vel debile atque infirmum reddatur? Profectò mera hæc delirame͂ta ſunt, & inuenta Diabolica, iis non diſſimilia, quæ in Nomandia, & Geomantia diſciplina paſſim traduntur: harum ſiquidem nugarum autores, præter omnem rationem, aiunt, literam A, vim habere in numeris ſignificandi 13. B, 9. C, 27. Rurſus figuras, quæ in ſuperiore parte punctos habent impares, infortunatas eſſe, vt Caudã Draconis, & damnũ; quę verò pares, fortunatas, vt Caput Draconis, & quæſtum denuntiare, aliaque huius generis figmenta. Sed redeamus ad Hylech, & Alchochoden, de quarum dignitatum vanitate, vt multa interim prætermittam, ſatis ſuperque conſtat vel ex ſola Aſtrologiæ prudentum conte͂tione: tanta enim ſunt hi omnes in varie-

tate & diſſenſione verſati, vt longum & alienum ſit ſingulorum dinumerare ſententias. Nam alium modum præſcribit Ptolemæus in eligendis hiſce præfectis, alium Dorothius, alius Albategnius. Ægyptij, Arabes, Indi ſuas quique regulas in medio ponunt: denique quot ſunt capita, tot ſententiæ. Heic ſilentio minimè prætereundum cẽſeo, quod Aſtrologorum temeritatem planè coarguit, primos videlicet parentes noſtros, vt in diuinarum hiſtoriarum monumentis relatum eſt, ad ſeptingentos, octingentos, & vſque ad nongentos annos vitam produxiſſe: quem quidem annorum numerum à nullo certè Alchochoden, etiamſi planetarum omniũ maiores annos ad calculum reuoces, & ſimul coniungas, accipere potuerunt. Nec eſt, cur dicat aliquis, ſuperiores annos hiſce noſtris longè

minores fuiſſe, adeò vt vel decem illorum vnicum è noſtris duntaxat conficiant: quoniam, vt ex ſacris literis conſtat, dierum, & horarum eadem apud veteres ratio, quæ nunc apud nos, omninò fuit. An num ſcriptum eſt, ſeptimo & decimo die
Gen. cap. 7. & 8.
menſis ſecundi, hoc eſt Aprilis, diluuium incepiſſe? Rurſus, ſeptimo & decimo die menſis ſeptimi, Arcam Noë ſuper montes Armeniæ quieuiſſe? Denique prima die menſis decimi capita montium apparuiſſe? Annus ergo, paucis interiectis, menſis atque dies vniuſmodi sẽper fuit; veriſſimúmque eſt, veteres illos Patres longiorem vitam vixiſſe quàm nos, qui grauiorum peccatorum rei ibi viuere deſinimus vnde ipſi ferè vitæ primordium ducebant. Sed fortaſsè nondum eo tempore inuenta erat dignitas Alchochoden, quam plani homines ſtultè & perperam ex-

cogitarũt. Pluribus hac de re tecum non agam: noui enim quàm ſis ad pietatem erga Deum propenſus, vt mihi propter eà refellendis his plura verba inſumenda non ſint. Vale, & Octauianum noſtrum meo nomine ſaluta. Patauij, VI Id. Iul. M. DCXVIII.

Ioanni Pagnono, Cathedralis Venetiarum Eccleſiæ Archidiacono

EPISTOLA VI.

Partem fortunæ, atque adeò reliquas omnes, quibus in eorum iudiciis Aſtrologi vtuntur, pura figmenta eſſe.

QVÆ ſcripſi de Parte Fortunæ, Joannes Pagnone, tametſi videntur tibi Aſtrologis aduerſari, nõ ſunt tamen à Philoſophia, vel à recta ratione aliena. Quod quidem tibi perſpectiſſimum fiet, ſi quæ-

cumque in vtramque partem affe-runtur in medium, diligenter conſi-derauerimus. Pars Aſtrologis nihil eſt aliud, quàm tanta diſtantia ab Horoſcopo ad locum in cælo ſigna-tum, quanta eſt inter duos planetas, à quibus extrahitur. Numera, in-quiunt, gradus, qui inter vnum pla-netam, & alium intercipiuntur, to-tidemq; ab Aſcendẽte; & vbi termi-nabitur numerus, ibi erit pars quæ-ſita. Hoc igitur punctum, in cælo, ſeu in figura Natiuitatis repertum, atque ſignatum, nonnulli Partem, alij locum, alij ſortem appellare con-ſueuerunt; illudque tanquam aſtrũ quoddam obſeruandum eſſe duxe-runt. Cùm enim duo planetæ vnam, eandemque rem ſignificant, vt exẽ-pli gratia, vitam, mortem, itinera, fratres, & id genus alia; putant ipſam illam rem ſignificari quoque à di-ſtantia, quæ inter duos illos planetas

reperitur: quandoquidem horum virtutes in ea Cæli parte copulantur, vbi gradus Aſcendentis deſinit, à quo diſtantia ſumitur. Porrò inter partes innumeras, quæ ab Aſtrologis ſtatuuntur, illa, quæ Fortunæ dicitur, principem locum tenet; hancque ſolam Ptolomęus, cæteris poſthabitis, amplexatus eſt; ſemperque tam in diurna, quàm in nocturna Natiuitate, à ſole in lunam accipiẽdam eſſe decreuit. Partem hanc Lunæ Horoſcopum Ptolomęus appellauit, ea potiſſimùm ratione ductus, quam Bellantius animaduertit. Cùm enim Sol, planetarum facilè princeps, tanquam cor ſit animalis cæleſtis, vim ſuam ad omnes cæli partes, atque adeò ad Horoſcopum ipſum tranſmittit. Cúmque Luna, autore Ariſtotele, ſit quaſi alter Sol; neceſſe eſt, vt ipſa quoque alterum quaſi Horoſcopum habeat,

Lib. 4. de Gen. animal. cap. vlt.

cum quo propriam virtutem communicet: hic autem Horoſcopus eſt locus ille, qui tantum abeſt ab Oriente, quantum Sol diſtat à Luna. Cæterùm vt Horoſcopo Solis animi noſtri ſortem, & earum rerũ, quæ ſunt intra nos; ita Horoſcopo Lunæ ſortem fortunarum, atque illarum rerum, quę ſunt extra nos, Aſtrologi tribuerunt: hincque factum eſt, vt locum hunc, ad quem luna, tanquam ad Horoſcopum, ſuam facultatem tranſmittit, Partem fortunæ paſſim appellarint. Poſt Ptolomęum, Hermes Ægyptius, Aſtrologus inſignis, non modò Solis, & Lunę Horoſcopos, verumetiã cęterorum planetarum, conſiderandos eſſe putauit, atque adeò quot ſunt planetę, totidem eſſe partes aſſeuerauit. Paulus Alexandrinus, referente Pico, Planetarum partibus quatuor rerum partes adiecit, vide-

licet parentum, filiorum, fratrum, atque coniugij. Harum exemplo, multas deinde Arabes excogitarunt, vt mortis patris, planetę interficientis, itinerum, ſabarum, cicerum, cęparum, lentis, hordei, & alias complures: quibus recẽtiores Aſtrologi, atque in iis Bellantius, magnã fidem habendam eſſe cenſuerunt. Eorum autem ratio ea pręcipua fuit, quoniam huiuſmodi partes, ſeu planetarum Horoſcopi, nihil aliud ſunt, quàm ipſiuſmet primi mobilis portiones: quæ dum ad planetas referuntur, materiæ, & corporis rationem obtinent: ipſi verò planetę earundem quaſi formæ, & animæ eſſe dicuntur, quatenus in illis propriam vim, & facultatem imprimunt. Si petatur ab eis, quonam pacto partes iſtę in hæcce inferiora agant, reſpondent, non agere quidem motu, nec lumine, ſed defluxu, atque figurâ.

Defluxu quidem, quatenus loca illa agentium planetarum virtutem recipiunt: figura verò, quatenus diſtãtiam ſuorum principiorum quodãmodo obſeruant. Hæc ſunt quæ de partiũ origine, atque natura Aſtrologi prodiderunt. Nunc autem quãtum illa firmitatis habeant, paulò diligentiùs nobis eſt cum Philoſophis expendendum. Nemini dubium eſt, ſi quam habet orbis cæleſtis agendi virtutem, eam illum in denſiore ſui parte continere. Id', quod facilè ipſi quoque Aſtrologi concedent, qui ceterum ſignificationes non à toto cęlo accipiunt, ſed ab Oriente, ab Occidente aſtro, aut ab eodem, dum medium Cæli, aut infimum, aliumve locum tenet: aſtrum autem denſior eſt pars ſui orbis. Quomodo igitur in eo Cæli loco, vbi Partem effingũt, quædam poteſt eſſe virtus, cùm nullum ibi ſit aſtrum infixum? Per im-

preſſionẽ, inquiunt, quatenus in ea Cæli parte planetarum virtus imprimitur. O inſignem dementiam! Totum igitur Cęlum plenum erit vbique partium, nec minus contrariis affectionibus obnoxium, quàm caduca hęc, atque mortalia corpora. Fac enim, in eodemmet Cæli loco duas, tres, vel plures etiam Partes reperiri, vt Matris, Mortis, Seruorum, Amicorum, quod contingere facilè poteſt; cedo, quanta ibi erit virtutum confuſio, atque commiſtio? Aut quænam virtus inde ad nos defluet, ſi tot ſimul in eodem gradu, & minuto impreſſæ, atque coniunctę ſunt? Sed numquid & hoc ridiculum eſt, particulam Cęli, quæ ſimplex, & homogenea eſt, in hoc, vel illo gradu, atque minuto, talem agendi facultatem habere; paulò verò ante, vel poſteà non habere? Mitto maximam Aſtrologorum

diſcordiam in hiſce partibus extrahendis ; cùm hic partem vnam ab hoc planeta in illum, alius contrà ſumendam eſſe decernat: hic interdiù, noctu alius; quæ ſanè diſcordia argumentum eſt certiſſimum, partes iſtas ab eorum arbitrio pendere, nec vllâ eſſe ratione firmatas. Prætereà, vndenam didicerunt Aſtrologi, Partem, exempli gratia, mortis à Luna in gradum, atque minutum octauæ domus extrahendam eſſe, & à Saturno (vt eorum verbis vtar) proiiciendam? Quonam fundamento innixi docuerunt, planetas habere vim ſignificandi parentes, diuitias, dignitates? Sed hoc illis concedatur, num abſurdum eſt dicere, locum aliquem Cæli, quem Partem vocant, ob ſolam diſtantiam ab Aſcendente, vel ab aliquo planetarum, eandem prorſus vim obtinere? Minimè verò inquiunt: nam loca illa, ſeu Partes

agunt

agunt ratione figuræ, quam vnà cũ planetis, vel Aſcendente conſtituunt. Nouam prorſus hîc audio Philoſophiam. Figura, quæ in Cælo re vera non eſt, ſed tota (ſi qua eſt) ab anima pendet, diſtantiæ gradus numerante, vim habere poterit aliquid in rebus ipſis efficiendi? Habet quidem figura, quæ citra omnẽ intellectus operationem in materia exiſtit, vim aliquam pungendi, ſecandi, contundendi, reſiſtendi; animum autem ad aliqua flectendi certè non habet, multóque minùs ſi ea ſit cogitatione conficta. Non te igitur pudeat, tædeatque has omnes Aſtrologorum partes, tanquam inanes, vnà cum tota eorum diſciplina ſpernere atque reiicere: veritas enim autoritati prȩſtat. Quanquam etiam ſi velis auctoritatibus contendere, vtique ſuccumbes: adduxiſti enim pro tua ſententia viros barbaros, im-

peritos, circulatores; ego autem pro mea vniuerſam affero Philoſophiam. Lucium Bellantium citaſti, virum indoctum, vt abundè teſtantur quæ ſcriptione non digna reliquit, patriæ inuiſum, ciuitate pulſum, exulem, ſceleribus factiſque notatum. Ego autem in medium profero Ioannem Picum, hominem integerrimum, innocentiſſimum, religioſiſſimum, atque doctiſſimum, qui vniuerſam Aſtrologiam, & partes iſtas validiſſimè confutauit. De Pico certò ſcio tam malè non iudicabis, vt in eius ſententiam continuò pedibus eundum non eſſe velis arbitrari. Vale Patauij XIII. Kalendas Auguſti. M. DC. XVIII.

Franciſco Vianello, Sereniſſimæ Reip. Venetæ à Secretis.
EPISTOLA VII.

Planetarum dignitates ab Aſtrologis traditas, nullas eſſe.

IDEM ſentio, Vianelle doctiſſime, de planetarum dignitatibus, quod de tota diuinatrice Aſtrologia, hoc eſt vanas eſſe, ſponteque ac perperam ab Aſtrologis confictas eſſe. Acerbum hoc fortaſſe tibi videbitur, qui vt in plerisque diſciplinis exercitatus es, ita te penè totum Aſtrologiæ dediſti: attamen, ſi mecum liberè philoſophari volueris, non dubito, quin, vetere opinione depoſitâ, rei veritatem ſis facilè conſecuturus. Conſideremus, obſecro, planetarum dignitates præcipuas, atque illarum originem ſin-

gillatim penſitemus: hinc enim perſpicuum nobis fiet, ſintne illæ ad rationem, an potiùs ad libidinem excogitatæ. Planetarum dignitates præcipuę, & illę quidem ſimplices, vt optimè noſti, quinque ſunt, Domus, Exaltatio, Triplicitas, Terminus, Facies: ita Aſtrologi appellare ipſas conſueuerũt, ne ab eorum vocabulis recedamus. Domum appellant locum, naturæ cuiuſcunque planetæ maximè congruentem, vbi ſcilicet planeta maiorem vim, ac poteſtatem exercet. Cùm autem tot ſint cæleſtes domus, quot ſunt Zodiaci ſigna, planetę verò tantummodo ſeptem, vbi primùm Soli, & Lunæ, tanquam principibus planetis, ſingularem ac propriam cuique domum aſſignarunt, reliquis deinde, vt diù, noctuque commodam habitationem haberent, binas cuilibet conceſſerunt. Attende quęſo

rationem. Ex duodecim ſignis Zodiaci, duo, inquiunt, cęteris potentiora, & efficaciora comperta ſunt, cùm propiùs ad verticem noſtrum accedunt, vt potè in quibus ſol apud nos calorem maximum excitat: ea autem ſunt Cancer & Leo. Hęc igitur ſigna, tanquam apta & accommodata domicilia luminaribus tribuerunt. Soli quidem Leonem, cùm ſit ſignum igneum, maſculinum, diurnum. Lunæ verò Cancrum, cùm ſit aqueum, fœmininum, nocturnum. Mercurio, quoniam Lunę proximus eſt, & Solem ſemper comitatur, cùm ab eo nunquam plus gradibus 28. recedat; idcirco Geminos, & Virginem, tanquam conuenientes domos aſcripſerunt: hoc enim ſignum Leoni, illud verò Cancro proximum eſt, quę luminarium regię ſtatuuntur. Veneri dederunt Taurum, & Libram, quia

hęc ſigna ſexangulari radio luminarium domos aſpiciunt, quorum Venus amica eſt. Mitto cęterorum planetarum domos, cùm in tabulis aſtrologicis ſatis manifeſtę ſint. Cęterùm vt in propriis domibus planetę vim maximam habent, ita in ſignis oppoſitis, ex Aſtrologorum doctrina vehementer debilitantur, damnumque maximum patiuntur, vt Sol in Aquario, Luna in Capricorno, Saturnus in Leone, & Cancro, & eodem modo de reliquis. Secunda dignitas eſt, vt ipſi aiunt, altitudo, ſeu exaltatio: quâ dum planeta præditus eſt, quaſi quodãmodo exultat, cùm reperiatur in ſigno, ad propriam vim exercendam idoneo; tuncque in aëre, cæteriſque rebus manifeſtas mutationes facit atque producit. Dicunt igitur, Solis exaltationem eſſe in Ariete, quia cùm hoc ſignum ingreditur, veluti læta-

tur; tuncque dies, & calor augeſcere incipit. Exaltationem Lunæ eſſe in Tauro, quia Taurus ſuccedit Arieti, & Luna ſuccedit Soli, quoniam poſt ipſum in rerum generatione ſecundum locum tenet. Saturnum docent in Libra efferri, quoniam cùm frigoris autor ſit, gaudet ſigno oppoſito altitudini Solis, qui eſt autor caloris. Venerem in Piſcibus, quoniam cùm natura ſua humorem gignat, dum ſub ſigno humido reperitur, gaudio quodammodo, atque lætitiâ perfunditur. Iouem inſuper in Cancro, Martem in Capricorno, & Mercurium in Virgine, iis rationibus, quas te apud illos legiſſe, certò ſcio. Tertiam dignitatem dicunt eſſe Trigonum, ſeu Triplicitatem. Eſt autem Triplicitas trium ſignorum copulatio, trino aſpectu ſeſe aſpicientium: in quibus vnum eſt mobile, alterum fixum,

reliquum commune. Porrò cùm duodecim ſigna ſint, quatuor conſtituunt triplicitates, quatuor elementis reſpondentes. Primam vocant igneam, ex Ariete, Leone, & Sagittario conſtantem. Secundam aëriam, ex Geminis, Libra, & Aquario. Tertiam aqueam ex Cancro, Scorpione, & Piſcibus. Quartam terream, ex Tauro, Virgine, & Capricorno. Cuique triplicitati duos dominos præficiunt, ita vt eorum alteri primum locum, alteri ſecundum aſſignent. Igneæ triplicitatis primum dominum dicunt eſſe Solem, ſecundum verò Iouem, ſi tamen Natiuitas, aut reuolutio diurna ſit: rem autem oppoſito ſe habere modo, ſi nocturna. Arabes, tam diù, quàm noctu, huius triplicitatis dominatus Martem quoque aut Saturnum participem faciunt, à quibus tamen Ptolomæus diſſentit, ſicut

Ptolomæus lib. 1. quadr. cap. 19.

Arabes in dominis triplicitatum diſſentiunt à Ptolom. Vide Alcabitium differētia prima & tabulas Girelli.

etiam in aliis triplicitatibus, vt apud ipſos videre eſt. Termini, ſeu fines planetarum, ſunt certi gradus ſignorum, in quibus planetæ dignitatem quandam, & quaſi prærogatiuam habere dicuntur. In ſtatuendis autem planetarum finibus nõ conſentiunt Aſtrologi: alios enim poſuerunt Chaldæi, alios Ægyptij, alios Ptolomæus. Afferam exemplum terminorum Ægyptiorum, quibus maior Aſtrologorum pars ſubſcribere videtur. Signi Arietis gradum 6. Ioui quodammodo conſecratum eſſe dixerunt, Veneri 12, Mercurio 20, Marti 25, Saturno 30, atque ita in reliquis ſignis. Facies eſt vltima dignitas, cuius inſtitutio huiuſmodi fuit. Cùm ſignũ quodlibet 30 gradus cõtineat, vnumquemque in tres partes præcipuas diuiſerunt, quas decanos, ſeu facies appellarunt, eiſdemque diſtinctos dominos præfecerũt. Pri-

mæ igitur faciei Arietis præeſſe Martem aſſerunt, Secundæ Solem, Tertiæ Venerem, atque ita de aliis. Curſim hæc dicta ſint, ſed tamen ſatis ad Aſtrologorum nouitia inuenta, eademque ordine refellenda. Quod ad domos attinet, ſi Zodiaci ſigna, quæ tanquam planetarum regiæ ab Aſtrologis ſtatuuntur, aſtra aliqua, aut ſidera eſſent; adduci facilè poſſem, vt exiſtimarem, aliquam eis vim aduenire, dum ſignis illis directè ſubiiciuntur. At verò quidnam aliud ſunt Zodiaci ſigna, quàm æquales primi mobilis partes, & illæ quidem ſimplices, ac vniuſmodi? Hanc autem Cæli partem, tanquam propriam domum, Soli adſcribere, illam Lunæ, aliam Saturno, & reliquas cæteris planetis, in quibus veluti canes in latibulis ſuis, maiorem agendi vim, ac poteſtatem exerceant, nonne illud inſanire eſt? Admitto quidem

ab vnoquoque planeta, præter motum, & lucem, vniuerſalem etiam vim in hæc citima defluere: quæ tamen propriæ cuiuſque naturæ, non item loco, & ſitui refertur accepta. Habet Sol, exempli gratia, vim calefaciendi, aurique producendi: in quacunque Cæli parte reperiatur, eâdem ſemper & æquali virtute pollet, quoniam illam habet ex ſeſe. Quòd autem in hoc ſigno magis, in illo minùs calefaciat, hîc aurum gignat, ibi non gignat; id variæ locorum, atque materiæ affectioni tribuendum eſt, non quòd ipſe maiorem agendi vim aut acquirat, aut amittat. Cancrum, & Leonem inter principalia ſigna enumerant, quia cùm ad verticem noſtrum accedunt, ſol maximum apud nos calorem parit. Hîc in primis illud conſtare velim, Cancri, Leonis, cæterorumque ſignorum nomine,

Aſtrologos omnes, qui Ptolomęum ſecuti ſunt, ſolas primi mobilis partes, non etiam imagines, more Chaldæorum, intellexiſſe; alioquin plura eſſent ſigna, quàm duodecim, nec illa quidem planetarum domibus reſponderent. Nunc quærerem libenter ex illis, cur non etiam in principibus ſignis Capricornus, & Aquarius numerantur, quia, Sole ſub illis exiſtente, vehementiſſimus calor apud Antipodas noſtros excitatur? Profectò ſi pars ſuperior inferiore dignior eſt, ſignis illis omninò principatus deberetur, cùm partem Auſtralem ſuperiorem eſſe, Borealem verò inferiorem, naturali ratione Ariſtoteles demonſtrauerit. Sed illud planè riſum mouet, Soli Leonem, Lunæ Cancrum, tanquam regias Aſtrologos aſcripſiſſe. Quam, obſecro, rationem afferent huiuſce diſtributionis? *Sol*, inquiunt, pla-

neta maſculinus eſt, calidus, diurnus; ideò ei debetur ſignũ Leonis, quod eſt maſculinum, calidum, diurnum: Luna verò planeta eſt fœmininus, humidus, nocturnus; ideò ei debetur ſignum Cancri, quod eſt fœmininum, humidum, nocturnum. Quid tibi videtur, Vianelle, numne rem acu tetigerunt? Nempe hæc Aſtrologorum magna poteſtas, atque autoritas ſumma eſt, vt tam ſigna, quàm planetas ſexu diſtinguãt; hos autem maſculos, illos fœminas ipſi appellent. Qua verò tandem notâ Solem maſculum, Lunam fœminam eſſe cognoſcunt? Fortaſſe an è Grammaticorum articulis? Nihilo igitur magis erit ſol maſculus, quàm currus; & Luna fœmina, quàm platea. At verò in ſignis quemadmodum ſexus intelligetur? Arietem vocant maſculum, Taurum fœminam, & ſic alternatim, quia ſcilicet maſcu-

li fœminarum ſocietate oblectantur. Audiſtin maiorem dementiam? Si Zodiaci ſigna, vt iam dictum eſt, nil aliud ſunt, quàm primi mobilis partes pro arbitrio noſtro diuiſæ, quænam tanta in illis poteſt eſſe varietas, vt huic maſculi vis, illi fœminę imbecillitas tribuatur? Ad qualitates Aſtrologi confugium facient quas ineſſe ſignis & planetis eſt in confeſſo: maſculum enim ſignum illud appellant, quod calidum, & ſiccum, aut ſaltem calidum, & humidum eſt: illud verò fœminam, quod oppoſitas in ſe continet qualitates. Ideóq; Leonis ſignum, quod igneum eſt, maſculum dicũt, & Soli tribuunt. Cancri verò, quod eſt aqueum, fœminam vocant, & Lunæ aſcribunt. Non eſt certè hęc mathematica demonſtratio, qua ignotum per ignotius probare nituntur: non enim magis mihi conſtat Leo-

nem ſignum eſſe calidum, & ſiccum, quàm maſculinum; aut Cancrum eſſe frigidum, & humidum, quàm fœmininũ. At terra exæſtuat, inquiũt, cùm Sol eſt in Leone. Quid mirum, riget ne fortaſſe, dum reperitur in Cancro? Non eſt ſigni natura, quæ calorem gignit, ſed Solis vicinitas, & ſitus: mirabile certè eſſet, duas Cęli partes, maximè propinquas, videlicet vltimum gradum Cancri, & primum Leonis, ità ſe habere, vt altera frigida, & humida, altera verò ſicca, & calida eſſet. Quòd ſi contendant à natura ſigni calorem proficiſci, cur non etiam Capricornum, & Aquarium calida ſigna, atque adeò maſculina vocant, ſub quibus Sol apud Antipodas ingentem calorem exſuſcitat? Miror certè, cur duplicem non condiderint Aſtrologiam, alteram, quę Auſtralibus, alteram, quæ Borealibus

inſeruiret. Quid dicam de planetarum detrimentis? Solem in Aquario, Lunam in Capricorno langueſcere mirum in modum, atque debilitari docent. Quid? Caret fortaſſe Sol calore, aut lumine, dum eſt in Aquario? Demitur ne aliquid de ſubſtantia Lunę, dum eſt in Capricorno? Profectò eadem ſemper eſt Luna, idem Sol, & cùm perpetuò circum terram voluantur; eorum tantummodo ſitus variatur: qualis ergo nobis eſt Sol in ſignis Borealibus, talis eſt Antipodibus in Auſtralibus; ſic Luna, cæterique planetæ. At inquiunt, eorum ſaltem defluxus imminui, cùm detrimentum patiuntur; quia tunc inimicas domus occupant, ſuæque naturę penitus aduerſantes. Ego autem libenter ſcirem, quiſnam fuerit autor huius inimicitię? Vnde tanta hæc in partibus primi Cæli varietas, & diſſimilitudo,

tudo, vt vna vni planetæ amica, altera alteri inimica ſit? Philoſophi, atque præſertim Peripatetici cæleſtiũ corporum naturam optimè contemplantes, communi conſenſu decreuerunt, ne pugnantiam quidem vllam in illis ſtatuendam eſſe, cùm immortalia ſint; & Aſtrologi temerario auſu inter illa inimicitias poſuerunt? Cùm huiuſce rei ſolidam rationem attulerint, polliceor, illis me libentiſſimè ſubſcripturum. Iam veniamus ad ſecundam dignitatem, quam altitudinem, ſeu exaltationem appellant. Audiui frequenter ab Aſtronomis, tunc efferri planetam, cùm apogæum tenet, quia in ſuperiore parte ſui epicycli reperitur, atque à centro mundi quàm maximè diſtat. Eſſe verò aliquod ſignum cæleſte, ſub quo planeta, quaſi lætitiâ geſtiens, vim ſuam impenſiùs exerceat, rem commentitiam

arbitror, atq; omni penitus ratione deſtitutam. At id comprobat, inquiunt, experientia: cùm enim Sol ſub Ariete mouetur, eius ſtatim agendi vis in actum erumpit, nobiſque incipit apparere: ideò Ptolomæus, & cum eo Aſtrologi plerique omnes decernunt, Solem ab eo ſigno vim quandam recipere, atque in eodem dignitatem aliquam, & quaſi prærogatiuam obtinere. Tuũ erat iudicare, Vianelle, quàm verũ ſit huiuſmodi pronuntiatum, quantæque ſint Aſtrologorum argumentationes. Non eſt ſigni natura, aut qualitas, ait Picus, quæ id efficiat, ſed ſitus. Ideò Sol in Ariete incipit nos calefacere, non ob Arietis qualitatem, quæ nulla eſt, ſed quia ſenſim ad nos accedit, & radios minùs obliquos iacit. Lunam præterea efferũt in Tauro, quia ſi cum Sole in Ariete copuletur, nobis in Tauro apparere

incipiet. Sed cur hanc ipſam altitudinis dignitatem non poſſidet in Geminis, in quo quidem ſigno itidem apparebit, ſi cum Sole coniungatur in Tauro? Trigonos quoque & Trigonouatores, vel, vt ipſi dicunt, Triplicitates, & earum dominos mera figmenta eſſe autumo. Nō enim ſatis capio, quonam pacto diſtinctis Cæli partibus elementares qualitates tam appoſitè tribuantur, vt vna ignea ſit, nempè Aries, altera terrea, vt Taurus, tertia aëria, vt Gemini, quarta aquea, vt Cancer, & eodem modo de reliquis. Si ſigna in primo Mobili nulla ſunt, quomodo habent huiuſcemodi qualitates? Si Cancer, & Leo proxima ſigna ſunt, & Sol ſub ambobus exiſtens, maximè vrit, cur hoc igneum, illud autem aqueum? Cur non etiam ſignum Aquarij, perinde ac Leonis, igneum faciunt; cùm Sol ſub eo ha-

bitatores oppoſiti Tropici maximè calefaciat? At Aquarius ſignum eſt aërium, ait Alkindus, quia cum reliquis ſignis eiuſdem naturæ, videlicet Geminis, & Libra, trigonam radiationem habet. Sed eodem planè recidimus: quæram enim ſubinde, cur Gemini, & Libra aëria ſigna dicuntur? Pendet fortaſſe aëria ſignorum qualitas à trigona radiatione? Trigonum, quâ trigonum eſt, actionem phyſicam nullam habet, vt cõcors eſt Philoſophorum aſſertio: radiatio verò quænam eſſe poteſt inter cæleſtia ſigna, quæ neque ſidera ſunt, neque aſtra, ſed ſimplices Cæli partes pro arbitrio noſtro diuiſæ? Rectiùs aliquanto Abraham Iudæus ab effectis in cælo animalibus ſignorum naturas, & qualitates deprompſit: vt Cancrum, *Scorpionem*, Piſces ideò frigida, humidaque ſigna vocauit, vt verbi gratiâ, quo-

niam animalia illa, quorum nominibus cẽſentur, quorumq; effigiem repræſentant, aquatilia ſunt. Si quas plani homines confingunt, in cælo eſſent imagines, non eſſet prorſum intolerabilis hæc opinio: ſed quàm vanum ſit, animalium veras imagines in firmamento ſtatuere, puto iam, doctis quibuſque viris compertiſſimum eſſe. De Trigonocratoribus autem quid dicemus? Igneæ Triplicitati interdiù præeſſe Solem aſſeuerant, noctu Iouem, Martem verò, aut Saturnum vtriuſque dominatus participem faciunt. Nunquid hoc eſt ad libidinem loqui? Admiranda quædam dicere, eorum autem quæ dicuntur, nullam reddere rationem, apud me quidem effutire eſt. Quartam dignitatem, quæ ad planetarum terminos pertinet, vel ſola Aſtrologorum diſſenſio, qui tam variè de iis ſunt locuti, falſam

atque penitus inanem eſſe demonſtrat. Quibuſnam igitur ſubſcribendum erit; Chaldæisne, Ægyptiis, an Ptolomæo? Si in cęlo ſigna nulla ſunt, ſi gradus arbitrio noſtro numerati, ſi cælum vbique homogeneum eſt corpus, atque vni⁹ rationis, quomodo planetarum vires ſub hac aut illa parte ita augeri poſſunt, vt impenſiùs & efficaciùs in ſibi ſubdita corpora agant? Nonne ſtultum eſt dicere, Iouem in quinto gradu Arietis nullam vim habere, & tanquam peregrinum in aliena domo commorari: in ſexto verò tantùm vim acquirere, vt viro, inter parentes & cognatos exiſtenti, ſimilis eſſe dicatur? Quinta denique dignitas, quæ Facies appellatur, eadem pene ratione conuellitur: quemadmodũ enim Aſtrologi arbitratu ſuo totum cæli circuitum in duodecim ſigna, ita ſignum quodlibet modò in triginta

gradus, modò in tres facies, ſeu decanos diuiſerunt, & ſuum cuique dominum præfecerunt. Si quæſiueris ex eis, cur primum decanum Arietis Martem conſtituerint, obmuteſcent: nullam enim eius rationem reddere poterunt. Si Arietem dixerint Martis domicilium eſſe, cur ergo primum Leonis decanum Saturnum, & non Solem; cur primum decanum Sagittarij Mercurium, nõ item Iouem ſtatuerunt? Si tria hæc ſigna ad igneam Triplicitatem pertinent, & ideò Martem primum Arietis decanum nominarunt; cur non etiam primos Leonis, & Sagittarij decanos calidos, & ſiccos planetas eſſe decreuerunt? Mitto Aſtrologorum diſſidium in hiſce magiſtratibus creandis, & declarandis, fabuloſamque Perſarum doctrinam de diuerſarum imaginum ortu, in ſingulis faciebus; cùm ex iis, quæ an-

tè dicta ſunt, iam tibi ſatis perſuaſum eſſe arbitrer, has omnes planetarum dignitates commentitias eſſe, nullaque prorſus ratione confirmatas. Vale, Patauij, Idibus Decembris M. DCI.

Franciſco Vianello, Sereniſſimæ Reip. Venetæ à Secretis.

EPISTOLA VIII.

Aſtrologorum doctrinam de planetarum Aſpectibus nullo eſſe fundamento innixam.

NON is ſum, Vianelle, qui mihi perſuadeam, aut cui tu perſuadere facilè poſſis, me vnicâ epiſtolâ eruditum hominem, atque in Aſtrologica diſciplina iam diu verſatum, ab inueterata, animoque infixa opinione reuocaſſe: ſatis mihi ſuperque feciſſe viderer, ſi eam, quã

de planetarum dignitatibus ſcientiã appellabas, vel in opinionem vertiſſem. Nunc de Aſpectibus quid ſentiam, nouâ epiſtolâ quæſiuiſti, fortaſſe de mea conſtantia in reprobandis Aſtrologorum figmentis periculum facturus. Eundem heic me habebis, æquè aſpectibus, ac dignitatibus inimicum: neque enim Martis tetragonum, aut Saturni diametrum timeo: planetarum nemini iniuriam feci, vt mecum agat inimicè: omnes beneuolos arbitror, omnes amicos; ideò ſententiam meam aperire liberè non verebor. Planetarum aſpectus, qui nihil aliud reuerâ ſunt quàm eorumdem radiationes, aut ad ſeipſos, aut ad aliquas cæli partes, nihil boni, vel mali portendere cenſeo, nec (ſi varias Lunæ ad Solem rationes excipias) vllam habere vim inferiora hæc corpora afficiendi, ſed mera eſſe Aſtrologo-

rum commenta, atque inanes eorũ obſeruationes. Id me facilè probaturum confido, ſi priùs, qui, qualéſue ſint huiuſmodi Aſpectus conſtiterit inter nos. *Si* generatim loquamur, quinque ſunt planetarum Aſpectus ab Aſtrologis poſiti, coniunctio, ſextilis, quadratus, trinus, oppoſitio. Dixi generatim, quoniam propriè coniunctio aſpectus non eſt. Coniunctionem vocant duarum ſtellarum in eadem cæli parte congreſsũ: vt *S*olis & Lunæ in eodem gradu Arietis, Tauri, vel aliorum ſignorum. *S*extilis eſt diſtantia ſtellarum per circuli ſextantem, quippe quæ duo ſigna, hoc eſt gradus ſexaginta complectitur: vt ſi *S*aturnus eſſet in Ariete, & Iupiter in Geminis, vel in Aquario, hi duo planetæ ſextili radiatione ſe aſpicerent. Quadratus eſt diſtantia ſtellarum per quartam Zodiaci partem, tria ſigna continentẽ:

vt ab Ariete ad Cancrum, vel ab Ariete ad Capricornum. Trinus eſt diſtantia ſtellarum per tertiam circuli portionem, in qua ſigna quatuor numerantur: vt ab Ariete ad Leonem, vel à Leone ad Sagittariũ. Oppoſitio eſt diſtantia ſtellarum per circuli medietatem, ſex ſigna comprehendentem: vt ab Ariete ad Libram, à Cancro ad Capricornum. Synodum, Hexagonum, Tetragonum, Trigonum, Diametrum Græci hos aſpectus appellant. Porrò Aſtrologi, vt hinc quoque diuinandi aliquam occaſionem captarent, radiationes huiuſmodi ſuis quaſque viribus, & qualitatibus exornarunt. Coniunctionem natura ſua indifferentem dixerunt, vt potè quæ à planetis denominationem accipiat; bonorum namque coniunctio, iiſdem autoribus, bona eſt, malorum mala: vtcumq; autem ſe habeat, omniũ

radiationum validiſſimam putant. Sextilem aſpectum vocant imperfectæ amicitiæ, quia fit ex ſignis, ſexu, & natura conuenientibus: vires tamen aiunt debiles valdè, ac imbecilles habere. Quadratum appellant radiationem mediocriter malam, hoc eſt imperfectæ inimicitiæ, cùm ex ſignis conſtet, ſexu, atque natura diſſidentibus: vt autem mediocriter mala eſt, ita mediocrem habet agendi vim. Trinum cenſent optimum eſſe aſpectum, atque perfectæ amicitiæ, quòd ex ſignis, ſexu, & natura congruẽtibus conſurgat; æqualiſque roboris cum quadrato. Oppoſitionem denique maximè noxiam radiationem arbitrantur, hoc eſt perfectæ inimicitiæ, (id, quod nomen ipſum indicat) atque ſecundùm coniunctionem omnium robuſtiſſimam. Nunc rem totam, ſi placet, intentiùs pertractemus, & à coniun-

ctione exordiamur. Radiationum omnium hanc validiſſimam putant, ob luminum congreſſus, atque multiplicationes. Hoc ego arbitror, nõ eſſe perpetuum, nec planetis omnibus conuenire. Fac enim, Lunam cum Mercurio coïre, tantùm abeſt, vt radiatio multiplicetur, vt potiùs Lunæ interpoſitu, quæ eſt corpus opacum, luminis defluxus à Mercurio in regionem elementarem, impediatur. Prohibet quandoque Luna lumen Solis, vt in perfecto coitu cum eo, atque in linea, quam vocant Eclipticam; multò ergo magis Mercurij lumen, aut aliorum planetarũ excludere valebit, cùm omnes planetæ eclipſim aliquã perpeti poſſint. Si tãti roboris eſt cõiunctio, quà cõiunctio eſt, profectò quò arctior erit, eò maioris roboris eſſe debebit, vt in ecclipſi accidit; & tamẽ rẽ aliter ſe habere, nemo eſt qui neſciat. Sed

mittamus hanc perfectiſſimam planetarum coniunctionem, quæ eſt in ſigno, gradu, atque minuto; conſideremus reliquas, quæ ſunt in ſignis tantùm. Has ad bonum, & malum indifferentes appellant Aſtrologi, prout ad bonos, vel ad malos planetas pertinent. Ego in primis nullum malum planetam reperio, ſed omnes arbitror bonos à Deo Opt. Max. fuiſſe creatos, iuxta illud Diuinæ Scripturæ, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Sed ſint planetæ boni, vel mali; eo ſenſu, quem Aſtrologi dicunt, quia ſcilicet temperatam, aut immoderatam vim habent; calorem, frigus, alioſque humores excitandi; quomodo verum erit illud quod dictitant, bonorum coniunctionem bonam eſſe, malorum autem malam? Si rem diſpicias, contrà ſe omninò habere facilè intelliges. Namque ſi Iouem, &

Nullus planeta eſt malus. Geneſ. cap. 1.

Venerem coniungas, cùm ambo planetæ calidi, & humidi ſint, nonne calorem, & humorem augebis? Si verò Saturnum, & Martem, cùm hic calidus, ille frigidus ſit, nonne vtriuſque ſæuitiam arcebis, & qualitatem inde temperatam elicies? Quomodo ergo coniunctio malorum mala? Veniamus ad aſpectus, ex quorum varietate aiunt Aſtrologi, planetarum defluxus immutari. Quærerē libenter ex illis, num iſtæc immutatio ex ſola diſtantia pendeat, an ex varia luminis communicatione? Horum enim alterum concedant oportet, ſi phyſicè loqui velint. Si ex ſola diſtantia, cur quò magis planetæ proximi ſunt, non eò vehementiùs inuicem agunt? Mirabile dictu. Iuppiter in Cancro, ex Aſtrologorum ſententia, Martem in Leone non afficit: eundem attingit in Virgine, atque aſpectu ſatis

Aſpectuum omniũ qualitas ex diſtãtia ſumpta reiicitur.

beneuolo fouet: fit illi inimicus in Libra: familiaritatem, atque neceſſitudinem maximam cum illo contrahit in Scorpione: in Sagittario ne aſpicit illum quidem: in Capricorno acerbè, & penitus odit? Proh Dei atque hominum fidem, quid aliud eſt hoc, niſi rerum ordinem peruertere, & nouam Philoſophiã, nullis iactis fundamentis, ædificare? Non agit planeta in aſtrum ſibi proximum, aget in diſtans? Eſt vnus planeta ſub hac Cęli parte alteri amicus, ſub illa inimicus? Profectò aut ego nihil planè capio, aut maxima eſt iſtorum ſtultitia. Recurrunt ſtatim ad variam luminis proiectionem, quo planetæ maximè agere dicuntur. Ego autem ſubinde percontabor illos, quidnam putent eſſe planetarum lumen? Corpus ne aliquod ſubtile, quod eorum corpora penetret? An quaſi liquor fluxilis
erit,

erit, qui cum alio facilè miſceatur? An aliqua potiùs qualitas, quæ corpori affixa, illud aut afficiat, aut inficiat? Sanè horum aliquid affirmare mihi videntur, cùm ſtatuerint ex varia miſtione radiorum, mutationes non paucas in planetis fieri, indéque apud nos effectus varios exoriri. In Philoſophorum autem ſcholis, à quibus & ipſi naturã luminis diſcere debuiſſent, hoc tanquam ratum habetur, lumen nil aliud eſſe, quàm actum perſpicui, & perfectionem corporis luminoſi: quamuis illud nondum ſatis definitum, ſit ne accidens, an ſubſtantia. Nos illud accipiamus, de quo inter omnes conuenit, lumen videlicet perfectionem eſſe corporis luminoſi: aut ſi nolint Aſtrologi eſſe perfectionem, vocẽt imperfectionem, quia eodem redibit ratio, eos planè coarguens. Si enim tantùm luminis, tantùm perfe-

Lumẽ quid apud Philoſophos Vide Ariſt. 2. de Ani. cap. 7.

ctionis, aut imperfectionis, bonitatis, aut malitiæ affert, nonne quò magis lumen augebitur, eò magis bonitas, aut malitia multiplicabitur? Quomodo ergo hexagonus aſpectus bonus eſt, tetragonus malus, trigonus optimus, diameter peſſimus? Sed dicant, obſecro, ſi à radiorum proiectione planetarum beneuolētia, aut odium naſcitur, quoſnam radios poterunt cæteri planetæ in Solem proijcere, qui ſplendidiſſimus eſt, & autor lucis? Quomodo Sol iniuriis affici poterit, cùm ſit Rex planetarum? Ex conſpicuis, opinor, Lunæ, Soliſque aſpectibus, qui varias in rebus hiſce inferioribus mutationes efficiunt, varietatem aſpectuum in reliquis planetis Aſtrologi acceperunt: ſed quàm grauiter hallucinati ſint, non eſt difficile oſtendere. Luna, vt te non fugit, corpus eſt ſimpliciter opacum, & omne lu-

men, quod habet, à Sole recipit: cumque ſit prope nos, mirum non eſt, ſi, pro varietate luminis, variè quoque elementarem regionem afficiat. Reliqui verò planetæ proprio lumine lucent; propterea non eam habent aſpectuum rationem, aut inter ſe, aut ad Solem, quam habent inuicem luminaria. Silente Luna, aut Soli ex diametro oppoſita, vel ab eodem tetragona radiatione affecta, mutationes varias in aëre contingere dicunt, quatenus plus humoris, vel minus ex terra, & aqua haurit. Rectè id quidem, & ſumma cum ratione. Ex aſpectu autem quadrato Martis ad Venerem, vel ex diametro Saturni ad Mercurium, aut ad Iouem, aut ad aliquam domorũ Natiuitatis, calamitates, atque pericula magna portendi, vnde id eliciãt ſanè non capio. Diſtinctis numerorum proprietatibus hanc varietatem

ſignificandi, atque item efficiendi, adſcripſerunt nonnulli, vt Firmicus. Sed à numeris naturales rerum virtutes non proficiſci, docuerunt Philoſophi omnes, qui ſolidam Philoſophiam profeſſi ſunt: quinimmò & Ioannes Picus, qui aliàs numerorum virtutum acerrimum propugnatorem ſe præbuit, id ipſum apertiſſimè confirmauit. Eandem varietatem muſicis conſonantiis recẽtiores quidam tribuerunt: ſed quàm futilis ſit eorum ratio, iam Picus ſatis dudum oſtendit. Etenim ſecunda vox à Muſicis inter diſſonantes numeratur, quemadmodum ſeptima, & vndecima. ſecundum verò ſignum, & octauum apud Aſtrologos nec conſonantiam inuicem habent, nec diſſonantiam; cùm neque bonum, neque malum aſpectum efficiant. Quænã igitur ſimilitudo eſt inter ſignorum diſtantias, & muſicas rationes?

Iulius Firmicus lib. I. Aſtrolog.

Ptolomæus, & qui eum ſecuti ſunt, ex ſignorum natura varietatem aſpectuum acceperunt; ideóque hos bonos, illos malos appellarunt, quia ex conuenientibus, aut diſcrepantibus ſignis conſtituuntur. At debilior eſt hæc ratio omnibus aliis: namque in Cælo ſigna nulla ſunt, et ſi quæ ſunt primi mobilis partes, quæ ſigna vocantur, eæ profectò nullis ſunt præditæ qualitatibus, nullo ſexu, vt iam ſuperiore epiſtolâ oſtendi. Sed fac, ibi reverâ ſigna eſſe, & illa quidẽ diſtinctis qualitatibus inſignita; attende quàm vana ſit, & fallax aſpectuum obſeruatio. Sextilem aſpectũ inter bonos numerant, oppoſitionem inter malos: expendamus quæſo ſignorum naturas. Ab Ariete ad Geminos eſt aſpectus ſextilis, ab Ariete ad Libram oppoſitio: Gemini autem, & Libra ſunt ſigna eiuſdem Triplicitatis, nempè aëriæ; quo-

modo ergo hic aſpectus eſt malus,& ille bonus, cùm ambo ex ſignis eiuſdem naturæ conflati ſint? Rurſus quæro ex illis, quænam ſigna magis diſſident inter ſe, Aries ne, & Cancer, an Aries, & Libra? Sanè ſi ſuis principiis niti velint, Arietem, & Cancrum ſigna eſſe magis oppoſita, reſpondebunt; cùm alterum ad igneam, alterum ad aqueam Triplicitatem pertineat, Libra verò ad aëriam. Si igitur à natura Signorum accipiuntur aſpectus, cur tetragonum vocant malum, & inchoatæ inimicitiæ, diametrum verò peſſimum, & inueterati odij, cùm res oppoſito modo eſſe deberet? Multò plura dici poſſent: ſed hæc arbitror ſufficere ad doctrinam Aſtrologorum, de planetarum aſpectibus, confutandam. Vale, meque, vt ſoles, ama. Patauij VI. Kalendas Ianuarij M. DCI.

Vincentio Blanco, Veneto Equiti.
EPISTOLA IX.

Neque Retrogradationem, neque Combuſtionem quicquam infelicitatis, aut incommodi planetis afferre.

REDIISSE te tandem incolumem ex Gallia, votique compotem factum eſſe, gaudeo vehementer, & tibi gratulor. Nil autem mihi iucundius accidere poterat, quàm quòd tuas literas acceperim Venetiis miſſas: ex hac enim vicinitate ſpero fore, vt neceſſitudo, & familiaritas noſtra citò renouetur, atque intermiſſa dudum à nobis Aſtrologiæ, aliarumque rerum ſtudia, crebriùs exerceantur. Philoſophi in angulis otium conſumunt, tu autem ne in itinere quidem vacare potes, cùm ſcripſeris, te Lugdu-

num proficiſcentem cum Aſtrologo quodam, de variis planetarum affectibus, & præcipuè de Retrogradatione, & Combuſtione diſputaſſe. Legi libenter Diſputationem quam ad me miſiſti: expendi rationes vtrinque, atque adprimè videor mihi ſententiam tuam cognouiſſe. Quoniam autem iſtius me controuerſiæ arbitrum adegiſti, explicabo paucis quid ſentiam, liberè tamen, vt ſoleo, ne adulationis labe fœdata ſit amicitia noſtra. Retrogradationem planetarum neque maximum arbitror infortunium, neque combuſtione maius: immò ab huiuſmodi affectibus cenſeo, planetas ne vllũ quidem incommmodũ perpeti poſſe. Ad Retrogradationem quod attinet, puto, id tibi cum præcipuis Aſtronomis conuenire, tunc planetam retrò commeare, cùm Perigæum tenet, contraque ſignorum

ordinem in inferiore parte ſui epicycli mouetur. Cùm enim planetarum ſphæræ ex tribus orbibus, æquante, deferente, & epicyclo conflatæ ſint, habet ſuum quiſque orbis motum diſtinctum, & illum quidem ad regulam factum. Hincque accidit, vt pro orbium varietate, motuumque diſtinctione, planetæ nunc progredi, interdum regredi, quandoque etiam ſtare dicantur; cùm tamen eorum curſus perennes ſint, nullo puncto temporis intermiſſo. Iam verò Aſtrologi de corporibus cæleſtibus, perinde atque de humanis, ratiocinantes, ægrotare aiunt planetam, atque debilitari, cùm retrocedit, fierique tanquam virum infirmum, ſtupefactum, ſolicitum: et ſi quod bonum antè præſtiterat, illud ſenſim, magna patientis iactura eripere, atque abducere. Similem etiam faciunt retrocedentem planetam

hominí negociatori, vrbem aliquam petenti, qui dum, ſuborto impedimento, pauliſper regreditur, quoniam ea retroceſſione à principali ſuo fine dimouetur, maius incommodum ſentit, quàm ſi per ſaxoſas, & aſperas vias iter feciſſet. Ego verò figmenta hæc omnia exiſtimo, cùm nulla ſint ratione munita. Primò quia, ſi Peripateticis credimus, corporibus cæleſtibus nullum impedimentum accidit, nulla violentia; alioqui planetas perpetuò retrocedere, atque adeò aduerſa fortuna vti, dicendum eſſet, cùm ab Oriente in Occidens, contra ſignorum ordinem, primi mobilis motu continuò voluantur. Si retrogradatio, quà talis eſt, planetas debiles, atque imbecillos reddit, cur non ſemper languent, cùm perpetuò retrogradi incedant? Tantam vim habet parua illa retrogradatio, quæ

tunc accidit, cùm in inferiore parte Orbis Epicycli mouentur; illa verò magna, atque perpetua, quæ fit primi mobilis motu, nullam habebit? Pręterea quomodo planeta retrogradus vim ſuam in agendo remittet, cùm eo tempore minùs à terra diſtet? Quantò enim agens eſt patienti vicinius, tantò impenſiùs agit, ſic docet Philoſophia, immò experientia ipſa. Denique, ſi Mars, in Aquario exiſtens, reuertatur ad Capricornum, haud certè capio, quodnam illi detrimentum retrogradatio afferre poſſit; cùm ex Aſtrologorum doctrina, in eo ſigno eleuetur, ſitque in magna dignitate conſtitutus? Non ergo retrogradatio naturâ ſuâ bonum, aut malum, fortem, aut debilem planetam facit: (qualis enim ipſe eſt, talis remanet, vbicunque ponatur:) ſed eius duntaxat vir-

tutem transfert. Mouet intelligentia quæque ſuum orbem continuo motu , æquali ſemper intenſione virtutis: hæc velociùs, illa tardiùs, hæc ab Oriente in Occidentem, illa contrà: non laborant tamen in mouendo, nec quicquam eſt, quod earum motum retardare poſſit. Ex variis itaque motibus diſtinctorum orbium, mirabili conſenſu, & harmonia factis integer quaſi motus totius ſphæræ conſtituitur, quo planeta, & terram quotidiè circuit, & modò Auſtralibus, modò Septentrionalibus fit præſens, ac denique ad Mundi centrum nunc accedit, nunc ab eodem recedit. Priuati fines varij quidem ſunt, vniuerſalis tamen vnicus, quem omnes intelligentiæ ſuis motibus aſſequuntur: ſic enim expediebat rerum vniuerſitati, vt Mundus variis defluxibus conſeruaretur; tantum abeſt, vt retrogra-

datio quicquam mali planetis, aut mortalibus afferat. De combuſtione verò pudet me certè diſſerere, & pueriles Aſtrologorum ratiocinationes in medium proferre. Combuſtum appellant planetam, cùm minus ſui orbis dimidia parte, ſiue ante, ſiue poſt à Sole diſtat: tuncque aiunt, carere viribus, ſimilemque eſſe viro ſceleribus notato, atque in carcerem detruſo. Qua ratione id affirment, prorſus ignoro: ſed puto, eos, Regum, atque Imperatorum more ſententiam dicere, quorum voluntas non ſcripta lex eſt, in primis ſummopere mihi diſplicet in corporibus cæleſtibus Combuſtionis nomen: nec ſatis capio, quonam pacto ſolares radij, qui ſalutares, atque benefici ſunt, planetas ita afficiant, vt eos infirmos, debiles, & viribus vacuos reddant. Habent ne planetæ diſtillationibus obnoxia ca-

pita, vt à radijs ſolaribus patiantur? Calefacit quidem Sol, & comburit quæcunque in hoc inferiore mundo ad eius radios excipiendos parata ſunt: ſed hoc accidit materiæ vitio. At in mundo illo ſuperiore nulla eſt materia: & ſi quid eſt, quod aliquid afficiat, illud ſanè perficit, non etiam diſſoluit. Hallucinantur quoque Aſtrologi, quoniam fortaſſe arbitrantur, planetas, ob Solis vicinitatem, lumine deſtitui, quaſi à Sole, perinde atque Luna, lumen recipiant: quod tamen quantum à ratione abſit, te non latere certò ſcio. At lumen maius, inquiunt, occupat minus, & propterea planetarum defluxus ſaltem impediuntur, dum Soli nimium appropinquant. Caueant heic Aſtrologi, ne inuicem pugnantia dicant. Coniunctionem radiationum omnium validiſſimam putant, & planetis cum Sole omninò

copulatis vires conduplicari perhibent; quomodo ergo, ſi pauliſper à Sole diſtent, eiſdem defluxus adimitur? Quod ego denique ferre nõ poſſum, illud eſt: combuſtos planetas quaſi viros infames eſſe, & viribus ſpoliatos. Bone Deus, ſi Sol tanquam planetarum Rex ab Aſtrologis conſtituitur, nunquid ratio poſtulat, vt quo magis ei planetæ ſunt in intimis, eò maiorem vim, & poteſtatem obtineant? ne Rex turpium, atque ſceleſtium ciuium ſocietatem feret? Vide igitur, quàm temeraria Aſtrologi de corporibus cæleſtibus effutiant, quantaque illis fides habenda ſit, qui inconſulta ratione ad arbitrium loquuntur. Da operam, mi Blance, veræ, ac ſolidæ Aſtronomiæ, atque iſtas Aſtrologorum ineptias, tanquam ingenij tui indignas epulas prorſus abiice: Etenim & doctior &

melior euades, ſi tempus in rebus futilibus & commentitiis non teres. Vale, ſcitoque te mihi rem pergratam facturum, ſi non patieris intermitti literas, meque ad priſtrinos labores reuocaueris. Patauij Kalendis Martij. M. DC. X.

Herneſto à Skendorf, Belgæ.

Epistola X.

Capiti, & Caudæ Draconis nullam ineſſe agendi vim; atque adeò Aſtrologorum prædictiones, ab ijs ſumptas, inanes penitus eſſe.

Vt te benè valere gaudeo, ita vehementer doleo, fratrem tuum in grauem, & nec opinatum morbum incidiſſe. Eo autem magis afficior, quod videam, ſuſpiciari te, illum aut veneno, aut vene-

ficiis infectum eſſe: nimirum quòd in eius natiuitate Mercurium te obſeruaſſe dicas vnà cum Cauda Draconis octauam domum occupantem, quod quidem exitiale ſignum eſt apud Aſtrologos. Si nullum aliud habes euidentius ſignum, præter Aſtrologorum obſeruationes, ſuſpicionem deponere facilè potes: nam vt multis in rebus circulatores iſti, ita præcipuè in iis, quæ de Capite, & Cauda Draconis conſcripſerunt, vani, & mendaces reperti ſunt. Si fuerit, inquiunt, in octaua domo Caput Draconis, coniunctum Marti, aut Mars illud tetragona, vel oppoſita radiatione affecerit; natus aut ſuſpendetur, aut capite plectetur, aut certè gladio confodietur. Vidi ego in tribus Natiuitatibus has ipſas aſtrorum conſtitutiones, & tamen noui homines illos, & moratos, & ingenuos, & probos, qui fatali ſorte

Halyaben ragel Par. 5. cap. 7.

Albubather cap. 76. ſuorum Iudiciorum.

cõſumpti ſunt. Eum prætereà, libidinoſum, & incontinentem futurum dicunt, in cuius Natiuitate fuerit Venus cum Cauda Draconis in Libra, ſine vllo Iouis aſpectu. Ego autẽ hos ſtellarum ſitus ad vnguem in multis hominibus obſeruaui, qui tamen toto vitæ ſuæ curriculo ſapiẽtes moderatique extiterunt. Alia multa de Capite, & Cauda Draconis effutiunt, quæ ſine riſu vix explicari queunt. Caput, exempli gratia, maſculinum eſſe, Fortunam, Iouis, & Veneris naturam redolere, & denique Regnum, atque diuitias multas ſignificare. Caudam contrà fœmininam eſſe, malam, Saturni, & Martis naturam participare, paupertatem, & miſerias portendere. Rurſus Caput Draconis cum bonis planetis bonitatem augere, cum malis malitiam. Caudam verò cum bonis bonitatem, cum malis malitiam mi-

Alcabitius Differ. 2.

Hermes prop. 66.

nuere. In his autem quæ ad vitæ longitudinem attinent; Caput peſſimum arbitratur, propterea quòd duodecimam partem illorum annorum imminuit, quos benigni planetæ, pro ſua liberalitate concedunt. Quid putas quæſo, Herneſte, eſſe in Cælo Caput, & Caudam Draconis? Times fortaſſe aut capitis dentes, aut caudæ venenum? Si veteribus Aſtronomis credimus, nil aliud hæc ſunt, quàm duo puncta, in quibus duo circuli, cogitatione ficti, Æquans nimirum, & Deferens in ecliptica linea ſeſe interſecant. Quoniam autem interſectionis figura in medio lata eſt, & verſus finem anguſtior; idcirco ea ipſa ab Aſtronomis Draco nuncupatur: puncta verò interſectionis, alterum caput, alterum cauda. Iam verò quidnam boni, aut mali portendere poſſunt huiuſmodi puncta, ſi nec

aſtra, nec ſidera ſunt? Qua ratione dicunt Aſtrologi, Caput in Geminis, & Caudam in Sagittario ad magnam dignitatem extolli, ſi in Cælo re vera nihil ſunt? Imagines cæleſtes quãuis ſpontè ab Aſtrologis effictę ſint; nihilominus ex ſtellis conſtituuntur, quæ habent efficacitatem agendi: his autem punctis quænam phyſica virtus ineſſe poteſt? Si Lunæ appropinquationem, aut diſtantiam excipias, quæ harum interſectionum beneficio fit, nulla profectò virtus reperietur, quæ hiſce punctis aſcribi poſſit. Cura igitur, vt frater tuus, quamprimùm remiſſam valetudinem recuperet: omneſque iſtas Aſtrologorum obſeruationes, tanquam inanes, pernicioſas, atque ad conturbandas hominum mentes inuentas, in poſterum abijce. Interim vale, meque vt ſoles, ama. Piſis, XIII. Kal. Februarij. M. DC.

Lege Abraham Aurneſtra lib. 1. Aſtrol.

Nicolao Contareno Io. Baptiſtæ filio, Patritio Veneto, Philoſopho celeberrimo, & bonarum artium cultori eximio.

EPISTOLA XI.

De *Stellarum tàm ſixarum, quàm errantium vi, & poteſtate.*

MAGNVM certè eſt, quod quæſiuiſti, Nicolaę Contarene clariſſime: ſed profectò maior eſt eruditio tua & ęloquentia, quibus hercle multò congruentiùs tantæ rei explicatio deberetur, quàm exilitati meæ. Tuum eſt docere, non doceri: neque enim me fugit, quanta celebritate in Veneta iſta Academia publicum Philoſophiam docendi munus exerceas; quamque nobili ſemper ſis audientium corona ſtipa-

tus, qui te ſuſpiciunt, admirantur, atque in Cælum ſummis laudibus efferunt. Scribam tamen te iubente, de ſtellarum efficacitate quid ſentiam: ſed ea conditione ſcribam, vt ipſe viciſſim ſententiam, quam de eadem re animo concepiſti, mihi ſignifices. Nemini dubium eſt, quin Mundus hic inferior ſuperioribus lationibus ita ſubditus ſit, vt tota eius facultas inde pendeat, quemadmodum Ariſtoteles conſtanter aſſe- Ariſt. 1. meteor. c. 2. uerauit. Neque verò ſuperioribus tantùm lationibus Mundus hic regitur, ſed etiam viribus, tùm ſeparatarum mentium, tùm corporum nobiliſſimorum. Tria igitur ibi ſunt, quibus agendi vis inſita eſt, mens, orbis, aſtrum; tria pariter agendi inſtrumenta, motus, lumen, defluxus. Motus orbibus congruit, lumen aſtris, defluxus ſeparatis mentibus. Orbes cæleſtes plures ſunt, vt Mathematici

tradunt. Aſtra innumera in firmamento infixa, quæ ſtellæ communi nomine nuncupantur: ſed præter hæc alia ſeptem, in ſuis quęque ſphęris lucentia, quæ planetæ dicuntur. Mentes, quas Philoſophi Intelligentias appellant, Ariſtotele autore, tot ſunt, quot orbes. Theologi noſtri diuino lumine illuſtrati, varia ſtatuerũt Angelorum agmina; ſed hoc impræſentiarum nihil ad nos. Nunc videndum eſt, quo pacto rerum ſuperiorum congeries, tantam elementari regioni virtutem inſtillet, vt quãuis natura ſua mutabilis ſit, & interitui obnoxia; eius tamen continuo appulſu conſiſtat, & mirabiliter ſuſtentetur. Agit in primis ſphærarum omnium ſuprema, quæ primum Mobile dicitur, dum incitatiſſimo ſuo motu, quatuor & viginti horarum ſpatio circa terram voluitur; & hac eâdem velocitate omnes ſibi

Ariſt. 12. Metaph. c. 7.

ſubditas ſphæras, tanquam pediſſequas, ſecum ducit. Agit & nona ſphæra ſuo motu tardiſſimo, quem ſpatio ſex & triginta millium annorum abſoluit. Incertum eſt, an vllum ſit in hiſce duabus ſphæris aſtrum infixum, quod à nobis, propter maximam diſtantiam, videri non poſſit. Illud autem rationi maximè conſentaneum, ab earum altera communē rerum procreationem, ab altera conſeruationem pendêre. Idcirco enim Summus Opifex huic motum tardiſſimum, illi velociſſimum conceſſit, vt & ad procreationem, & ad conſeruationem eſſent idonei. Adde etiam, ſi placet, maximo naturæ inſtituto factum eſſe: vt Primum Mobile tanta celeritate feratur, vt omnium aſtrorum facultas celeriùs, atque frequentiùs cum omnibus terræ partibus communicetur. Cæterùm quia Mundi pulchritudo in re-

rum varietate conſiſtit, ideò non ſatis eſt efficiens, quòd formam cum materia coniungat, aut rem, ex ambabus concretam, tueatur, & foueat; ſed alio præterea opus eſt, à quo tàm variæ rerum ſpecies proficiſcantur. Hoc puto eſſe Octauum Cælum, tot fulgoribus inſignitum: ſiue enim vnaquæque ſtella, ſiue plures ſimul vim habeant, ſpecies ex præparata materia educendi; illud tamen valdè probabile eſt, omnes, quotquot in rerum natura exiſtunt, ſuam illinc originem ducere. Ariſtoteles ab vno tantùm principio & ſpecierum varietatem, & rerum procreationem, & earundem conſeruationem pendere exiſtimauit: quoniam Mathematici celebres, qui eius ætate viuebant, præſertim Eudoxus, & Calippus nondum ſupra octauum Cælum orbem alium deprehenderant. Nunc autem, ex curſuum varietate,

ſupra ſtelliferum Cælum duo alij orbes reperti ſunt: obſeruatumque eſt, illud ſeptem annorum millibus ſuam conuerſionem, aut veriùs trepidationem abſoluere. Magna profectò, & incredibilis eſt vis huius ſtellati orbis in his, quæ in terris gignũtur; quod planè indicant ſtellarum varietas, magnitudo, numerus. Videas inſigniores nonnullas, & rutili ſplendoris: minores alias, modicè coruſcantes: quaſdam perexiguas, vix obtutui patentes. Omnes tamen, quæ ſub aſpectum cadunt, ex Aſtronomorum ſententia, terrę ambitum excedunt. Quot ſint, nemo nouit mortalium, dicant Mathematici quidquid velint. Quoniam verò nullum eſt in Cælo lumen, quod vim aliquam effectricem non habeat; ideò à ſtellis omnibus influere quippiam in res haſce inferiores cenſendum eſt. Hinc Aſtrologorum vani-

tas deprehenditur, qui aliarum ſtellarum lumen præter 1022. non percipientes, futura prædicere audent. Inſanire potiùs eos arbitror, quàm vaticinari: nam tametſi aliquæ ſtellæ, cum aliis comparatæ, perexiguæ videntur; eædem nihilominus præ terra magnæ ſunt, cùm illarum minimæ ſint Lunę, & Mercurio æquales, Marte verò, & Venere maiores. Huc accedit, quòd quãuis ſingulæ per ſe exiguæ ſint, multum tamen, cùm ſunt aceruatæ, proficiunt. Nec eſt, quòd dicant, ſtellis omnibus Aſtrologos vti, quatenus omnes ſub Zodiaco comprehenduntur: quoniam innumerabiles ſtellæ ſunt extra Zodiaci gradus conſtitutæ. Agunt igitur ſtellæ omnes tribus illis inſtrumentis ſupradictis, motu, lumine, atque defluxu: motus communis eſt omnium: lumen, & defluxus non item. Dubitabis fortaſſe, vtrum ſin-

gulis ſtellis ſua intelligentia præſto ſit? Negaret hoc Ariſtoteles, qui pro numero cæleſtium orbium, Intelligentiarum numerum indagauit. Theologi verò admittere facilè poſſent: cùm enim regnis, atque prouinciis, quin etiam Regibus: & Principibus Angelos pręfecerint; mirum non eſſet, ſi ex tanta Angelorum multitudine ſingulis aſtris ſingulos addicerent: vt ijs tanquam inſtrumẽtis vtentes, commodiùs, aptiúſque in res inferiores agerent. Porrò inter agendi inſtrumenta, quæ ſtellæ adhibent ad ſuam efficacitatem exprimendam, præcipuum omnium arbitror eſſe defluxum, ſeu qualitatem occultam. Namque motus nihil aliud eſſe videtur, quàm virtutis vehiculum: lumen verò, quod longè diſtat à nobis, vim habet debilem, & imbecillam. Non diffiteor, ſiderum nocturnis luminibus aërem nonni-

hil miteſcere, quò fiat generationi accommodatior, vt ait Picus: in reliquis autem, ſtellarum lumen parui fieri, cùm lumen ſolis ſufficiat. Ideóque Ariſtoteles, quaſi cætera lumina deſpiciens, à ſole, & homine generari hominem perhibuit, & Lunam paruum Solem appellauit, quatenus in ea Solis lumen ad nos reflectitur. Relinquitur ergo, vt ab occultis qualitatibus præcipua ſtellarũ omnium actio pendeat: omnium inquam, nãque fruſtra à Deo condita eſſent ſidera, quorum non perciperentur afflatus. Cæterùm ſicut in maiore portione magnetis maior eſt vis alliciendi ferri, minor autem in minore; ità quò maior ſtella eſt, eò maiorem habet agendi vim. Ac per hoc Aſtrologi in vaticinationibus ſuis ſtellas tantummodo primæ, ſecundæ, & tertiæ magnitudinis conſiderant: quartæ, quintæ, & ſextę parui æſti- Ariſt 2. Phyſ. tex. 26. & 4. de Gen. anim. cap. vlt.

mant:nebuloſas, & alias minores nihili faciũt, quippe quæ, propter paruitatem, atque diſtantiam, nec multùm agere, nec aliarum ſtellarum effectus impedire queant. Ignotas verò ſtellas dicunt, aut ſimilem alijs virtutem habere, aut certè illis non repugnantem. At hoc ridiculum plane: nam ſi ignotæ ſunt ſtellæ, quomodo earum poteſtatem vnquam experti ſunt? De earum quoque defluxibus varia dictitant, videlicet ſimiles ſemper eſſe, & vniusmodi; propterea quòd ſtellæ luce ſtabili lucẽt, & eodem ſemper modo ſeſe aſpiciunt. Rurſus dona maxima & felicitates itidem promittere, ſed quę perſæpè finem atque exitum infelicem ſortiantur: operatio enim ſtellarum fixarum eſt, inquiunt, ſicut operatio aquæ calefactæ ab agente remoto, quæ citò ad priſtinam qualitatem reuertitur. Item quaſdam eſſe ſtellas,

Vide Ptol. in Cẽtiloq. propoſit. 29.

Vide Hermetem Alexandrinum

quas Beibenias appellant, vt Cadentem, Vulturem, Humerum equi, Caudam Gallinę, Oculum Tauri, & id genus alias, diuerſorum planetarum naturas participantes, quę ſi in alicuius Natiuitate angulos obtinuerint, diuitem eum, fortunatum, ſapientem, formoſum, fortem, omnibuſque tùm animi, tùm corporis dotibus exornatum faciant, planetis etiam omnibus repugnantibus. Ego verò abſurdum in primis exiſtimo, ſtellas vllas alicuius planetę naturam participare: non enim quod ſuperius eſt, affluxum recipit inferioris, ſed potius contrà. Denique aliquas eſſe ſtellas, quæ felicem, atque beatum hominem faciant, eique ſcientias, dignitates, opes, aliaque huiuſmodi largiantur, Aſtrologorum figmentum equidem arbitror. Etenim ſcientiæ laboribus & vigiliis, dignitates meritis, opes induſtriâ, non lib. de ſtellis Beibeniis.

ſtellarum afflatibus comparantur. Si quæ igitur ab abditis ſtellarum viribus oriuntur, ſunt, vt iam dixi, rerum ſpecies, quæ ex materiæ poteſtate educuntur, & Mundum ſua pulchritudine, & varietate vndique perfectum reddunt. Efficiunt etiam pro ortu vario, atque ſitu, varias in aëre mutationes; ventos, pluuias, tẽpeſtates, & damnoſos calores, vt in Orione, Hyadibus, Arcturo, Sirio; & aliis obſeruare poſſibile eſt. Hunc ego cenſeo modum eſſe, quo ſtellæ fixæ mundum inferiorem gubernant. Sed & planetæ ſuam quique regiminis portionem habent, vt potè qui ſphærarum, & orbium multitudine gaudeant, quibus vim ſuam commodiùs diffundere poſſint. Priuatos habent motus, & illos quidem varios: nunc enim ad Septentrionem, nunc ad Auſtrum vergunt: modò veloces ſunt curſu, modò

tardi:

tardi: interdum terræ appropinquant, nonnunquam ab eadem recedunt; atque ita his varietatibus, & viciſſitudinibus effectus varios, atque multiplices vbique locorum progignunt. Planetarum principatum, immò verò aſtrorum omnium obtinet Sol, ſic dictus, quoniã cùm exortus eſt, obſcuratis cæteris ſideribus, ſolus apparet. Moderator eſt hic, & dux temporum, lumen Mundi, tantaque magnitudine præditus, vt cuncta ſuâ luce luſtret, & compleat. Hinc Picus, iure quidem optimo Aſtrologos deridet, cùm alicuius geniture Saturnum, Martem, Venerem, aut alium quemuis planetam, prȩter Solem, dominum faciunt: ecquis enim planetarum eſt, qui Solem viribus æquiparet? Habet is lucentis corporis conditiones omnes, hoc eſt magnitudinem, denſitatem, & propinquitatem: dumque

per obliquum circulũ ſpatiatur, calore omnia fouet, ſuoque acceſſu, atque receſſu, rerum generationes viciſſim molitur. Poſt Solem Luna in agendo validiſſima eſt: tùm quia eſt prope nos, tùm etiam quoniam agit lumine Solis, ob cuius accretionem, & diminutionem varias quoque in aëre mutationes efficit. Velociſſimum habet motum, atque adeò ſuperiorum corporum afflatus frequenter recipit, & ad inferiora tranſmittit. Cæterorum planetarum vires non ita manifeſtæ ſunt; effectus tamen ſtabiles pariunt, & ad multum tempus duraturos, cùm præſertim ſuperiores ſimul copulantur. Alluuiones, ſiccitates, magni ventorum impetus, ingẽtia, & acuta frigora iiſdẽ attribuuntur. Eoſdem etiam, tanquam miniſtros, & ſubditos, cenſeo, ſuperiorum aſtrorum defluxus accipere, & propriis identidem moti-

bus,ac viribus generandis rebus pręſto eſſe. Portendere autem adulteria,inceſtus,bella, regnorum mutationes,occaſus Principum,defectiones,vel huic dignitatem promittere, illi opes, aliis ſuſpendium minari, naufragium aliis, & plura id genus alia,vt Aſtrologi docent; aniles eſſe nugas arbitror, & delirantium ſomniis quàmſimillima. Hæc ſunt, vir clariſſime, quæ ſterilis ager ferre poteſt: exigua quidem ſemina, ſed quæ fortaſſe,dum in ferax,atque fœcundum ingenium tuum incident, vberrimos ſint fructus allatura. Vale. Patauij, Nonis Maij. M. DC. VII.

Lege Albumaſ. lib. de magnis coniunctionibus.

Octauiano Bono, Equiti, Alexandri D. Marci Procuratoris filio, Ser^mæ Reip. Venetæ Senatori integerrimo.

Epistola XII.

De ijs, quæ Cælorum poteſtatibus ſubiiciuntur.

Perfecisse tãdẽ te quod dudùm optaſti, hoc eſt ab Reipublicæ adminiſtratione ad literarum otium, quo (ſi Ciceroni credimus) nihil eſt dulcius, te recepiſſe; & gaudeo, & lætor vehementer. Feciſti rem te ipſo dignam, cuius te certè nunquam pænitebit. Si enim totam ferè ætatem, in gerenda Republica, atque magnis, difficillimiſque negotiis tractandis conſumpſiſti; ne rationi conſentaneum videtur, vt, quod vitæ reliquum eſt, tibi addicas, & temetipſo

aliquando fruaris? Magna quidem felicitas eſt, honoribus augeri; at profectò maior, omni animi perturbatione carere: felix enim ille eſt, ait prudentiſſimè Seneca, non qui aliis, ſed qui ſibi talis videtur. Tu autem nunc ab ambitionibus & ab honorum cupiditate remotus tecum viuis, &, ob res præclarè geſtas, optimè de Republica mereris: quo quid iucundius, & prꝍſtantius excogitari poteſt? Ex doctiſſimis, atque humaniſſimis literis tuis planè perſpexi, te otij fructum Patauij percipere: ſed ſimul etiam intellexi, (quod Scipio de ſemetipſo dicere ſolitus erat) nunquam te minus otioſum eſſe, quàm cùm otioſus es, à publicis te negotiis remouiſti, & corporum cæleſtium contemplationi vacas; ſcire cupiens, quænam illa ſint, quæ eorum defluxus recipiant, & viribus pariter gubernentur. Res ſanè difficillima, &

contentionis plena, præſertim ob falſas, & commentitias Aſtrologorum opiniones, qui corporibus cęleſtibus multò plus, quàm par erat, tribuerunt. Ego verò quid hac de rę in Philoſophorum Scholis didicerim, ordine aliquo, & quoad eius fieri poterit, dilucidè aperire conabor. Poſtquam Mundus ità perfectus ab ſummo rerum omnium opifice in temporis initio conditus eſt, vt Theologi diuino lumine illuſtrati tradiderunt; quoniam erat incongruum, tantum Imperatorem, ac Dominum in opere ſemper verſari; idcirco ab eodem duo inſtituta ſunt, quorum miniſterio res quę naturâ ſuâ fluxę, ac mortales ſunt, continuò renouarentur, atque adeò mundus ex iis conſtans, ab interitu reuocaretur. Horum alterum Cęlum eſt: alterum rudis illa natura, quę à Gręcis ὕλη dicitur, & à Latinis, rerum inchoatio,

ſeu materia prima, communi nomine nuncupatur. Illud facultatem habet rerum omnium ſpecies gignendi; hęc innatam vim, & alacritatem quandam illas recipiendi. Ex materię igitur, & ſpeciei conſortio cuncta diſſolubilia corpora concreſcunt, ſimplicia primùm, vt elementa: deinde verò quę ex his coagmentata ſunt, tàm imperfecta, quàm perfecta, iuxta inanimata, ac animata. Omnia hæc cæleſtibus corporibus ſubdita ſunt, eorumque vires continenter experiuntur. Atque vt à rerum genitrice Materia primùm exordiar, non eſſet illa quidem tot mutationibus obnoxia, niſi Cælum ſuâ vi ipſam tangeret, atque ad varias ſpecies recipiendas aptam, & habilem redderet. Species verò, quæ formę à Philoſophis paſſim nuncupantur, & earum etiam ingenitæ proprietates, quæ occultæ dicuntur, ita Cęlo ſub-

iectæ ſunt, vt ſi rationalem animam excipias prçter illud, ſecundum Deũ, autorem alium nullum agnoſcant. Quantum autem elementorum natura ſuperiori facultati obediens ſit, nemo eſt vel mediocriter in Philoſophia exercitatus, qui apertiſſimè non cognoſcat. Cælum namque & motu, & lumine, & defluxu in elementariam regionem vim ſuam perpetuò imprimit, atque in eandem varias affectiones inducit. Videmus enim, ob incitatiſſimum illum motum, qui ſub Æquinoctiali fit, ſuperam aëris regionem ita conteri, atque extenuari, vt in igneam naturam cõmigret. Contrà verò ob tardum, atque remiſſum, qui fit prope polos, ignem adeò conſtipari, & cogi, vt in aërem commutetur. Æſtus etiam maris, & vndarum reciprocationes nonne ſuperiorum corporum nutum ſequuntur? Quid dicam de lu-

mine? ſiue Solem, ſiue Lunam, ſiue ſtellas quaſcumque ſpectes, ingens eſt beneficium, quod pręcipuo hoc inſtrumento in aërem potiſſimùm conferunt. Tepeſcit enim ille, mitiſque redditur, fulgoribus nocturnis. Elicit Luna vapores, & humorē exſuſcitat, exili, mutuatoq; lumine. Sol denique clariſſimâ ſuâ luce omnia colluſtrat, vitalique calore mundum inferiorem tuetur, & fouet. Occultis autem viribus, quot admiranda in elementis cæleſtia ſidera efficiant, manifeſtum omnibus erit, qui, præter metallorum generationes, quę in viſceribus terrę fiunt, agrorum etiā nunc fertilitatem, nunc ſterilitatem, aquarum quarumdam proprietates, in quas ligna, aut alia quęcumque demerſa lapideſcunt: pręterea eluuiones, peſtilentias, & id genus alia, quæ pro varia aſtrorum conſtitutione accidunt, diligenter conſidera-

uerint. Nulla igitur ratione dubitandum eſt, quin tota elementorum natura nutu, ac ditione ſuperiorum corporum gubernetur. Subſunt etiam poteſtati cæleſtium corporum miſta illa, quę imperfecta dicũtur, vt ſunt meteorologicę impreſſiones: conſtat enim, aëre grauiores eſſe vapores, qui certè vſque ad ſupremam eius regionem nunquam aſcenderent, niſi Cælorum vi illuc traherentur. Præterea imbres magni, ventorumque flatus quaſi imperantibus aſtris interdum excitantur: & Cometæ adeò cælo obſequẽtes ſunt, eiuſque motum imitantur, vt ambiguum pleriſque ſit, vtrum ferantur, an eant. In lapidibus, & metallis inſitam eſſe cælorũ vim, apertè indicant tot admirabiles proprietates, quibus inſignitæ ſunt. Magnes enim, dum indomitam, pugnaciſſimamque ferri naturam ita ſubigit,

vt illi trahenti extemplo cedat; quanam alia id vi, & poteſtate efficit, quàm cæleſti? Quiſnam ferrum, magnete illitum, cõdoceſecit, vt tãta auiditate ad ſeptentrionem vertatur, niſi Cælum? Quis Adamantem docuit feſtucas allicere, & Saphirum Anthracem fugare, niſi Cælum? Mitto ſexcentas aliarum gemmarum proprietates, quæ cùm cauſam manifeſtam non habeant, ab aſtris illas pendere, grauiores quique Philoſophi cenſuerunt. Plantarum autem omne genus, quis negabit cælorum poteſtatibus ſubiectum eſſe? Multæ abſque vllo ſemine ſpontè naſcuntur, quas certè rerum vniuerſitas nõ haberet, niſi terra, cælorum defluxibus grauidata, eas pareret, & funderet ex ſe ſe. Arbores, ſeneſcente Luna, tempeſtiuè cæduntur. Heliotropium ab ortu ad occaſum Solem inſequitur, cum eoque omnibus horis

vel nubilo Cælo vertitur. Quid multa? Obſeruatum eſt, filicem, arundine obſitam, & contrà arundinem filice circumſeptam, perire. Oleam in quercus ſcrobe poſitam extingui. Vitem clauiculis ſolam braſſicam non complecti, & in diuerſam partem ſe inflectere. Quæ omnia abditarum ſimul, & diſſidentium qualitatum apertiſſima indicia ſunt: quas plantę non ab elementis quidem, ſed ab aſtris obtinuerunt, ipſa etiamnùm animalia Cælum tanquam Dominum, & Summi opificis miniſtrū agnoſcunt. Etenim ſi animalia illa conſiderés, quæ ex putrida materia, abſque maris, & fæminæ coniunctione naſcuntur, nullam aliam habent originem, niſi cęleſtem. Sed etſi illa ſpectes, quæ ex ſemine gignuntur, eorum genitorem præcipuum Cælum eſſe reperies. Latet enim in ſemine vitalis quidam, & ſalutaris ca-

lor, non igneus ille quidem, ſed, vt Ariſtoteles ait, proportione reſpondens elemento ſtellarum: qui ſenſim corpus ſeminis afficit, illudque præparat ad ſentientem animam recipiendam. Porrò tam latè patet cæleſtium corporum imperium, vt hominem etiam ipſum animalium omnium nobiliſſimum, quo ad partem ſentientem, in ſua poteſtate, ăc ditione habeant. Quoties enim interiores quoſdam animi impetus percipit, quibus ad aliquid agendum incitatur? Defluxus illi cęleſtes ſunt, qui ſenſum hominis nunc leuiter, nunc acriter, pro vario ſiderum afflatu percutiunt. Humores etiam attingunt, & varios interdum morbos inducunt: ideoque Medici, qui Aſtrologię operam dederunt, opportunum tempus adhibendæ medicinę eligere ſolent, quoniam in quibuſdam ſtellarum coniunctionibus obſerua-

Lib. 2. de Gen. animalium, c. 3

runt, morbos mirum in modum exaſperari, & mortes etiam ſæpenumero inſecutas. Hactenus mihi videor, ſatis commodè explicaſſe, quę cęlorum viribus poteſtatique ſubiiciantur. Nunc ex diuerſo quęnam ab eorum quaſi iuriſdictione, & poteſtate immunia cenſeantur, paulò vberiore ſermone promendum eſt. Cenſeo in primis, & conſtanter affirmo, liberum hominis arbitrium, totamque rationis participem animam cęlorum defluxibus minimè obnoxiam eſſe, adeò, vt ad illam ne ſcintilla quidem facultatis eorum peruenire poſſit, quicquid Aſtrologi obganniant. Anteit enim rationalis anima corporibus cęleſtibus, nobilitate naturæ; cùm mens puriſſima, & ſimpliciſſima ſit, à quibuſcumque corporeis conditionibus aliena: Deus autem, vt Cicero ait, omne quod concretum, & corporeum erat, animo ſub-

Lege D. Tho. in opuſ. de Iudiciis aſtrorum.

Lib. de Vniuerſitate.

ſtrauit. Iam verò ſi Cęlum, quod cernitur, tangitur, corporatumque eſt, à ſibi proximo igne nihil perpeti poteſt, propterea quod corporea natura diſſident; quomodo rationalis anima, quę ſpiritus eſt, Cęlorum actionibus ſubiicietur, à quibus non natura ſolùm, ſed etiam genere diſiungitur? Dicẽt fortaſſe Aſtrologorum propugnatores, tametſi Cælum in rationalem animam nihil ſeorſum agat, mentem tamen motricem poſſe humanam voluntatem ad varia flectere, & illuſtrando mouere, eo modo, quo ſuperiores Angeli, vt Theologi docent, inferiores illuminant. Demus hoc licet, erit ne tamen obſecro vlla mens, ex earum numero, quę cęleſtia ſidera in orbem agunt, quę hominem ad furta, homicidia, adulteria, inceſtus, nefarioſque concubitus ſtimulare & concitare vnquam poſſit? Certant hîc ve-

luti pro aris, & focis Aſtrologorum proceres, pertinaciter aſſerentes humanam animam, etſi non proximè, at ſaltem cuiuſdam conſecutionis vi, & alterius interiectu cæleſtibus corporibus ſubiectam eſſe. Namque pars hominis ſentiens, inquiunt, corporea eſt, cùm è materia educatur; ipſa autem illa eſt, cui primùm vis cæleſtis imprimitur, deinde verò eadem in hominis voluntatem ſenſim irrepit: quæ quamuis ſuapte natura libera eſt, voluptatis tamen illecebris delinita, ſenſus impulſiones, perturbatoſque motus frequenter ſequitur. Hinc dicere conſueuerunt, hominis arbitrium ab aſtris non cogi quidem, ſed ad eam dumtaxat illamve rem propenſum, atque procliue reddi. Percipit enim ſentitque in ſemetipſo principium quoddam Cælorum defluxibus contrarium, cùm interdùm, ratione duce & conciliatrice

ciliatrice furtum, adulteriũ, aut id genus alia, cælo in ſegniorem partem flectente, conſtanter reſpuit & amandat. Latet hîc mihi crede, latet anguis in herba (vir illuſtriſſime;) non enim veram, ſed fucatam & ſpuriam libertatem humanæ voluntati Aſtrologi tribuunt: quam nec fortaſſe tribuerent, niſi eius prætextu atque velamine errores ſuos, atque mendacia ſæpiſſimè tegerent. Etenim cælum, vt ipſi quoque fatentur, naturalis cauſa eſt, atque adeò neceſſaria: illius igitur in ſensũ actio impediri nulla ratione poteſt. Quòd ſi voluntas adeò ſenſui amica, atque familiaris eſt, vt interdum, vel non operante cælo, illi non aſſentire non poſſe videatur; quid erit, quæſo, ſi ſenſuum ſtimulis vim maximam cęlorum adieceris? Ne quidem, vt aiũt, Hercules contra duos: humana autem voluntas quemadmodum ſi-

mul & ſenſuum impetus,& ſiderum vim,& Dæmonum etiam impulſiones,atque inſidias ſuſtinebit? Vin' ſcire quando liberam hominis voluntatem pronuncient? Cùm res aliter euenit,quàm ipſi prædixerint: impediri enim aiunt à libero hominis arbitrio, celebrantque illud Ptolomęi dictum,Sapiens dominabitur aſtris. Hoc vnum ab eis libenter diſcerem; cùm Iuppiter in nona domo benè conſtitutus, aut alia benefica ſtella quempiam ad caſtam & pudicam vitam,ad religionem, ad Dei cultum excitat; quî poteſt hic cæleſtis defluxus ſentientem partem primùm attingere,quæ tota voluptatibus dedita eſt, tùm deinde ad intelligentem peruenire? Si qua igitur eſt cælorum vis,quæ hominem ad religionem incendat, ea ſtatim rationalem facultatem percutiet: cùmque, vt paulò antè dictum eſt, vis illa naturalis, &

Ptolomeus in Almageſto.

neceſſaria ſit, nec ratio religioni aduerſetur, effectum neceſſario pariet. Vana igitur inter homines virtutis erunt ſimulachra, malorum pœnæ, bonorumque pręmia legibus iniquè conſtituta, ipſa denique prudentiũ virorum conſilia fruſtrà erunt, ſi quemadmodum Aſtrologis placet hominis voluntatem corpora cœleſtia regant & moderentur. Sed neque varia hominum ſtudia, & multiplices ingeniorum proprietates à diuerſis ſtellarum afflatibus exoriri putandum eſt, vt à Marte fortitudinẽ, ſcientiam à Mercurio, à Ioue religionem expectare debeamus; quemadmodum neque ſuſpectione ſiderum vaticinari poſſumus, hunc laqueo, gladio illum periturum: hæc enim aut planè fortuita ſunt, quæ nullam quidem habent cauſam determinatam; aut ex libera pendent hominis voluntate. Denique valdè impium

eſt aſſerere, leges quibus humanum genus regitur & gubernatur, immò ipſam etiam erga Deũ religionẽ quâ ſalus cuiuſque continetur, cæleſtibus corporibus ſubiici: id quod Aſtrologi, furiarum ſtimulis incitati, paſſim affirmant, quum ex varia coniunctione Iouis cum cæteris aſtris, varias religiones ortas eſſe tradiderunt. Aiunt enim, Iouem cum Saturno coniunctum Iudæorum religionem peperiſſe, cum Marte Chaldæorum, cum Sole Ægyptiorum, cum Venere Saracenorum, cum Mercurio Chriſtianorum, atque tandem, eodem aliquando cum Luna copulato, Antichriſti impietatem erupturam. Neque verò ſatis hoc illis fuit, ſed eò temeritatis peruenerunt, vt animarum etiam ſalutem, & Dei munera ab aſtris pendere ſtatuerint. Scribit namque Firmicus, eorum animas, qui Saturno in Leone poſi-

Albumaſar lib 1. de mag. coniect. tract. 1. differentia 4.

Firmici impium dictũ lib. 4. Matheſeos.

to orti ſunt, ex corporum anguſtiis, & quaſi carceribus liberatas, ad cælum tandem, atque ad ſuæ originis primordia tranſituras. Et Albumaſar, eum qui, Luna coniuncta Ioui cum capite Draconis, Deo ſupplicauerit, facilè quidquid petierit impetraturum. Albumaſar apud Picum lib. 4. in Aſtrol. c. 8. Proh Dei atque hominũ fidem! quid eſt hoc, ſi inſania non eſt, diuini numinis cultum, æternam fælicitatem, & ipſum etiam autorem naturæ Deum ſideribus ſubſternere? Audiſtin' vnquam verba magis execranda? Profectò nobis obſeruandum eſt tempus, quo Luna Ioui iungitur cum capite Draconis, tuncque nobis preces in Deum pro circulatoribus iſtis effundendæ ſunt, vt aliquando reſipiſcant. Nam certè, ſi eorum ſententia vera eſt, voti compotes ſtatim fiemus: quaſi Deus nec precibus occurrere, nec beatas animas facere, nec legem condere ſine

cęlorum defluxibus poſſit. O nebulonum impietatem maximam, verberibus magis, quàm verbis conuellendam! Nolo hac in re multus eſſe, neque enim mihi videtur eorum vaniloquentia longo ſermone refellenda. Scribit Albumaſar, Chriſti fidem non ampliùs, quàm annis millenis quadringentis & ſexaginta duraturam. Et Abraham Auenaris Iudæus, poſt annum Chriſti milleſimum quadringenteſimum, & quadrageſimum quartum, quo Iuppiter cum Saturno in Cancro coniunctus eſt, aut certè anno milleſimo quadrigenteſimo ſexageſimo quarto, quo eadem coniunctio in Piſcibus fuit, Meſſiam, tam diu ab Hebręis expectatum, naſciturum. Agimus tamen nunc annũ milleſimum ſexcenteſimum decimum octauum, cùm fides Chriſti adhuc illibata perſeuerat, vſque ad finem Mundi, vel

inuitis Aſtrologis, duratura: & Meſſias ab Hebræis, regno, ſedibuſque pulſis, ab omnibus reiectis, ac per orbem diſperſis etiamnum expectatur. Habes igitur, vir illuſtriſſime atque eruditiſſime, quale, & quantum ſit cæleſtium corporum imperium in hæc cituma. Ego autem iam videor humaniſſimæ tuæ poſtulationi, ſi non pro rei dignitate, at ſaltem pro viribus meis ſatisfeciſſe. Vale. Ex Pernumia Patauini agri Vico, XVIII. Kal. Octobris. M. DC. XVIII.

Franciſco Pignę, Patauino, V. pereerudito.

EPISTOLA XIII.

Proſpera, vel aduerſa fortuna, quam multi frequenter in ludis experiuntur, ab aſtris ne, an ab alia occultiore cauſa proficiſcatur?

QVÆ eleganter, & eruditè de aleę, teſſerarumque inuentori-

bus ad me nuper ſcripſiſti, pergrata certè fuerunt, eaque arbitror veriſſima eſſe: cùm præſertim Herodotus non per omnia fabulator homo prodiderit, horum ludorum autores Lydos, Aſiæ minoris populos, extitiſſe. Enimuerò relaxandi animi gratia, atque etiam compendij, ſicut idem ſcribit, eiuſmodi ludos excogitarũt: At enim, malùm, quàm peruersè noſtra tempeſtate plerique iis abutuntur, qui, grauiſſimis quibuſcumque negotiis relictis, dies, noctesque immò etiam totam ferè ætatem in eiſdem conſumunt, ampliſſimaque patrimonia, ſummis laboribus iam diu parta, diſſipant, & profundunt? Non eſt hoc mihi crede ludere, ſed delirare, & pro voluptate non exiguam animi ægritudinem iniquo precio coemere. ludẽdo enim ludẽdum eſt, vt ſcitè admodum Laco ille dicebat. At inquis tu, multos eſſe, qui ex ludis patrimonium collige-

Plut. Sympoſ. 7. q. 1.

rũt, atque ex pauperibus diuites euaſerunt. Fatebor quidem: ſed nos omnibus idem non probabimus. Non enim qui ludunt, eadem ſemper vtuntur εὐτυχίᾳ: namque dies illis quandoque mater eſt, quandoque nouerca. Vnde hoc pendeat, explicare difficillimum eſt. Hippocrates, cultioris Medicinæ parens, diuerſorum morborum naturas, & proprietates conſiderans, obſtupuit aliquando, grauemque illam ſententiam protulit, Aliquid diuinum in morbis. Ego verò, quùm tot admiranda in ludis accidere audio, eaque interdùm apud me tacitus expendo, dicere cogor, eſſe aliquid occultum in ludis: diuinum ne, an dæmonicũ, nondum audeo definire. Scribam tamen, quæ mihi hac de re cogitanti, ſæpè in mentem venerunt, & fortaſſe an illa ipſa, quæ, quantum ex tuis literis coniicere potui, iam pridem à

Hippocratis ſent. li. 1. Præſag.

te exoptantur. Tu velim omnia æqui bonique conſ[illegible], & quid ea de re tute ſentias, mihi reſcribas: quanti enim faciam iudicium tuum, puto te iam ex colloquiis noſtris ſatis ſuperque cognouiſſe. Eorum igitur, qui ludis operam dant, tria genera eſſe comperio: quidam enim fortunati ſunt, quidam infortunati, alij quaſi medij. Fortunati ferè ſemper vincũt: infortunati ferè ſemper vincuntur: medij quandoque vincunt, quandoque vincuntur. Fortunati, ſi otium fuerit, frequenter ludere poſſunt: infortunati nunquam debent: medij aliquando, idque voluptatis tantùm gratiâ. Cur autem medij, quum aleã ludunt, interdùm proſperam, interdum aduerſam fortunam experiantur, non eſt explicatu difficile: caſu enim accidit, vt ex alearum varia diſtributione, variiſque teſſerarum iactibus, nunc huic, nunc illi res ex vo-

to ſuccedat. Cur verò fortunati victores ferè ſemper à ludis diſcedant, & infortunati ferè ſemper victi, hoc certè arduum eſt, diuque valdè clariſſimorum virorum ingenia torſit. Illi quibus rerum conſideratio contemplatioque non placet, id ipſum quoque caſui tribuendum cenſent. Nam ſi hodie, inquiunt, atque rurſus cras, & perendie, caſu contingere poteſt, vt hic vincat, & ille vincatur, quid prohibet, quominus idem ſimiliter accidat, cæteris quibuſcumque diebus? Huic ſententiæ, quæ fortaſſe plurium calculis comprobata eſt, ego idem aſſentiri non poſſum, qui talum iaciet, ſemel, bis, ter, quater, decies, incidet in ternarium; idq; caſu, & temeritate fortunæ. Eundem autem fortuitu, continuis diebus, ac menſibus, in eundem ſemper numerum incurrere, non puto veriſimile eſſe, neque hac in re colle-

Vide quæ de hac re ſcribit Cic. initio 1. li. de Diuin.

ctionem à poſſe ad eſſe, vt vulgus Philoſophorum loquitur, locum vllum habere. Quidni? inquies. Quoniam id omnem fidem exſuperat. Demus, caſu contingere, vt ex æneis characteribus in terram proiectis, aliquod Virgilij carmen conficiatur; eò ne, obſecro, adduci poſſes, vt crederes, ſi ex iiſdem characteribus millies in terram proiectis, idē ſemper carmen conſurgeret, id caſu contingere? Ariſtoteles, naturalium rerum rimator diligens, caſum, ait eſſe cauſam quandam ex accidenti eorum, quæ non ſemper, aut plerumque, ſed rarò fiunt. Vt ſi quiſpiam domo egreſſus, à cadente lapide aliquando percutiatur, id poteſt caſu contingere: at ſi indidem quotidie ferietur, num ne iure optimo ſuſpicari poterit, aliquem ſurſum latere, qui lapidem deiiciat? Idem prorſus heic dicendum, ludit Caius, ludit

Lege Ariſt. 2. Phyſ. c. 5.

Mæuius: miſcentur aleæ, variè diſpẽſantur: taxilli modò in hãc, modò in illam partem; nunc vehementer, nunc leuiter, & timidè iaciuntur; & nihilominus hic ſemper victus eſt, ille victor: ſi igitur ſemper, quemadmodum caſu? Fortunam alij Deam fecere; hancque ipſam illam eſſe putauere, quæ homines efficeret fortunatos. Apud antiquos, præſertim Antiates, & Præneſtinos maximo in honore habebatur; eiuſque trans Tyberim ædes erat, cultores eius præcipuï homines inertes, & perditorum natio. Quantâ putas hominum frequentiâ ei ſacra inſtituerentur, ſi templum eius etiamnum extaret? Omnem igitur proſperum in ludis ſucceſſum huic Deæ acceptum referebant: quęquidem non ipſa ſolùm cæca erat, ſed, vt Cicero ait, eos etiam plerumque cæcos efficiebat, quos complectebatur. Hęc ſententia Poë-

tis, opinor, mirum in modum arrideret, & fortaſſis an Platonicis, qui ſalibus quibuſdam, & lepido dicendi genere delectantur. Peripatetici verò, qui rerum ſolent conſectari rationes, eam exploderent & exſibilarent: cùm parùm conſtet, vtrum hæc, quę dicitur Dea, ſit ipſamet cauſa prima, an aliqua ex numero ſecundarum, & quænam illa ſit, aut quonam pacto in ludis huic lucrum, & voluptatem; illi iacturam, atq; mœſtitiam conciliet. Alij hanc ipſam proſperitatem fortunæ itidẽ adſcripſerũt: ſed quidnam illa ſit, aut quibus inſtrumentis, aut miniſtris ad eã rem vtatur, non planè patefecerunt; quinimmò de ipſa variè diſſeruerũt. Anaxagoras, Democritus, Diodorus, Chryſippus, Poſſidonius, omneſque Stoici dixerunt, fortunam eſſe cauſam quandam quæ humanâ ratione cognoſci nullo modo poſ-

Vide Plut. 2. de placit. cap. 29.

ſet. Plato Fortunam appellauit cauſam per accidens, in iis, quę hominis conſilio fiunt. Cui quidem finitioni diſcipulus eius Ariſtoteles, de Fortuna generatim diſputans, libenter ſubſcripſit, ſimiliterque incertam, & inſtabilem illam eſſe pronunciauit. Proclus vocauit Fortunam dæmonicam poteſtatem, qua cauſæ inter ſe diuulſæ, inuicem congregantur: à Platone fortaſſe doctus, qui vel nũquam, vel certè raro Fortunæ meminit, quin Dæmonis continuò mentionem fecerit. Dæmonum autem nomine, quaſcumque mentes homine ſuperiores intelligere Platonici conſueuere. Id, quod etiam D. Auguſtinus expendens, ait, cauſas fortuitas latentes eſſe, eaſque vel Deo, vel Angelis, tàm bonis, quàm malis tribuendas. Ariſtoteles autem preſſiùs de proſperitate loquens, cùm bonum, inquit, aliquod fortuitò

Proclus in Timeo.

D. Aug. lib. 5. de Ciuit. Dei, cap. 9.

nobis occurrit, dupliciter id fieri ſolet: aut incidentibus nobis prorſus imprudenter in id, quod bonum eſt, atque ità caſu: aut quamuis non cõſilio, & deliberatione, impetu tamen animi ad id ducimur, & hoc ad diuinam pertinet motionem. Quibus verbis docuiſſe viſus eſt, nil aliud eſſe fortunam, quàm interiorem quendam animi impulſum: Euripidem imitatus, qui quidem ait, ſortem eſſe animi filiam. Hunc autem impulſum adeò variè cùm ex propria, tùm ex aliorum ſententia Ariſtoteles explicauit, vt modò Dei, modò naturæ eſſe voluerit. Fortunatè, inquit, agũt, qui præter, immò ſupra rationem impetu aliquo mouentur: vt ſi ab eis petatur, curnam id libeat agere? neſcimus, inquient, ſed libet. Impetus hic non poteſt eſſe niſi diuinus, quia nihil ſupra rationem eſt, niſi Deus. Stulti etiam, quibus ſcilicet fortuna pręeſt,

Lege Ariſt. lib. 7. Moralium Eudemiorum, cap. 14.

præeſt, in multis proſperè agunt: veluti in aleæ iactu alius nihil, alius multùm lucratur. Vnde hæc felicitas? Vel naturæ beneficio, ait Ariſtoteles; vel, vt inquiunt, beneuolentia Dei. Vt enim fracta nauis non niſi optimi gubernatoris virtute ſeruatur; ita qui fortunatus eſt, in omnibus proſperè agit, quia genium optimum gubernatorem habet. Hinc vulgò celebratur illud Ariſtotelis, οὗ πλεῖστος νοῦς καὶ λόγος, ἐνταῦθα ἐλαχίστη τύχη. οὗ δὲ πλείστη τύχη, ἐνταῦθα ἐλάχιστος νοῦς. Ex diuerſo abſurdum Ariſtoteles exiſtimauit, ſtultum à Deo diligi, vel Genio, & non potiùs præſtantiſſimum, ac ſapientiſſimum quemque: ideo colligere videtur, Naturam quoſdam fortunatos effeciſſe, quibus ſtatim à natiuitate tale quippiam ingenuit. Verùm neque huiuſmodi ſententia id, quod quærimus, planè commonſtrat. Nam ſi ea diſ-

Ariſt. 2. Magn. Moral. c. 8.

piciamus, quæ de Fortuna Platonici, vetereſque Philoſophi prodiderunt, ex iis elicere nemo poſſit, quid verè illud ſit, quod hominem in ludis faciat fortunatum. Quid enim ſcire prodeſt, vincere aliquem, proſperéque agere, fauente Fortunâ: quid verò ipſa Fortuna ſit, penitus ignorare? Ab Ariſtotele autem docemur quidem, proſperitatem in rebus agendis ab interiore illo, ſiue Dei, ſiue Naturæ impulſu pendere, eumque fortunatum vocari, cui aliquid ex ſententia ſucceſſerit, tametſi cõtra rationem, virorumque prudentum conſilium egerit. Cur autem huic ſemper in ludis proſpera Fortuna ſit, illi ſemper aduerſa, & quonam pacto qui fortunatus eſt, in eas ſemper, quas cupit aleas, & in optatum talorum iactum incidat, ab eodem profectò diſcere nemo poteſt. Auicenna, paulò propiùs ad

rem queſitam acceſſit; cùm ſtatuerit, maximam proſperitatem in ludis eſſe effectum, ac veluti partum fortis & vehementis cogitationis: quæ perſæpè admirabiles effectus progignit, non in homine ſolùm, ſed in materia etiam exteriore, vt in faſcinatione manifeſtum eſt. Si ergo queratur ab Auicenna, cur ei, qui in ludis fortunatus eſt, optatus numerus, aleaue ſtatim eueniat? Reſpondebit, quòd vtrumque fortiter, ac vehementer excogitauerit. Cæterùm quantò propiùs Arabs hic Philoſophus, & Medicus ad rem quæſitam acceſſit, tantò longiùs à veritate receſſit. Quicunque enim ludunt, lucrum tanquam finem ſibi proponunt, & propterea nemo eſt, qui nõ frequenter optatum numerum, aut aleam meditetur. Cur ergo vehemẽs cogitatio hunc fortunatum, illum infortunatum reddit? Numquid

putas, longè etiam fortiorem eſſe cogitationem eius, qui in damno verſetur, quàm eius, qui in lucro? Huc accedit, quòd ſi vehemens cogitatio quippiam efficiat, id tantummodo eſt in cogitante ipſo: vt putà ſi acerbum aliquid cogitatione fingat, os ſtatim humore perfunditur: ſi iracundum, ſpiritus efferueſcunt: ſi horridum, eriguntur capilli: in exteriorem verò materiam cogitatio, quantumuis fortis, ac vehemens, efficere omninò nihil poteſt. Id autem quod de faſcinatione dicitur, nihil habet momenti: conſtat enim inter eos, qui ſolidã Philoſophiam profitentur, faſcinationem fieri, non intentioris cogitationis poteſtate, ſed aſpectu malefico, infeſtoque vapore ex inuidentium oculis prodeunte. Quemadmodum etiam mulieres quę purgantur, non ipsâ quidem viſione ſpeculorum fulgorem hebe-

Lege D. Tho. lib. 3. contra Gẽt. cap. 105.

tant & obſcurant, ſed vitiato vapore ex earum oculis exeunte. Aſtrologi, quorum Deus cælum eſt, vt in rebus cunctis, ita etiam in ludis fortunam omnem ab aſtris pendere exiſtimarunt. Putant enim, eos omnes, qui in ſuis Natiuitatibus Partem Fortunæ, Partem Subſtantiæ, & earum Dominos, atque rurſus Iouem, & planetas, ſi qui fuerint in ſecunda domo, eiuſque gubernatores rectè diſpoſitos, atque in dignitatibus cõſtitutos habuerint, in rebus omnibus, atque adeò in ludis fortunatos maximè futuros. In eam quoque ſententiam ſenſim iuit D. Thomas, qui arbitratus eſt, quemadmodum plurimæ res naturales, veluti lapides, metalla, plantæ, occultam quandam vim ab aſtris recipiunt; ita quoſdam homines ex impreſſione cęleſti in eorum natiuitatibus ſingularem aliquam efficacitatem, in rebus proſpe-

S. Tho. 3. contra Gēt. cap. 92.

rè agendis obtinere poſſe. Nec etiã defuere, qui Aſtrologis magis addicti, characteres in anulis, & cæleſtes imagines inſculpſerint, quaſi illę vim habeant præcipuam ludos proſperos efficiendi. Hęc autem ſententia quę multis valdè probatur, non minùs mihi diſplicet, quàm tota diuinatrix Aſtrologia; in cuius fundamentis euertendis quantum operis contulerim, exploratum tibi eſſe arbitror. Etenim non ſatis eſt dicere, hunc eſſe fortunatum in ludis, quòd tempore natiuitatis ſuę Iouem, & Mercurium habuerit in ſecunda domo, Parti Fortunæ, aut Capiti Draconis coniunctos, aut alterius cuiuſpiam beneficæ ſtellæ afflatum: verùm opus eſt cauſam proximam inquirere, cur hic fortunatus, ille verò infortunatus ſit, omniumque cauſarum ſeriem indagare. Profectò, poſita inter ludentes æqualitate circa

ludum, omnique fraude ſemotâ, non poteſt hic ſemper, aut frequenter vincere, niſi, quas cupit, aleas prę manibus habeat, aut optatum taxillorum numerum iaciat: hanc equidem puto lucri proximam cauſam eſſe. Nunc autem quibuſnam inſtrumẽtis natalitia ſidera huiuſcemodi effectus parere poterunt? Iam illi ſtellarum ſitus immutati ſunt, quomodo igitur ab eo, quod amplius non eſt, frequens, & diuturnus effectus oriri poteſt? Sed fac, eo ipſo tẽpore, cùm aliquis ludit, Iouem, Mercurium, aut aliud quoduis aſtrum eſſe illi propitium; certum eſt, ipſum nec motu, nec lumine quicquam in aleis, aut taxillis efficere poſſe: agat igitur defluxu. Attende nunc quęſo rationem. Si totus terrę & aquæ globus ad cælum relatus, tanquam punctum eſt, vt Aſtronomi tradunt, quomodo in tam pauca diſtantia,

quę inter duos ludentes intercedit, poterit defluxus ad vnum ità peruenire, vt alterum non attingat? Ad hęc, ſi non fortunatus alter eſt, infeſto igitur cælo ſubiicitur: quomodo ergo duo iſti contrarij defluxus non ſeſe ita commiſcent, vt vnum quippiam ex duobus efficiatur? Ad D. Thomam quod attinet, vereor, vt à ſpecie ad indiuiduum tranſcenderit. Habent enim res naturales à tota, vt aiunt, ſpecie, ſuas quęque proprietates occultas, & illas quidem ex impreſſione cęleſti, vt magnes alliciendi ferrum, Rhabarbarum bilem, Agaricum pituitam, aliæque alias. Non habet tamen res quælibet ſingulatim proprietatem diuerſam, niſi fortaſſe pro varietate ſitus, diſtinctum aliquod accidens, vt maiorem, vel minorem efficiendi vim, aut aliquid eiuſcemodi. Similiter homines ſub variis aſtrorum conſtitutio-

nibus nati, diuerſam quidem corporis habitudinem ſortiuntur, atque adeò ad res varias procliuitates diſtinctas: Recepiſſe autem aliquos priuatim à ſtellis impreſſionem eiuſmodi, vt in ludis, aliiſque rebus proſperè ſemper, vel infeliciter agant, id niſi euidentiore ratione probetur, arbitror quidem à veritate prorſus alienum eſſe. De characteribus autem, & imaginibus in anulis inſculptis ad te nihil ſcribo; cùm planè cõſtet, ea vanitatis, ſummæque leuitatis eſſe pleniſſima, perinde atque quod de ſuſpendioſi laqueo dicitur, necnon tacitâ occultâq; cũ dæmonibus pactione. Socrates ſapientiâ clariſſimus illud quicquid eſſet, non natalitiis ſideribus, ſed aſſiſtenti numini fertur acceptum retuliſſe. Hinc plerique eius veſtigiis hærentes proſperitatem illam maximam, vel infelicitatem in ludis, Genio tribuiſſe dicũ-

Opinio à Socrate orta. Vide Cælium Rhodig. lib. 6. c. 20.

tur. Per Genium autem illi aſſiſtentem Dæmonem intellexerunt, qui, vt nonnullis placuit, interdum mutato loco demutetur, tametſi non defuerint qui exiſtimarent, dæmoni veluti mancipatum, ab eodem reuelli nullo modo poſſe. Porrò Geniorum varia genera eſſe tradiderunt, alios enim Solares eſſe, alios Venerios, alios Saturnios, & id genus alios. Homines autem, hiſce dęmonibus deuinctos, inter ſe fortunâ diuerſos eſſe, varioſque rerum euentus experiri. Itaque ſi quæratur ab eis, cur hic in ludis ſemper fortunatus ſit, ille verò infortunatus? Reſpondere ſolent, id quidem accidere ob diſparem Geniorum conditionem & potentatum, cùm vnus altero ſuperior exiſtat: hancque etiam præcipuam cauſam eſſe, cur aliquis cum vno ludens, ſemper victor ſit, cum alio verò ſemper victus. Equi-

demillam de Geniis opinionem inanem eſſe puto, & Platonicam Philoſophiam redolere. Primò, quia Genium eſſe, naturali ratione probari non poteſt: immò multi ex veteribus Philoſophis exiſtimarunt, nil aliud eſſe Genium, quàm ipſammet animam rationalem, & interiores illos impulſus qui à Genio proficiſci creduntur, eſſe tanquam partus quoſdam ipſius facultatis ratiocinatricis, perquàm etiam abſurdum eſt, Genios, ſi qui ſunt, ſideribus ſubiicere: quomodo enim, oro te, ſeparata mens à corpore quicquam perpeti poteſt? At dem eſſe Genios, hoc eſt aſſiſtentia quædam numina, ſeu cuſtodes Angelos, ex veriſſima Theologorum ſententia; manca nihilominus, & obſcura eſt hæc opinio, quoniam modum non explicat, quo iidem continuam illam proſperitatem, aut infelicitatem in ludis effi- Ex Matth. 18.

ciant. Non enim in aleâ, cæteriſque luſionibus, interior animi impulſus ad vincendum ſatis eſt, ſed alia præterea cauſa, & illa quidem proxima deſideratur. In ſumma, ſi continua hæc proſperitas, vel infelicitas, neque caſui, aut Fortunæ, neque vehementi cogitationi, nec cęlorum afflatibus, nec Geniis adſcribitur; quænam erit, inquies, certa atque definita cauſa, cui tantus effectus addici meritò poſſit? Dicam liberè quid ſentiam: ſed obſecro, Pigna, ne mihi ſuccenſeas, aut moleſtè feras, quòd extra Peripateticæ Philoſophicę pomæria videar heic paulum euagari, quamquam probè noſti me in Ariſtotelis tametſi ſummi magiſtri verba non iuraſſe; eiuſque ſcita me vt grauiſſimi quidem, & ſapientiſſimi Philoſophi ſententias amplecti, non tamen velut ex oraculo promptas. Itaque quod ex eius ditiſſimo penu

promi nequit, quàm poteſt ex ipſiuſmet veritatis fonte haurire, atq; in medium proferre non verebor. Puto igitur, eius quo de quæritur certiſſimam cauſam eſſe poſſe Dæmonem, aut Angelum, aut Deum; & hunc quidem aut volentem, aut permittentem, aut proximè, aut (quod probabilius eſt) alterius interiectu. Poſſe dæmonem talos & teſſeras celeritate tanta mouere, vt animos, viſumque fallat, nemo certè dubitabit, qui à materiæ fece abſtractarum mentium vim & poteſtatem in concretam, corporeamque naturam intelliget. Si poteſt idem ſubitò montem mouere, quantò faciliùs optatam aleam in manibus ludentis, aut quem voluerit talorum numerum in tabula luſoria componet? Neque verò citiſſimo tantùm motu id agit, vt rem aliquam oculis ſubtrahat, aliamque ſubſtituat, verùm etiam

præſtigiis efficit, vt quod reuerâ eſt, aliud appareat; idque vel rei obiectæ mutatione, vel aëris medij, vel ipſo denique videndi ſenſu corrupto. Scribit Delrio Theologus eruditiſſimus quoſdam inuentos circulatores, qui dæmonis ope, chartam ab aliquo ex toto chartarum ludo extractam, in manibus extrahentis manentem, bis, & ter facerent immutari. Id, quod ipſe quoque ſuperioribus annis, non ſine maxima admiratione, poſt conuiuium, in ædibus Ioannis Thomæ Minadoi agitatum, præſentibus Hieronymo Fabricio ab Aquapendente, Hercule Saxonia, Antonio Nigro Equitibus, & Medicis celeberrimis, aliiſque pluribus ad idem conuiuium inuitatis hiſce oculis vidi. Hac deludendi arte puto, dæmonem perſępè facere, vt vnica illa charta, aut certus ille talorum numerus, in quo victoria conſiſtit, qui-

que ab altero ludentium vehementer deſideratur, non ſine maximo alterius mœrore ſtatim appareat. Quid? Numne poteſt etiam dæmon chartas, quę ſunt in manu alterius ludentis, alteri commōſtrare? Si quæras, quamobrem ludus huic plerumque damno ſit, illi autem lucroſus? Reſponſio eſt in promptu. Hic obtemperantiâ ſuâ beneuolentiam eius emeruit, vel eam certè inuicem pactionem iniuere. Ille autem aduerſarium & inimicum experitur propter ſuam erga Deum pietatem, integritatem, ſceleriſque puritatem, ideoque vel eum conatur ad execrationes prouocare, vel in deſperationem adducere. Quicquid autem à dæmone fit, itidem ab Angelo fieri poſſe cenſendum eſt, quamquam vtriuſque finis longè diuerſus eſt. Angelus namque forte an permittente Deo, quæſtum

illi conciliat, vt exinde pauperibus eroget; alteri autem iacturam, vt à ludis auocet, quò expeditiùs, & enixiùs Deum colat, reique familiari diligentiùs incumbat. Denique hoc idem & Deum ipſum facere poſſe omnes arbitror fatebuntur; cùm minoris virtutis non ſit cauſa prima, omniumque ſuprema, quàm cauſę inferiores. Vtrum autem proximè id faciat, res eſt difficilioris contemplationis. Et quod ad me quidem attinet, proſperitatem illam, aut aduerſam fortunam, quæ pleroſque comitatur in luſionibus, Deo proximè adſcribere non auderem, quod etiam eruditus quidam vir ſentire videtur, qui proſperitatem in negotiis gerendis Deo quidem attribuit, in ludis verò Angelis, iuxta bonis, ac malis. Et verò quamuis multa ſunt, quæ nobis fortuita videntur; ea nihilominus definitam interdùm cauſam

ſam habent, cùm à Diuina prouidentia pendeant. Deus namque Angelorum, aliarumque cauſarum miniſterio, inſtigatione, illuminatione, aliiſque modis nobis incognitis, admirabiles effectus edit, quos humani more ingenij ad proſperam, vel aduerſam fortunam referre ſolent, qui cauſas eorum ignorant. Quis amabò non dixiſſet, tot malis iactatum Iobum fortunę ludibrium debuiſſe? Iob 42.
quis inauditas calamitates inſanientis fortunæ temeritate non adſcripſiſſet; attamen vir ſanctiſſimus ex diuite pauper, & ex inope ditiſſimus factus eſt ſummi Dei conſtitutione. Proſperitatem etiam maximam in negotiis ſenſit Putifarus Pharaonis Geneſ. 39.
eunuchus, vir Ægyptius, poſtquam Ioſeph ab Iſmaelitis emiſſet: illam autem plerique ſideribus natalitiis tribuebant, cùm tamen eius autor eſſet Deus; vt diuina Scriptura addocet.

Geneſ. 30. Laban quoque, ſeruiente illi Iacob, cæpit diuitiis affluere, ita vt omnes tantam fortunæ benignitatem admirarentur; & tamen, vt Sacræ literæ docent, diuitiæ illæ non ex fortunæ fontibus, ſed ex locupletiſſimis Dei theſauris effluxerunt, qui Laban, propter Iacob ſeruum ſuum, omnium rerum affluentiâ diteſcere voluit. Quemadmodum igitur proſperitas in negotiis, atque interdùm infelicitas, Angelorum, aliarumque cauſarum miniſterio à Deo proficiſcitur, ità poſſibile eſt, vt iiſdem cauſis, eodem volente, aut permittente, quidã in ludis fortunati, ſiue quidã infortunati. Hæc erant quæ reſponderem ad id quod curioſè quæſiuiſti, non pro tuâ fortaſſis expectatione, ſed pro eruditionis noſtræ modulo. Pergratum herculès erit mihi, ſi ex tuis literis intellexero, me his conſcribendis operam non luſiſſe.

Vale. Patauij, V. Kalendas Octobris. M. DC. XVIII.

Eraſto Sauonæ, Medico Veneto.

Epistola XIV.

Aſtrologorum electionibus, nullam omninò fidem habendam eſſe.

TAMETSI Franciſco Vianello, Mecœnati noſtro, ſcripſi, in Chymicæ artis operibus, atque in iis præſertim, quæ ipſe exercet, obſeruandum maximè eſſe, vt Luna in cõmunibus, Sol verò in igneis ſignis reperiatur; id tamen feci prouocatus ab eo, nec ex mea, ſed ex Aſtrologorum ſententia, quas equidem quanti faciam, puto te non latere. Vniuerſam diuinatricem Aſtrologiam inter aniles fabulas, & circulatorum oſtẽtationes numerare ſoleo, tantum ab-

eſt, vt electionibus, vt eorum vtar vocabulo, fidem vllam habendam eſſe cenſeam. Earum Autores illos ipſos fuiſſe arbitror, qui in Aſtrologica diſciplina mendacia, nugas, & res tetras effinxerunt, nimirum Arabes, atque in iis Dorothium, & Vitelium, quos Halyabenragel longè cæteris antepoſuit. Hos deinde imitati ſunt Meſſahallach, Abimegeſt, Alhayat, Alkindus, & alij huius claſſis auctores. Abuezaben, Zahel, Bembriz, Albumaſar, Bembrany, & Alobaz de electionibus itidem, ſed pinguiore Minerua ſcripſerunt. Ptolomæus eiuſdem rei frequenter in Cẽtiloquio meminit: ſed non conuenit inter viros eruditos, vtrum liber ille Ptolomæi ſit, an ſpurius & adulterinus. Auſpicationes, vt ipſi loquuntur, nihil aliud ſunt, quàm horarum quarundam electiones, quas ad aliquid agendum felices eſſe arbitran-

Lege Haliabenragel. par. 7. in proœm.

tur. Vt verbi gratia, ſi quis horâ certâ equum, aut nauim conſcendat, vel Regem adeat, proſperum illi futurum ſit iter, proſpera nauigatio, & à Rege quicquid petierit, facilè ſit cõſecuturus. Si verò iſtorum aliquid, elapſâ iam horâ, moliatur, infelicia cuncta prope futura ſint; hincque auſpicationum vtilitatem eliciunt: Etenim iis ipſis & mala, alioqui futura prohibentur, & bona, iam diu expectata, faciliùs comparantur. Nã, quæ ab aſtris Natiuitatis tempore promittuntur, non ſtatim eueniunt, ſed dantur initia, quædam media, & fines ſignificationum. Ideò inquiũt, ſi fiat dierum, aut horarum electio, quę figuræ Natiuitatis reſpondeat, tantò vehementiorem futuram eſſe ſignificationem, validioremque defluxum. Negant autem, electiones illis prodeſſe, quorum natiuitates, aut reuolutiones, aut Aſcendentis

Ptolom. in Centiloq. prop. 43. & 78.

interrogationes ignorantur. Scribit enim Zahel, quoſdam eadem hora ab vno, eodemque loco ſimul diſceſſiſſe, & nihilominus eorum aliquos citò ad patriam diuites, alios ſine lucro tardiùs reuertiſſe, alios verò in itinere periiſſe, idque ob varias eorumdem natiuitates contigiſſe: Porrò multis in reb⁹ haſce auſpicationes obſeruant, vt in ædificandis domibus, vel vrbibus, in emendo, & vendendo, in conſcribendo, in bellis, venationibus, & ludis, in incidendis veſtibus, in tondendis capillis, in ſcindendis vnguibus. Quid plura? In ipſa etiam circumciſione, atque baptiſmo. Audi quæſo ridicula: Si Mars, inquiunt, in vrbis ædificatione cæli cardinem obtinuerit, principes omnes illius ciuitatis gladio perituros. Rationem autem afferunt, quoniam aſtrorum inſenſibiles radij lapides afficiunt, flectiturque vis illa in habi-

Zahel Iſmaelita lib. de electionibus in princip.

Helyabenr. par. 7. c. 73.

Bellantii tario lib. 4. contra Picum, cap. 7.

tatores ipſos, qui ad incommodum, aduerſamque fortunam euitandam locum mutare coguntur. Ad hęc, ſi quis aleam ludere incipiat, Luna Veneris, aut Mercurij coniunctionem petente, aut eorumdem hexagona, vel trigona radiatione affecta, eum lucraturum eſſe, dùm tamen ità ſedeat, vt facies eius contra Lunę faciem poſita ſit. In venationibus ponunt Lunam in ſignis igneis, cum benigno aliquo Martis aſpectu: huiuſmodi enim aſtrorum conſtitutionem dicunt canes vehementer corroborare, & venatoribus prædam multam conciliare. Nolo alia recenſere, ne huiuſmodi ineptiis epiſtola repleatur. Vnum dumtaxat dicam, Aſtrologorum hanc de auſpicationibus doctrinam impiam, inanem, & deridiculam eſſe. Impiam quidem, quia religioni, liberoque hominis arbitrio obſtare videtur. Inanem,

Electio pr. ludis taxilorum ſecundum Meſſallach.

quia docet ea, quæ fieri nullo modo poſſunt. Ridiculam, quoniam in puerilibus rebus verſatur, atque à communi hominum ſenſu penitus abhorret. Conſideremus aliqua, & rem particulatim tractemus. Finge aliquem Aſtrologorum auxilio, tempus idoneum eligere ad petendam gratiam & beneficium à Rege. Quæro, quem putent aſtrorum defluxibus affectum, eum ipſum, qui petit, an potius Regem? Si eum qui petit, nihil igitur auſpicatio proderit, quippe quæ nullam in Rege liberalitatem inducat. Si Regem dicant, vtilis ergo, & opportuna erit petentibus omnibus, vel Aſtrologiæ imperitis, auſpicatio illa: quandoquidem Rex ita eodem tempore ſtellarum viribus affectus erit, vt non niſi beneficum & liberalem præbere ſeſe omnibus queat. Et nihilominus rē ſecus accidiſſe, vel ipſimet Aſtro-

logi ſæpius ſunt experti. Dicent fortaſſe, cælorum afflatus tunc temporis eum, qui petit, eloquentem facere, ac per hoc adſcititiâ facundiâ voti compotem fieri. Sed ſi hoc verè dicitur, cur non omnes, qui eadem hora, Regem adeunt, vt liberalem & munificum experiantur, eloquentes fiunt? Vnde hic cælorum diſparilis defluxus? A diuerſis, inquiunt, Natiuitatibus. O dementes homines: remota cauſa effectum pariet, proxima non pariet? Tantum poterit ſtellarum conſtitutio, quæ ante annos quadraginta, vel ſexaginta fuit: ea verò, quæ nunc eſt, nullas vires habebit? Quid hoc aliud eſt quàm dicere, ignem, qui iamdiu extinctus eſt, maximè vrere: eum verò, qui nũc lucet, ne calefacere quidem? Sed ad rem paulò propiùs accedamus. Cùm Rex, ea hora, quam elegit Aſtrologus, ſtellarum viribus ad largiendum

promptus, faciliſque redditur, attingunt ne vires illæ partem animi rationalem, an verò dumtaxat in ſenſum affectionem aliquam imprimunt? Primum arbitror dici non poſſe, quia rationalis anima cœleſtis impreſſionis eſt incapax. *Si* detur alterum, cùm cælum, ex Aſtrologorũ ſententia, ſit naturale, atque adeò neceſſarium agens, cogetur Rex ea hora vel ſceleſtis hominibus benefacere: quod quàm impium, atque abſurdum ſit, puto te peruidere. Veniamus ad ludos. Miror in primis, cur Aſtrologi omnes diuitiis non affluant, cùm rapere poſſint opportunum tempus, & occaſionem lucris idoneam: atqui vel hinc vanitatis eorum apertiſſimum argumentum elicio, quòd vbique miſeri, & bonorum pauperrimi ſint. Eligant quæſo ludis horam idoneam, ſitque benigna aliqua ſtella in Aſcendente, aut

Dominus Aſcendentis in medio cę-li, vt ipſi dicunt; iam ſcire libenter velim, cur duobus eâdem horâ ludere incipientibus, cùm ſint inter ſe tã paruo interuallo diſiuncti, hæc ſtellarum conſtitutio vni tantùm, non etiam alteri ſit profectura? Proderit fortaſſe Aſtrologo tantùm, quòd lucrificabilem, ceu Platus loquitur, horam nouit eligere. Non ergo in rebus eiuſmodi ab aſtris fortuna, ſed ab aſtrorum ſcientia pendebit. Quid amabò dicent, hunc fortunatum fuiſſe, quia primus talos iecit, aut primus ordinatos accepit? At id caſu contingit, non aſtrorum poteſtate: caſus igitur Aſtrologo victoriam eripere poterit. Quòd ſi caſum eſſe negent, omnemque prorſus actionẽ cæleſtibus corporibus attribuãt, dicãt obſecro, quonã motu, quo lumine, aut quo defluxu eadem corpora talos, & aleas ità componant, vt

huic quidem lucrum,&voluptatem illi damnum,atque moleſtiam afferre valeant? Niſi tandē ad Lunam cōfugiant,quæ alteri colluſorum, tanquam pulchritudinis ſuæ contemplatori,& fortaſſe an amatori propitia; alteri verò tanquam fulgorem, atque decorem ſuum inſuper habenti irata ſit; (ſolent enim excandeſcere diſpretæ formæ) haud certè ſcio,quid aliud pro ſe cōminiſci poſſint. De venatione verò quàm pueriliter loquuntur? Eligant horam quam ipſi velint ad venandum idoneam;ego certè intelligere non poſſum, quonam pacto aſtrorum motus,aut lumina,aut abditæ vires quicquam in venatoribus,in canibus, aut feris beſtiis efficiant. Si eo loci, quò tu curſum direxiſti, feræ non ſunt, inanis erit auſpicatio: nec vllam eſſe puto ſtellarum vim & poteſtatem quæ feras hinc inde diſperſas, ibi-

dem cogat & congreget. Sed pone ibi eſſe feras quamplures, & Lunam in ſignis igneis, benignos Martis radios excipere, dic amabò mihi, cur hæc aſtrorum conſtitutio canes tantùm, non etiam feras, quæ eodem in loco ſunt, excitat & corroborat? Eadem ne cælorum vis lentitudinem feris, canibus verò celeritatem afferet? Valeant ergo cum ſuis auſpicationibus Aſtrologi, qui non heic ſolùm, ſed ſumma ſemper in inanitate verſantur. Vale. Patauij Kalendis Ianuarij. M. DC. II.

Ioanni Pagnono, Cathedralis Venetiarum Eccleſiæ Archidiacono.

EPISTOLA XV.

Quæ ab Aſtrologis de Interrogationibus ſcripta ſunt, nullo fundamento veritatis niti.

ANDREAS frater reddidit mihi ſuperioribus diebus epiſto-

lam abs te: quâ pergratum tibi fore ſignificaſti, ſi quæcumque peritioribus Aſtrologis de Interrogationibus conſcripta ſunt, in pauca conferrem, & breui quaſi tabellâ complecter, meamque de illis ſententiam ad te tranſmitterem. Vtrumque nũc præſtabo libenter, cùm præſertim ruri, otio, & ſolitudine fruar: ſcis enim, quantis Patauij diſtinear rerum occupationibus & hominum frequentiâ. Qui diuinatricem Aſtrologiam ſectantur, non ſatis habere crediderunt, ex Natiuitatibus, & Reuolutionibus, quas vocant, cibum, queſtumque captare: (id enim, vt Picus ait, vel ſemel tota vita, vel ſingulis annis dumtaxat fieri poteſt:) ſed aliam etiam artem excogitarunt, quâ profeſſi ſunt, ſe, de quibuſcumque rebus interrogatos, inſtar oraculi reſponſa daturos, & quę quiſque cõcupiſcat vaticinaturos. Dicunt enim,

percuti interdum facultatem fictricem à virtute cæleſti, indeque animos noſtros alicuius rei ſciendę ingenti cupiditate flagrare. Propterea ſi quis eâ ipsâ horâ, quâ animus quibuſdam quaſi ſtimulis ad aliquid ſciendum incitatur, Aſtrologum adeat, eumque de re, quam ſcire cupit, præcipuè interroget, poſſe illum, ex inſpectione ſiderum prænoſcere, & quærenti reſpondere. Itaque cęleſti figura depicta, ſtatim Dominum Aſcendentis, & Lunam, & Dominum itidem rei quæſitæ, iuxta domorum ſignificationes conſiderãt; & quicquid ab aſtris indicari cognouerunt, ſiue id bonũ ſit, ſiue malum, obſcurioribus quibus poſſunt verbis, pronunciant. Diſſident autem inter ſe de tempore conſcribendæ figuræ: quibuſdam enim viſum eſt, horâ tantùm interrogationis, aliis verò eo ipſo temporis articulo, quo

interior animi motio percipitur fi-guram eſſe delineandam. Porrò, vt locus aliquis excuſationi relinqua-tur, ſi falſa reſpondiſſe dicentur, vna-nimi conſenſu prȩmonent eum, qui interrogaturus eſt; non ſponte, & voluntate ſuâ, aut animo decipiendi Aſtrologum, ſed naturali impetu motum; ad interrogandum accede-re debere, tunc enim Aſtrologum ei verè reſponſurum. His igitur ob-ſeruatis, nihil eſſe putarunt, quantũ-uis abditum, & occultum, quod non inſpectione ſiderum cognoſcere fa-cilè ipſi poſſint. Nam ſe liquidò ſcire profitentur, quid petere velit is, qui accedit ad te; quid in obſignatis epi-ſtolis contineatur; ſitne iuuencula virgo, an mulier; an nocte præteritâ rem quis habuerit cum muliere; qui cibi fuerint conuiuales: quis rem furto ſubtraxerit, & quò delata fue-rit, & huius generis alia, quæ ſciens

prætermitto,

prætermitto, ſexcenta. Autores præcipui, qui de Interrogationibus ſcripſerunt, quique in manus meas peruenerunt, hi ſunt: Zahel Iſmaelita, Abraham Auenaris Iudæus, Omar Tiberiades, Meſſahallach, & ex poſterioribus Halyabenragel, qui tres priores Iudiciorum ſuorum partes in Interrogationibus conſumpſit. Ex antiquioribus ſcripſere Dorothius, & Vuelius, ſed eorum libri in hæc vſque tempora non peruenerunt. Ptolomęus in Cētiloquio pauca quædam tetigit, (ſi tamen eius ille liber eſt, vbi aſſerere videtur, Aſtrologum ex Interrogationis figura non ſolùm prętéritos, ac futuros effectus ſcire poſſe, ſed ea prætereà quę is qui interrogat, agitet animo ſuo, & cogitatione meditetur. Tantum de priore quæſito. Quod attinet ad alterum, cenſeo, hanc pręcipuè diuinatricis Aſtrologiæ partem, quæ de

Interrogationibus eſt, tanquam inanem, & commentitiam, explodendam eſſe penitus, atque ab hominum mentibus, ſi fieri poteſt, radicitùs extirpandam. Hoc probare non eſſet in difficili, namque aliâs totius Aſtrologiæ diſciplinæ fundamenta prope ſum demolitus. Etenim ſi in cælo reuera nulla ſigna ſunt, nec Domus, nec Partes, ſed cuncta Aſtrologorum arbitratu conficta; ſi ſtellę omnes tàm fixæ, quàm erraticæ naturâ ſuâ beneficę ſunt, nec mali quicquam poſſunt efficere: ſi radiationum, ſiue aſpectuum nulla prorſus eſt vis, quæ ad hominum actiones pertineat; quem ad modũ Aſtrologus, inſpectione ſiderum, de rebus dubiis atque incertis interrogatus, vera poterit reſpondere? Sed liber rem accuratiùs pertractare. Finge dicis gratia fratrem meum eſſe in terra Græcia: Perſentio hac aut illa die vel

horâ, interiores quoſdam ſtimulos, & quaſi igniculos deſiderij, teneorque tunc ingenti cupiditate ſciendi, viuat ne, an vitę ſit ereptus? Adeo ſtatim ad Aſtrologum, & deſideriũ explico. Quæro in primis, quiſnam certiorem me facere poſſit, deſiderium hoc à cælis emanare? Nam & libera voluntas vnà cum intellectu, & facultas appetens, & recordatio rerum præteritarum, & meditatio præſentium, & improuiſa eiuſdem commemoratio hanc ipſam cupiditatem excitare poſſunt. Niſi autem cælum ipſum ſit, quod ſecundùm aliquam ſimilitudinem ſenſum interiorem moueat, nunquam de re quæſita iudicium ferri poterit, vt Aſtrologi docent. Ab euentis fortaſſe iudicabunt ipſi: nam ſi vera reſponderint, hinc confeſtim elicient, legitimam interrogationem fuiſſe, atq; interiorem illum impulſum ab aſtris

ortum duxiſſe: ſin ſecus, interrogationem tanquam ineptam criminabuntur, illumque animi impetum aliis omnino cauſis, quàm cęlorum viribus adſcribēt. Inanis ergo erit illa de Interrogationibus traditio, cùm nullus omnino ſit, qui de cauſa huius interioris impulſus certi aliquid habere poſſit. Verùm demus ab aſtris incitamentum hoc eſſe (quamuis ſi verum volumus ſuprà omnem humani ingenij captum ſit, aliquam ponere aſtrorum vim, quæ me priuatim ſtimulet ad ſciendum, viuatne frater meus, an viuere deſierit,) conſcriptaque Interrogationis figura, repererit Aſtrologus Dominum Aſcendentis in domo fratrum, vel à Domino tertiæ domus aliqua radiatione affectum; obſecro te, quomodo ex hac cæli conſtitutione, viuere, aut rebus humanis ereptum eſſe fratrem meum cognoſcet? libet ob-

ſignatis tabellis cum Aſtrologis agere. Nihil cęlum indicat cuius perficiendi poteſtatem non ſedeat, adeoque perficiat, (alioqui mendacio eſſet obnoxium, nihilque prorſus Aſtrologorum auſpicationes prodeſſent) quemadmodum ergo vis eadem ſtellarum, & mihi appetitum excitare, & fratri ſimul mortem afferre poteſt? Cauſa omnis effectum debet præcedere: ſi autem Aſtrologus fortè diceret, fratrem iam pridẽ extinctum eſſe; vbi nam interitus eius cauſam intueretur? Reſponderent Arabes, Aſtrologum inueniſſe Partem Mortis, aut Planetę interficientis in domo fratrum, indeque fratris mortem proſpexiſſe, & enunciaſſe. At n. Partes illæ nihil aliud sũt, quàm ſimplices planetarum aut inter ſe, aut ab aſcendente diſtantiæ, quę tantum abeſt, vt aliquid efficere poſſint, vt ne vllam quidem vim ſi-

gnificandi habeant. Sed pone illas partes mortem fratris indicare; eiuſdem autem cauſam quibuſnam ab aſtris repetemus? Quid figuræ Interrogationis cum fratre, qui fortaſſis apud aduerſipedes eſt? Planetæ qui mihi oriuntur, illi occidunt: qui apud me ſunt in angulo medij cæli, apud eum tenent angulum mediæ noctis. Nihil igitur Aſtrologus ex Interrogationis figura de vita, aut morte fratris poterit reſpondere. Præterea, ſi eodem tempore quini, aut deni homines ad aliquid ſciendum incitarentur, & omnes ſimul Aſtrologum adirent, ſuum quique deſiderium explanaturi, putaſne, eiuſdem figuræ inſpectione, quæſitis omnibus ſatis ab Aſtrologo fieri poſſe? Eadem ne aſtrorum conſtitutio huic mortem, illi bonam valetudinem minabitur? huic libertatem, illi ſeruitutem indicabit? Profectò aut ex va-

riis interrogationibus varij cęlorum defluxus pendebunt, quod quidẽ cũ ratione minimè cõſentit: aut Aſtrologorum de Interrogationibus doctrina inanis eſt & commentitia, quod mihi paucis erat hac epiſtolâ concludendum. Vale. Ex Mandriola Patauino ſuburbio, VI. Idus Octobris. M DC XVIII.

Ioanni Pagnono, Cathedralis Venetiarum Eccleſiæ Archidiacono.

EPISTOLA XVI.

De veritate Aſtrologicæ diſciplinæ in aeris mutationibus.

PVTASNE, Pagnone, diuinatrici Aſtrologiæ adeò infenſum me eſſe, vt ne vllam quidem ipſius partem quicquàm veritatis in ſe arbi-

trer continere? Ingratus certè eſſem, nec in ſcribendo, illam, quam profiteor, ingenuitatem, verùm aliquam potius maleuolentiæ ſpeciem præ me ferre viderer. In eam rem, quam ſcripſiſti, cenſeo maximè quadrare celebre illud Ariſtotelis effatum, Neceſſe eſſe, Mundum hunc inferiorem contiguum eſſe lationibus ſuperioribus, vt tota eius vis, atque poteſtas inde regatur, & gubernetur. Non equidem inficias eo, ventos, imbres, ardores, frigora, ſiccitates, & id genus alia, quę in aëris regione frequẽter accidunt, à cęlorum vi, tanquam ab effectrice cauſa pendere: nego tamen, hæc omnia certò ab Aſtrologis cognoſci, atque prędici poſſe. Solem, & Lunam præcipuas eſſe cauſas eorum, quę in aëre fiunt, neminem arbitror eſſe, qui ambigat. Quandoquidem Sol ſuo ingenti ſplẽdore, atque adeò calore, ab aqua

vapores, à terra exhalationes continenter elicit. Luna verò, quę aëri vicinior eſt, præterquã quòd hæc eadem quamuis debiliùs pręſtat; luminis etiam accretione, & diminutione varias in ipſum affectiones inducit. Nunc enim calidus, nunc frigidus eſt, nunc humidus, nunc ſiccus, nunc purus, & perſpicuus, nunc inquinatus, & turbidus, pro vaporum paucitate, vel abundantia. Hinc pluuiæ, grandines, venti, tonitrua, coruſcationes, aliæque meteorologicæ impreſſiones, vt cum Philoſophis loquamur. Porrò non ab his tantùm duobus planetis, ſed ab aliis quoque, & præſertim à tribus ſuperioribus, immò etiam à ſtellis fixis, varia affectionum genera excitantur, vt ingẽtia & acuta frigora, ardores inſani, ſiccitates maximæ, eluuiones, imbres magni, aliaque huiuſcemodi, ad multum tempus duratura, quemad-

modum Aſtrologi in magnis planetarum coniunctionibus, diuerſorũque ſiderum ortu, veluti Arcturi, Orionis, Hyadum, Pleiadum, Syrij, & aliorum frequenter obſeruant. Illam igitur Aſtrologiæ partem, quæ proximas horum effectuum cauſas contemplatur, quæque eoſdem, poſt futuros prænunciat, magni faciendam eſſe arbitror, eiuſque ſtudioſos omni honore, cultúque digniſſimos existimo. Generali namque anni conſcripta figura, quibuſdam regulis adhibitis, & nonnullis ſideribus obſeruatis, non diffiteor, poſſe illos vniuerſam anni conſtitutionem, & quatuor etiam horarum ſeu tempeſtatum qualitates optimè proſpicere: num ſcilicet naturalem ſtatum atque ordinem ſeruaturæ ſint, an verò ab eodem quodammodo receſſuræ. Regulæ autem certiſſimæ ſunt, non quas Arabes, & Aſtrologorum vul-

gus, ſed quas pauci aſtrologiæ prudentes obſeruare conſueuerunt. Putauit Albumaſar, & cum eo quamplures alii qui eiuſdem farinæ ſunt, ſi quando acciderit, vt ſuperiores planetæ in aliquo frigidorum, & humidorum ſignorum, vt in Cancro, Scorpione, aut Piſcibus coniungantur, tunc aquarum incrementa futura, & eluuies. Sed hæc fallit pede regula varo: quoniam in Primo Mobili, vbi Aſtronomi Zodiacum ponunt, nulla re verâ ſigna ſunt, nec vllæ partes, quæ aut aquæ, aut alterius elementi naturam participent; cùm cælum illud puriſſimum, & ſimpliciſſimum ſit. Vnde igitur, inquies, pluuiales aquæ, quibus elata flumina pluſquam vi amnica inuecta terras rupiſſe noſtris & retro temporibus memoriæ proditum eſt, Ioue, & Saturno in ſignis frigidis, & humidis coeuntibus? Reſpondere licet, eo-

rum rationem & cauſam non in ſignis, ſed in ſtellis quibuſdam eſſe, quibus Saturnus, & Iuppiter coniũcti, directò ſuppoſiti ſunt. Quemadmodum enim ſtellę quædam poſſunt ventos inducere, quædam calorem, aut frigus; ita quædam ſunt, non omnibus fortaſſe cognitæ, quę pluuias poſſunt longè maximas excitare. His autem cùm ſuperiores planetæ ſimul iuncti, directè ſubiiciuntur, earum vim, & facultatem recipiunt, quam poſteà vnà cum propriis defluxibus in aërem tranſmittunt. Ab aſtris igitur reapſe exiſtentibus, non ab effictis ſignis, aëris hæ commotiones proficiſcuntur: namque interdum obſeruatum eſt, Saturnum, & Iouem in iis ſignis, quæ ignea, vel aquea Aſtrologi vocant, abſque vlla ingenti aëris mutatione coiuiſſe. Multi etiam ex variis Lunæ, Soliſque aſpectibus, aëris ſerenitatem, cælique

perturbationem aliquando vaticinantur: non quidem ob aſpectuum aliquam vim, quà aſpectus ſunt; ſed ob maiorem, aut minorem illius luminis participationem, quod à Sole Luna mutuatur. Hinc minorum gẽtium Aſtrologi, ex quorumdam ſiderum ortu, atque occaſu, ex planetarum aſpectibus, & ex variis eorumdem, ſed potiſſimùm Lunæ in domibus cæli, manſionibus, non ſolùm quales futuræ ſint quatuor anni tẽpeſtates, ſed etiam dies ſinguli nubili vel ſereni, ſeſe pręſagire profitentur. Lunam, inquiunt, in 9. & 21. gradu Tauri, & Scorpionis; in 20. & 21. Leonis, & Aquarij; in 4. & 18. Virginis, & Sagittarij; in 21. & 23. Arietis, & Librę, pluuias inducere. Venerem idem efficere in primo gradu Cancri. Mercurium Lunę cõiunctum, vel aliquo modo illam aſpicientem, nubiferos notos excitare. Martem, & Solem in

ſignis ſeptentrionalibus calorem maximum excitare. Solem, & Iouē, in ſignis aëris coniunctos, aëris temperiem parere; aliaque id genus effutiunt, quæ apud ipſos arbitror, te legiſſe. Sed inſana profectò temeritas eſt, atque impudentia prædicanda ea affirmanter polliceri, quæ caſus abrumpere perfacile poſſit, quibuſque nihil eſt incertius, obſcurius, & fallacius, nihil denique imperceptius. Huius autem generis Aſtrologi, ſeu potius homines æruſcatores temeritatis ſuæ pœnas vt plurimùm ſufferũt: nam cum manifeſto in mendacio perſæpe deprehendantur (multa enim tentando incidunt interdum imprudentes in veritatem) ludibrio pleriſque omnibus habentur. Quoties multi vel ioculantes iſtiuſmodi hominibus res futuras præſagientibus veriora dixerunt? Numquid aliquando obſeruaſti, iis ipſis diebus,

quibus iſti ingentes pluuias futuras eſſe prædixerant, maximam cęli ſerenitatem atque tranquillitatem fuiſſe? Hos ego Aſtrologos contemno, diſpernóque, quòd nullis certis rationibus, aut regulis, ſed leuibus dũtaxat & fallacioſis coniecturis tota hæc cæli atque aëris obſeruatio nitatur & conſtet. Maior certè hac in re nautis, agricolis, & paſtoribus fides habenda eſt: qui non ex planetis, ſed ex tenuiſſimo interdùm flatu, ex nubecula vix conſpicua, ex aëris conſtitutione, ex quorumdam animalium motu, ac denique ex propriis principiis, cauſiſque proximis imminentes tempeſtates præcognoſcunt. Aſtrologi verò, qui ſiderum ortus, & obitus ſpeculantur, quique in reperiẽdis planetarum coniunctionibus, & aſpectibus, diu, multumque laborãt, mirum quantum vt plurimùm hallucinentur. Eius autem ratio eſt,

quoniam in aëris mutationibus non ſolùm actio, atque defluxus aſtrorũ exigitur, ſed ipſius materiæ quoque affectio deſideratur: hæc autem cùm incerta, & commutabilis ſit, incertam pariter aſtrorum diſciplinam efficit & fallacem. Prȩtereà varij ſunt terrarum tractus & regionȩs, ideò nec vbique attrahi vapores æqualiter poſſunt, qui in nubes cogantur, atque in aquam pluuiam transſmutentur. Huc accedit, quòd terra præ cælo exiguiſſima ſit, ac propterea difficillimum videatur eius, aut illius tractus ſpeciatim tempeſtates prouidere. Sed quàm ludificabilis omnis hæc diſciplina ſit hinc affatim claret, quod ventorum impetu nubes alicubi coactæ, aliò deferri quàm celeberrimè poſſint, vt alibi plerumque fiat auſtrinum cælum atque nubilũ, alibi autem pluat. atq; hȩc ἀκροθιγῶς à me dicta ſint. Cùm veneris Patauium

uium, (audiui enim te propediem affuturum eſſe) pluribus hac de re colloquemur; Interim. Vale, meque, vt ſoles, ama. Patauij IV. Kal. Nouembris. M. DC. XVIII.

Vulpiano à Vulpe Medico Vicentino.

EPISTOLA XVII.

Aſtrologiam Medicæ Arti, nec neceſſariam, nec valdè vtilem eſſe.

SI me audies, Vulpiane, tempus illud, quod Aſtrologiæ impendere decreuiſti, illi parti Medicinæ dabis, quæ tibi adiumento aliquo eſſe poteſt, & in qua te nondum ſatis exercitum eſſe cognoſcis. Neque enim neceſſaria eſt Medico Aſtrologia, neque illi tantam vtilitatem aſ-

fert, vt in ea vel modicum temporis terere operæ precium ſit. Noui ego pleroſque Medicos, & illos quidem celeberrimos, quorum aliqui Aſtrologiæ ignari omninò fuerunt: aliqui verò, tametſi ipſam callerent, eam tamen in re Medica nunquam, aut certè raró adhibuerunt. Nec tamen inficior Aſtrologiam pauló magis Medicinæ conferre, quàm Architecturæ. Qui enim Architecturam magni faciũt, vel hinc præcipuè eius celebrandæ occaſionem ſumunt, quòd videlicet perfectus, numeriſq; omnibus abſolutus Architectus, præter Geometriæ, Optices, Mechanicarum Artium, aliarumque diſciplinarum peritiam, in Aſtrologia vel præcipuè ſit inſtitutus; tametſi fortaſſis ei Aſtrologiæ abundè ſit, ſi vel quatuor cæli regiones agnoſcat. Idem propemodum de Medico ſentiendum eſt; Etenim vbi ſtella-

rum quarumdam ortus, atque obitus nouerit, ac tempora inſuper, quibus Luna vel cum Sole coit, vel illi ex diametro opponitur; tantum Aſtrologię adeptus erit, quantum illi ad Medicinam faciendam ſatis eſſe videtur. Conducit quidem Medico, ſcire tempora purgationibus cùm opportuna, tùm importuna, præſertim caniculæ ortum, ſub qua moleſtas eſſe purgationes Hippocrates docuit. Conducit Lunæ aucta atque damna pro venæ ſectione cognoſcere, quoniam in humoribus dominatur; & pro varietate luminis eius, variæ quoque in ægrotantium corporibus affectiones excitantur. Conducit etiam cęterorum planetarum loca, & radiationes ſpeculari: nam & ipſi peculiarem quemdam in humanis corporibus, atque adeò in humoribus dominatum obtinent. Saturnum atræ bili præeſſe dicunt, Mar-

Hippocr. 4. Aphor. 5.

tem flauæ, Iouem ſanguini. Inſuper
attrahendi vim Soli attribuunt, Ioui
digerendi,retinendi Saturno, Lunæ
expellendi. Si per otium liceat, &
morbus inducias dederit, aliqua in
Lunæ,cæterarumque ſtellarum mo-
tibus obſeruare non diſplicet. Secus
autem ſi ad acutum aliquem mor-
bum,cuiuſmodi eſt pleuritis, vel an-
gina,profligandum acceſſeris: tunc
enim Aſtrologia nihili facienda eſt,
ſed ſtatim,inuitis omnibus Aſtrolo-
gis vena ſecanda. Cæterùm obſer-
uationes illas quoad ſigna vel aſpe-
ctus,quà tales ſunt, vt exempli gra-
tia, non eſſe exhibendum medica-
mentum,quod laxandi vim habeat,
Luna in ſignis ruminantibus exiſten-
te,qualia ſunt Aries, Taurus, & Ca-
pricornus,quia tunc nauſeam,& vo-
mitum excitat; Aſtrologicis ſuper-
ſtitionibus deputo. Quemadmo-
dum & illud,non eſſe ferro tangen-

dum membrum, cui Luna dominetur, & habere quemque planetam ſub aliquo ſigno in membris humani corporis dominatum. Commenta Aſtrologorum hæc ſunt, & obſeruationes inanes: vnde enim hauſerunt, Saturnum in Ariete pectus regere, Iouem ſtomachum, Martem caput, Solem femora, Venerem pedes, Mercurium crura, Lunam genua? Quisnam fuit harum dignitatum, vel iuriſdictionum diſpenſator? Signa, vt toties à me audiſti, non habet cælum, niſi ea, quæ ibi Aſtrologus arbitratu ſuo confingit: propterea poſsũt quidẽ planetę ſub hac, aut illa primi Mobilis parte moueri, ſuoque motu nũc ad Oriẽtẽ, nũc ad Occidẽtẽ vergere, modò ad Septentrionẽ, modò ad Auſtrũ inclinare; ab illis autem cæli partibus, quæ ſimpliciſſimæ ſunt, vim aliquam in humani corporis membra obtinere nulla ra-

tione poſſunt. Næ perridiculum eſt, cùm tanta ſit planetarum prę humano corpore magnitudo, tãque parua inter pedes, & crura diſtantia; Si Venus, & Mercurius in ſigno Arietis copulati ſint, hunc crura, illam pedes regere, atque tueri? Numquid etiam à ratione penitus alienum eſt, Venerem per totum Arietis ſignum vſque ad vltimum gradum percurrentem, pedibus pręeſſe; ſtatim verò ac primum Tauri punctum ingreſſa eſt, à pedibus ad caput eius dominatum transferri? Mitto multa huc ſpectantia, quę de planetis ſuperioribus Aſtrologi dictitant, ea tantùm velim conſideremus, quę de Luna potiſſimùm tradiderunt. Exaſperari morbos, inquiunt, cùm Luna aut Soli opponitur, aut ab eodem tetragona radiatione afficitur; idque propter prauam horum aſpectuum naturam. A Luna etiam dies criticos

definiunt, quemadmodum & Medicorum plerique: aiunt enim, à cõiunctione Solis & Lunæ vſque ad quadratum primum, humores intumeſcere; à quadrato primo vſque ad oppoſitionem contrahi; ab oppoſitione vſque ad alterum quadratum, iterum attolli; ab eo quadrato vſque ad nouam coniunctionem, ad priorem ſtatum reuerti. Hinc Medicos monent, vt obſeruatis illis diebus, quibus humores ab interioribus corporis partibus ad exteriores exeunt, phlebotomiâ vtantur: pharmacis verò, cùm redeunt ad interiores, dummodo tamen Luna ſit in ſignis aqueis, & Dominus Aſcendentis non ſit coniunctus cum aliquo planeta, qui cęli medium obtineat, ne æger nauſeę moleſtiam ſuſcipiat, & medicinam euomere cogatur. Magna profecto Medicorum eſſet infelicitas, Vulpiane, ſi hæc omnia in-

Ptol. in Cētil. propoſ. 21.

pellendis morbis obſeruare compellerentur: ſed maior certè ipſorum ęgrotantium, ſi priuſquam medicamentum acciperent, expectare deberent, vt Medicus, vel Aſtrologus eorum Natiuitates conficeret. Vanitatis plena ſunt omnia, mihi crede, ne dicam malitię, & calliditatis. Et ad aſpectus quod attinet, quænam tanta poteſt eſſe tetragoni, aut diametri vis, vt Luna paulò antè, aut poſt aſpectum parum, aut nihil ęgroto moleſta ſit; in ipſo verò aſpectu humores tantopere turbet, morbumque ſæuiorem, & truculentiorem efficiat? Ab odio fortaſſe dicent, quo ſe planetæ inuicem proſequuntur, id proficiſci: quoniam tetragonus, & diameter aſpectus ſunt inimicitiæ. Ergo in corporibus cæleſtibus, quæ nullam omninò aduerſitatem patiuntur, odium erit, & inimicitia? Lunane, quæ tantum Soli de-

bet,ob communicatam lucem, eo ipſo tempore, quo plenè illam illuſtrat,& quaſi amator diligens,ex diametro poſitus, eius pulchritudinem contemplatur, fiet illi inimica? Sed ſit illi inimica,ſi dis placet, cur verò odium euomit in hominem miſerum qui in morbo cubat, cuius offenſas ipſa potuit contemnere extra omnem teli iactum poſita atque cõſtituta. Sed ſi tanta eſt aſpectuum vis ac poteſtas,cur ægrotus diſpari lance beneficium ex trigono, atque hexagono, damnum autem ex tetragono,& diametro percipit? Sicut enim hos inimicos, & malos aſpectus, ità illos amicos, & bonos, Aſtrologi ſolent appellare. Experimentis autem diſcimus, ſi paucułas affectiones excipias, quas Luna, variè à Sole illuminata,in laborantibus excitat, nihil eorum quæ diximus in huiuſcemodi aſpectibus contingere; & propte-

rea ſicut à bonis nihil ſperandum, ita nec à malis quidquam eſt timendũ. De diebus criticis nihil in præſens dico: Galenus item eos Lunæ tribuit, quia propiorem cauſam non agnouit: probabiliter fortaſſe dixeris effectum eſſe reconditæ rerum naturæ, ſicut æſtum Oceani Picus Mirandulanus hac de re copiosè, & eruditè ſcripſit, quem conſulere ſi vis poteris. Illud autem, quod de humorum dilapſu, atque contractione perhibent, omninò arbitror rationi diſſentaneum eſſe: nam ſi Lunæ motum, & lumen humores ſequuntur, quò magis lumen augetur, eò magis humores attolleret, ac propterea à cõiunctione vſque ad oppoſitionem humores continuò dilatari, ab oppoſitione verò vſque ad coniunctionem continuò contrahi deberent. Exhibendam denique quod putant medicinam Lunâ in ſignis

aqueis exiſtente, & Domino Aſcendentis à medio cęli remoto, magnum & impudens mendacium eſt: quoniam nec cælum fert huiuſmodi ſigna, nec Dominus Aſcendentis in quocumque loco reperiatur, cùm cauſa ſit valdè remota, medicamenti vires inhibere aliquo modo poteſt. Si morbis vis adhibere curationes, diligenter attende cauſas proximas, & præcipuas; vniuerſales verò, atque remotas ne admodum cures. Satis opinor tibi erit, ſi vt Philoſophus ſciueris, abſque ipſarum confluxu, effectus in lucem edi non poſſe: ſi modum ignoraueris, ad medicinam faciendam nihil intererit. Numquid igitur, quod præter aſtrorum auxilium, cibus in ventriculo receptus cõfici non poteſt, antequã edamus, cælorum ſtatus ſemper erit inſpiciendus. Vale. Patauij XII. Kal. Quintilis. M DC XV.

GEORGII RAGVSEII MATHEMATICARVM EPISTOLARVM

LIBER SECVNDVS.

Georgio Gennaro Brixienſi, I. V. Doctori.

EPISTOLA I.

De Chiromantia.

RESCRIBO tandem ad te, Georgi Gennare ſtudioſiſſime, de iis omnibus, quæ à me ſuperioribus diebus longâ ſatis epiſtolâ quęſiuiſti. Scis, quantis ferè ſemper occupationibus diſtinear, propterea non eſt cur hanc meam

tarditatem, atque procraſtinatio-nẽ excuſem. Flagitabas à me, vt tibi de Chiromantia ſcrupulum, qui te dies, noctesque ſtimulat, ac pungit, ex animo, ſi fieri poſſet, euellerem. Cùm enim Romæ viros nonnullos de Chiromantia diſputantes aliquã-do audiuiſſes, ſciendique cupiditate inflammatus librum etiam Ioannis Indagine percurriſſes; in Chiroman-ticorum opinionem ſenſim irrepſe-ras, tibique perſuaſeras, ex certis ma-nuum lineis, atque inciſuris, quæ homini ventura ſunt, à viris ſapienti-bus prædici poſſe; cùm præſertim multa & in temetipſo, & in aliis vera eſſe comperiſſes. Contrà verò cùm hoc diuinandi genus tanquam vani-tatis, ſuperſtitionis, atque ſtultitiæ plenum, ab Apoſtolica Sede damna-tum ſit, eiuſque autores omnes vſ-quequaque proſcripti; verebaris, ne nimium cupiditate prolapſus eſſes,

Chiromantiæ autores proſcripti.

& ne quid hac in re lateret, quod naturæ limites tranſcenderet, Diuinæque Maieſtati iniuriam aliquam faceret. Duo igitur ex me quæſiuiſti: alterum erat, vt totius Chiromanticæ diſciplinæ ſummam ad te mitterem: alterum, vt quid de illa ſentiam, liberè, atque ingenuè ſignificarem. Pręſtabo vtrumque libenter: quamuis graue admodum eſt, intermiſſa iam diu eius generis ſtudia nunc repetere, & eadem quaſi poſtliminio reuocare. Quod attinet ad primum, vt à nomine exordiar, Chiromantia Gręcè nil aliud Latinè ſignificat, quã diuinationem ex linearum, quæ in manibus ſunt, inſpectione. Arbitrati ſunt enim Chiromantici, naturam non fruſtrà & temerè, ſed maximo conſilio, atque inſtituto, in tam nobili, & neceſſario membro, cuiuſmodi eſt manus, lineas multas, & illas quidem diuerſi generis exaraſſe, quę

Ioannes Taiſnier lib. 1. Chiro. cap. 1.

inſcio homini totius vitæ euentum demonſtrarent: vt iis inſpectis, & imminentia pericula vitare, & diu expectata, atque promiſſa bona conſequi facilè poſſit. Nam ſi volucres cæli, inquiunt, & animalia terræ, naturali quodam inſtinctu, aëris perturbationem, atque temperiem, futuramque ſerenitatem prę̨ſentiunt, & motu aliquo corporis indicant, an non rationi conſentaneum videbatur, vt homo, qui vniuerſi compendium dicitur, & ſummi opificis imaginem gerit, eo etiam priuilegio donatus eſſet, vt futura prædicere, & quæ ſibi ventura ſunt pręcognoſcere poſſet? Hinc aiunt, infantes, ſuadente naturâ, cùm primùm in lucem editi ſunt, dextram aperire, nulla alia ſanè ratione, niſi vt ſuam ſortem oſtendant. Deus igitur quemadmodum cælum ſicut pellem extendit, (Chiromanticos loqui putato) formans librum

Antiochus Tybertus lib. de Chirom. cap. 2.

vniuerſitatis,in quo futura acciden-tia,quæ vim naturæ non excedunt, mirificè deſcripſit, fecitque duo luminaria magna, vt præter tẽporum diuiſiones,peſtes,bella,agrorum ſterilitates, pluraque id genus alia prę-monſtrarent: ita in vola manus ſtigmata quędam impreſſit, vt vnuſquiſque, cuinam operi deſtinatus ſit,ex illorum inſpectione cognoſceret. Exiſtimarunt itaque Chiromantici,lineas,characteres, & ſigna omnia, quę in manu hominis conſpiciuntur, nulla quidem materię, aut muneris neceſſitate,ſed ſupremi motoris nutu,cæleſtiumque corporum vi, & miniſterio,in eadem, tanquam in tabella quadam, partim conceptionis tempore inuſta eſſe, partim poſt natiuitatem inuri. Hincque ſibi artem effinxerunt, qua ex huiuſmodi linearum intuitu,variaque earumdem obſeruatione, hominum mo-

Chiromãtiæ fundamentum præcipuũ.

res,

res,ingenia, corporum habitudines, vitæ periodos, affectus, ægritudines, itinera, dignitates, fortunas, caſus, euentuſque omnes cognoſcere ſe ſe profitentur. Manum in tres partes diſtribuunt. Vna à brachij iunctura ad manum aliquantulum aſcendit; hancque nonnulli Reſtrictam, alij Raſcettam appellare conſueuerunt. Altera à Raſcetta ad digitos vſque pertingit, atque hæc palma, ſeu vola nuncupatur. Tertia digitos ipſos comprehendit, qui in pollicem, indicem, medium, anularem, & auricularem diſtinguuntur, & ſinguli, præter pollicem, tribus articulis continentur, cui natura duos tantùm aſſignauit. In tribus hiſce partibus inciſuræ, characteres, atque figuræ omnes reperiuntur, quæ paſſim à Chiromanticis conſiderantur. Lineæ, quæ in manu cernuntur, aut naturales ſunt, aut accidentariæ. Naturales vocant,

Manus diuiſio in radicem, palmam, & digitos.

Linearum diuiſio in naturales, & accidentarias.

quæ in omnibus ferè hominibus reperiuntur: accidentarias verò, quæ in aliquibus tãtùm. Naturales finitę sũt, ſed de earum numero Chiromantici non conſentiunt: alij enim quatuor tantùm conſtituunt, vt Tricaſſus, alij quinq. vt Tybertus, alij ſex, vt Taiſnier. Accidentariæ definito numero carent, ac propterea ad artem non omninò pertinent. Lineæ igitur principales, quæ totius Chiromãticę diſciplinæ fundamenta ſtatuunt, hæ

Vitalis. ſunt. Vitalis, ſeu cordis, quę pollicis

Naturalis montem circundat. Naturalis, ſeu media, quæ inter pollicem, & indicem initium ſumens, per tranſuerſam manum protenditur, & ad montem Lunæ terminatur.

Epatis. Epatis, quæ à radicibus lineæ vitalis oriens, Mediam verſus extenditur.

Menſalis. Menſalis, quæ prope montem Auricularis orta, Indicem petit.

Raſcetta. Raſcetta, quæ manum à brachio ſeiungit.

Saturnina. *Saturnina*,

ſeu felicitatis, quæ à Raſcetta incipiens, volam in duas partes diuidit, & ad Medij radices pertinet. Habent interdum hæ lineæ alias eiuſdem generis ſibi proximas, quas ſorores appellant, eaſque chiromanticas vaticinationes perficere arbitrãtur. Prętet has lineas, duas etiam obſeruant, quæ ſi non in omnibus hominibus, at ſaltem in pleriſque repeŕiuntur. Altera eſt, quę inter Indicem, & Medium orta, inter Anularem; & Auricularem terminum habet, Cinguluſque Veneris nuncupatur, effrenatæ libidinis index. Altera, quæ à Raſcetta ad Auricularem tendit, & dicitur Via lactea, quæ mẽtis leuitatẽ oſtẽdit. Alias plures obſeruãt, ex earum numero, quas accidentarias vocant: Sed omnes recenſere non eſt operæpreciũ. Cęterũ quoniã plures lineas ſe ſe mutuò ad angulos tãgẽtes, ſuperficiẽ claudere,

Linearum ſorores.

Cingulus Veneris.

Via lactea.

atque adeò figuram conſtituere neceſſe eſt; ideò Chiromantici præter ſupradictas lineas, duas etiam figuras præcipuas, videlicet Triangulũ, & Quadrangulum in manu hominis conſiderant. Triangulus ex tribus prioribus lineis cõſtruitur, Naturali, Epatis, atque Vitali: habetque angulum ſupremum, ad quem Naturalis, atque Vitalis inter pollicem, & indicem iunguntur: dextrum, qui ex cõiunctione Vitalis, & Epatis Raſcettã verſus exoritur: ſiniſtrum, quem linea Epatis, & Naturalis conficiunt. Quadrangulum nominant ſpatium illud, quod inter Menſalem, & Naturalem intercedit. Porrò, vt maior huic arti fides haberetur, manum ipſam cæleſtibus corporibus ſubiectã eſſe dixerunt, & ſingulis planetis ſuã cuique partem adſcripſerunt. Cùm enim tubercula quædã in digitorum radicibus appareãt, quæ Montes ab

Triãgulus.




Quadrangulus.

Montes planetarũ.

eiſdẽ dicũtur, cõmuni conſenſu mõtẽ Indicis Ioui, medij Saturno, anularis Soli, illã verò partẽ, quã Græci Hypothenar, & Latini manus percuſſionẽ appellant, hoc eſt ſpatium illud, quod extra triangulũ inter Menſalẽ, & Raſcettã intercedit, Lunæ conſecrarunt. De reliquorũ autẽ planetarũ dominio nonnihil eſt apud ipſos diſcriminis. Nã Cocles, Tricaſſus, Indagine, Taiſnier, & alij monti pollicis Venerem, auricularis Mercuriũ, trianguli ſpatio Martẽ præfecerũt; hæcque communis eſſe ſententia videtur. Antiochus verò Tybertus, & Ruffus Epheſius, quos Hieronymus Cardanus ſecutus eſt, montem Pollicis Marti, auricularis Veneri, Triangulum Mercurio tribuerunt. Neque verò planetas ſolùm diſtinctis manuũ partibus præeſſe exiſtimarunt, ſed characteres etiam vniuſcuiuſque planetæ proprios effinxerũt, ex quorũ

Diſſidium Chiromanticorum de montibus planetarũ.

Cardanus lib. 2. de rer. variet. cap. 79.

varia in manibus, vel digitis diſpoſitione, euentus quoq. varios ſecundũ planetarũ ſignificationem prędicere ſolent. Expediet characteres aliquos exempli cauſa hîc apponere, vt deinceps, quãti hæc ars æſtimanda ſit, & quibus fũdamentis nitatur, facilè intelligere poſſis. Saturni characteres ita deſcribunt  Iouis  Martis  Solis  Vener.  Mercurij  Lunæ  characteres hos ex Taiſnierio excepi: ſed quot sũt autores Chiromãtiæ, tot ferè apud eoſdẽ diuerſi planetarũ characteres reperiũtur. Præter characteres, ad hãc quoq. artẽ pertinere aiũt 7. lit. ſecundũ planetarũ numerũ, quas diuinas appellãt, & sũt ABCDEFG, quæ prout in manibus diuerſorũ planetarum loca

Planetarũ characteres ex Taiin. lib. 2. cap. 6.

Septem diuinæ literæ apud Chir. Tricaſſus. par. 1. Chir. cap. 7.

obtinent, varias quoq. ſignificationes habere dicuntur. Vt exẽpli gr. A in loco Iouis, hominem diuitẽ ſignificat: in loco Solis, fortunatũ: in loco Mercurij, ſtudioſũ: in loco Veneris, infidelẽ: in loco Martis, crudelem: in loco Lunæ, infirmũ. Docent autem, omnes huiuſmodi literas malũ ferè ſẽper indicare, præter B, quæ bonum ſẽper portendit. Denique punctula quædã, quę interdũ apparent in vnguibus, ſimulq. eorũ numerũ, colorẽ, & ſitũ Chiromantici obſeruant, quorũ multitudinẽ docent ſpes inanes, & metus, vbicũque fuerint, indicare. In radicibus autẽ vnguiũ futura, in medio præſentia, in sũmo, quæ iã euaneſcũt, ſignificare. Alba bonas ſpes, nigra detrimẽta, rubra iniurias pręnũciare. Profũda in pollice honores, atq. itinera, in indice lucrũ, in medio ſtudiũ laborioſũ, in añulari inuẽtionẽ, in auric. amores, & voluptates

Punctulorum quæ apparent in vnguibus ſignificatio

Barthol. Cocles. lib. 5. Chir. par. 3. cap. 3. Cardan. vbi ſup. & Ant. Picciolus. lib. 2. de man. inſpectione. c. 23.

decernere. Poſt hæc omnia ſequitur Chiromanticum iudicium, quod in quarumdam rerum obſeruatione conſiſtit. Debet, inquiunt, in primis, qui iudicium ferre debet, omni animi affectione carere, erga eum cuius manum intuetur: nam amor, & odium, Ptolomæo teſte, vera iudicia prohibent. Ille deinde, qui iudicium expectat, debet exhibere manus benè lotas, callo minimè obductas, ieiuno ſtomacho, quieſcente corpore, in loco à nimio frigore, radiiſque ſolaribus remoto. Prętereà in maſculis, atque in iis, qui diu nati sũt, dextrã; in fœminis verò, atq. in iis, qui nati ſunt noctu, ſiniſtrã manũ examinãdã eſſe: quamuis hac de re Chiromantici inter ſe diſcrepent, cùm multi vtramque manum indiſcriminatim obſeruent. Ad hæc, forma, & magnitudo manus, digitorum, & vnguium, pręcipuè verò quatuor linearum quali-

Chiromanticorum obſeruationes antequã iudicium ferant.

In Centil. prop. 12.

tas diligenter ſpectanda, num videl. longæ, ſint, latæ profundę, rectæ, obliquæ, interciſæ, ſeparatæ, continuę, lucidæ, apparẽtes, rubrę, pallidæ, fuſcæ, an alio quocumque modo ſe habeant. Conſiderãt denique triangulum, quadrangulum, ſemicirculum, cruces, ſtellas, radios, ramos, characteres, literas, & alia quæcumque ſigna quæ in manibus rępeniuntur: ex quorum obſeruatione, experimentiſque multis, Chiromantiam originẽ traxiſſe affirmant. Hanc autem in ſcientiarum albo ſcribere non veriti ſunt, putantes, ipſam & ſubiectam materiam, & omnes ad veram ſcientiam neceſſarias conditiones habere. Eſt enim Chiromantia, autore Tyberto, ſcientia quędam, qua ex ſenſibilibus manuum ſignis, hominis fortunam, propenſiones eius varias, naturaleſque affectiones cognoſcere poſſumus. Eius ſubiecta

Chiromantiam ponũt Chiromantici in numero ſciẽtiarum. Tybertus lib. de Chir. cap. 1.

Chiromantiæ ſubiectum.

materia, vt Achillino placuit, homo eſt: quamuis alij non hominem, ſed hominis potius partem, ſeu membrum, hoc eſt manum ipſam eſſe cenſuerint. Hanc Taiſnier putauit Aſtrologiæ ſubiici, nec poſſe quemquam ſine Aſtrologia perfectum Chiromanticum eſſe: vt enim Aſtrologi planetas, ita Chiromantici lineas illis reſpondentes conſiderant. Cocles eandem ſubiecit Phyſiognomię, cuius tanquam ramus quidam exiſtit. Achillinus verò Naturali Philoſophiæ, à qua ſua principia, & fundamenta ſumit. Tybertus, inuitis Stoicis, hanc ſcientiam magni fecit, eamque aſſeruit hominibus ſaltem ſapientibus prodeſſe plurimùm, qui ob quandam diuinitatem, quam in ſe continent, aſtris quodammodo imperare dicuntur. Huius diuinatricis facultatis ſcriptores veteres dicũt fuiſſe Hermetem, Alchyndum, Pythagoram, Pharaotem Indum, Zo-

Achillinus in quæſt. de ſub. Phyſiogn. & Chirom.

Chiromantia variis ſcientiis ſubiicitur.

Chiromantiæ autores varij.

pyrum, Helenum, Ptolomęum, Alpharabium, Galenum, Auicennam, Raſim, Iulianum, Maternum, Loxium, Philemonem; recentiores verò Petrum Aponenſem, Albertum, Michaelem Scotum, Sauonarolam, Cermiſonum, Coruum, Petrum de Artha, & alios, quos ego ſuprà nominaui. Sed & Ariſtotelem inter huius artis patrocinatores cõmemorãt, quem inquiũt librũ Hermetis de Chiromãtia literis aureis cõſcriptũ in tẽplo quodã ſuper ara, eidẽ Hermeti dicata, reperiſſe, eũq; ad Alexãdrum Philippi miſiſſe; eũdẽq; poſtea varia ad Chiromantiã ſpectantia docuiſſe. Deniq;, vt magni hæc ars ab omnib⁹ æſtimaretur, diuinarũ quoq; ſcripturarũ auctoritate illam firmare conati sũt. Primò ex lib. Iob, vbi de Deo loquẽs, ita ſcribit, *Qui præcipit niui, vt deſcẽdat ſuper terrã, & hyemis pluuiis, & imbri fortitudinis ſuæ. Qui in manu hominũ ſignat, vt nouerint ſinguli opera*

Ariſt. de Chiromantia ſcripſit.

Diuinæ ſcript. autorit. quib. Chiromantici ſuam ſcientiam confirmãt. Iob. 37. & Exodi 13.

ſua. Deinde verò ex libro Exodi, vbi Moſes, alloquens populum ſuum, ait. *Eritque tibi in ſignum ſuper manum tuam, & memoria inter oculos tuos.* Ex quibus verbis eliciunt, ſcientiam hãc vetuſtiſſimam fuiſſe, eandemque ipſum legiſlatorem Moſem apertiſſimè comprobaſſe. Tantum de primo quæſito. Quod attinet ad alterum, ne quid erroris contingat in verbo, diſtinguenda primùm Chiromantia eſt: alia enim Aſtrologica, alia Phyſica dicitur. Aſtrologica illa vocatur, quæ ex lineis, characteribus, atque tuberculis, quę in manu hominis planetarum vires, ac facultates repræſentant, de ipſius natura, variiſque rerum euentibus iudicare docet. Phyſica verò ea eſt, quę ex linearum magnitudine, & qualitate, quatenus effectus ſunt diuinæ illius facultatis fictricis, bonam, vel malam corporis habitudinem cognoſcit, vitamque adeò, aut longam, aut breuẽ

Chiromantia duplex. Mart. Delr. lib. 4. Magic. Diſquiſ. c. 3. q. 5

prænunciat. Nunc de vtraque quid ſentiam, paucis explicabo. Chiromātiam Aſtrologicam inanem puto diuinationem eſſe, nullo prorſus fūdamento ſubnixam, ſcientiæ nomine penitus indignam, & ab Apoſtolica ſede iure meritoque dānatam. Hoc, opinor, tu facile capies, qui iam ſæpè ex colloquiis noſtris intellexiſti, quā fallax, & incerta ſit tota diuinatrix Aſtrologia; quamq. grauiter, circa cæleſtium ſignorum naturas, Domorū, quas vocant, ſignificationes, Aſpectuum vires, planetarum, aſtrorūq. omnium in ſingulos homines pręcipuos defluxus, & alia huius generis plura coniectores Aſtrologi hallucinētur. Fūdamento autē ſublato, corruere ædificiū neceſſe eſt. Sed velim proximè, & id quidē obſignatis tabellis cū Chiromāticis agamus. Sciētia omnis, vel ars, Ariſtotele autore, aut à naturalibus cauſis proficiſcitur,

Chiromantia Aſtrologica inanis diuinatio eſt.

Ratio efficax in Chirom.

1. Poſt. 1. Phyſ. & 1. Metaph.

aut habet per ſe nota, vel alibi demõſtrata principia, aut certiſſimis eſt experimentis cõprobata. Chiromãtici autẽ ſpõte ſibi ipſis principia quædã effingũt, de quibus etiã inter ſe magna contentione decertãt. Diſcerem primùm libenter ab iis veritatẽ huius Chiromãtici principii, videlicet Mõtem indicis à Ioue, medij à Saturno, anularis à Sole, & reliquos à reliquis planetis gubernari. Hoc certè principiũ non eſt per ſe notum: Etenim dubium ſtatim occurrit, cur non potius Iuppiter in medij, quàm in indicis radices vim ſuam influat? Vndenam ergo ſuam firmitatem nanciſcitur? Deinde oro te, quiſnam certum me reddere queat, hos eſſe proprios characteres Martis, illos Veneris, alios Mercurij, ſi hac de re ne apud ipſos quidẽ Chiromanticos, vt ſupra animaduerti, vlla cõſtãtia eſt? Naturalẽ inſuper lineã, inquiunt, in manu

Chiromantiæ principia incerta, & ſponte ficta.

Taiſnier lib. 5. Chir. cap. 6. 7. & 9.

mulieris, magnos, & curuos ramos verſus inferiorē partē emittentem, meretricē indicare. Crucē in monte indicis benè formatā eccleſiaſticam dignitatem promittere. Literā A. in mōte Solis tā genitori, quā filio bonā fortunā portendere. Quæro, ſtigmata hæc ſint ne ſigna tantū, an etiā cauſæ? Si cauſæ, debet igitur à Chiromāticis explicari efficiēdi modus: nā humani ingenij captū excedit, quēadmodū crux in monte indicis vim habere poſſit aliquem ad religionem impellēdi, & Pontificē Maximū, nōdū electū fortaſſe, ad Eccleſiaſticā dignitatē ei largiēdā cōpellēdi. Si autē ſigna ſunt, &, vt ipſi aiunt, à Deo, cæleſtium corporum miniſterio in manibus impreſſa; aut igitur neceſſariò expectanda erunt quæcumque portenduntur ab illis, aut Deum futurorum euentuum ignarum, vel mendacem eſſe, quod dictu perquam impium, confiteri neceſſe erit. Alia ratio.

Chiromanticorum temeritas, atque ſtultitia.

Ridere ſoleo, dum interdum Chiromantici, inſpectâ cuiuſpiam manu, tres eum, vel quatuor vxores habiturum eſſe prænunciant. An non ſtultiſſimum tibi videtur, ex lineis, quæ in vnius manu sũt, alterius mortem velle prædicere, qui nondũ fortaſſe in reb. humanis eſt? Ad experimenta confugiunt, quemadmodum & Aſtrologi, cùm ſe ſe videant rationibus deſtitutos: id, quod etiam Petrus Aponenſis inter Chiromanticos celeberrimus confeſſus eſt; qui ait, ſe identidem in vaticinationibus Chiromanticis veritatem comperiſſe, eam tamen experimento potiùs, quàm ratione vlla munitam. Sed quid mirum eſt, Chiromanticos inter tot nugas aliquando veritatem prænunciare? Nonne id etiam faciũt Ægyptiæ illę mulieres, quæ Zingaræ vulgò dicuntur? Hoc autem caſu accidit, nõ aliquâ vi cognitionis: vt mirandum

Chiromanticorum effugium.

Petrus Apon 10. ſec. Problem. 49.

Chiromantici verum interdum caſu prænunciant.

mirandum certè ſit, cùm mendaci homini, ne verum quidem dicenti, credere ſoleamus, quomodo iſtis, ſi vel vna vatum iſtorum prædictio vera extiterit, tam facilè credamus, & non ex multis potiùs falſis vni fidem abrogemus? Sed iam conſuetudo inualuit, vt ſi quid veri ab iſtis ceciderit, id omnes perpetuò commemorent; tot autem mendaciorum nemo penitus recordetur. Ioannes Taiſnier librum integrum de Chiromanticis experimentis edidit, vbi, teſtibus quamplurimis adhibitis, illarum rerum veritatem comprobare nititur, quas ipſe manuum inſpectione, variis in locis, multis heroibus, & viris illuſtribus prædixit. Sed attende queſo, Gennare, quàm aptè hæc cum iis cohæreant, quæ idem Autor ſui operis initio ad ſtabiliendum Chiromanticum iudicium edocuit. Monet ipſe, ex veterum ſententia, non

Cicero lib. 2. de Diuin.

Taiſnier li. 6. de Chiromanticis experimētis.

Chiromantici ſibi ipſis parum conſtantes.

quocumque tempore, aut in quouis loco,aut quomodolibet ſe habentes manus eſſe à Chiromantico inſpiciẽdas:ſed ſi fuerint benè lotæ,ſi corpus quieuerit, ſi ſtomachus cibo caruerit. Ipſe autem,vt fatetur,ſtatim poſt prandium, repletis corporibus, adiunctis poculis, fumantibus adhuc capitibus illa iudicia dedit: quæro ex te,vtrum ex certa aliqua ſcientia, an ex furore potiùs,vt noſtri aiunt, diuino eius generis vaticinationes effluxerint? Siſtendus ſaltem primùm erat fluxus oris,pòſt vaticinandum. Aduerſus autem illa, quę de vnguiũ maculis effutiunt,equidem nihil dico: nam inter viros doctos planè conſtat, maculas illas non aliunde, quàm ex diuerſorum humorum portiunculis exoriri, quæ vnguium materiæ caſu intermiſcentur. Relinquenda igitur eſt hæc Chiromantiæ ſpecies ſuperſtitioſis hominibus; cũ

Chiromantia curioſorum ludus.

ſcientia ipſa non ſit, ſed impiorum commentum, &, vt rectè Tricaſſus aliquando dixit, curioſorum ludus. Autoritates autem Diuinæ Scripturæ, quas in huius ſuperſtitionis fauorem Chiromantici adducere ſolent, ne minimum quidem viris doctis negotij faceſſunt. Locum Iob ita ad literam exponunt, Deum videlicet, qui præcipit niui, vt deſcendat ſuper terram, ſignare etiam in manu omnium hominum, vt nouerint ſinguli opera ſua, hoc eſt operatrici hominum facultati, quę per manum, tanquam per organorum organum deſcribitur, temporum varietates aſſignare, vt tempora attendant, ſuis operibus accommodata: quibuſdam enim operibus longe aptius eſt pluuioſum tempus, aliquibus verò ſiccum, aliquibus calidum, aliquibus frigidum. Quam etiam temporum varietatem vel ipſamet bruta ani-

Tricaſſus in præfatione.

Exponitur locus Iob à Chirom. adductus. Vide Nicolaum de Lyra.

mantia obſeruant; ideóque Iob cõſequenter ait, *Ingredietur beſtia latibulum ſuum*, ſcilicet propter aëris intemperiem, *& in antro ſuo morabitur*, donec videlicet tempus erit idoneum ad egrediendum. Locus verò Exodi alludit ad conſuetudinem hominũ, qui, cùm rem quampiam memoriæ commendare volunt, ſignum aliquod digitis alligant, quòd ſcilicet manus ob oculos ſemper verſentur: ideò vt populus Iſraël illius diei recordaretur, quo de terra Ægypti egreſſus eſt, præcepit Moſes, vt eſſet illi quaſi ſignum in manu, & quaſi appenſum quid, ob recordationem, ante oculos eius. Chiromantia verò phyſica, ſeu naturalis, quæ ex manus conſtitutione de ratione totius corporis exiſtimat, indéque etiam varias animi propenſiones probabiliter elicit, vera ſcientia eſt, naturalibus principiis innixa, & à viris celebratiſſimis

Explicatur locus Exodi. Vide Franc. Valeſium lib. de ſacra Phil. c. 32.

Chiromãtia Naturalis vera ſciẽtia eſt, & pars Phyſiognom.

approbata. De hac Raſis, Auicenna, & Galenus ſcripſerunt: hanc Socrates, Pythagoras, vetereſque illi Philoſophię proceres cognouerunt: hãc Ariſtoteles inter vtiles diſciplinas numerauit, atque Phyſiognomię partem eſſe putauit. Eius meminit, cùm libros de animalium hiſtoria compoſuit, hiſce planè verbis. *Pars interior manus vola dicitur: carnoſa eſt, & ſciſſuris, vitę indicibus, diſtincta: longioris ſcilicet vitæ, ſingulis, aut binis ductis per totam: breuioris, binis, quæ non longitudinem totam deſignent.* Nec eſt, cur dicant aliqui, libros de Hiſtoria animalium populares eſſe, ibique Ariſtotelem non ex propria, ſed ex aliorum ſententia de rebus ad animalia pertinentibus diſputaſſe: quoniam quæcumque ibi Ariſtoteles ſcripſit, tanquam vera alibi comprobauit; quinimmò in iis libris vniuerſæ de Animalibus doctrinæ ſolidiſ-

Ariſt. Natural. Chirom. meminit lib. 1. de hiſt. animal. cap. 15.

Lib. de hiſt. animal. qualeſnam ſint.

ſima fundamenta conſtituit. Nullam igitur Ariſtoteli iniuriam facimus, ſi ipſum Chiromantiæ gnarum fuiſſe dicamus, dummodo tamen non de Aſtrologica, ſed de Phyſica, & Naturali loquamur. Rogabis autem, vndenam Ariſtoteles elicuit, virgulas illas, ſeu ſciſſuras in manu, vitę longitudinem, aut breuitatem indicare? Huius rei naturalem rationem conati ſunt quidam reddere: cùm enim, inquiunt, infans in vtero eſt, manus habet clauſas, ſtricta in pugnum palma, & digitis in condylos complicatis. Digitorum igitur apicibus, ſeu vnguibus virgulas efficit, & illas quidem profundiores, & magis apparentes, quò aſtrictiores manus fuerint. Et quoniam magna hæc digitorum compreſſio abſque motu vehemēti fieri nequit, quippe qui motus indicat, fœtum à primordiis robuſto, vegetoque calore preditum

A lineis quæ ſunt in manu cur Ariſt. vitæ longit. aut breuit. elicuerit.

Nonnullorum ratio.

eſſe; hinc quaſi neceſſaria quadam conſecutione concludit, eum, in cuius manu profundæ virgulę, & maximè apparentes fuerint, ad ſummam ſenectutem victurum, cùm vita pręcipuè in calore conſiſtat. Cæterùm cùm rationem hanc ad veritatis trutinam expendiſſet perilluſtris, ac excellentiſſimus Eques Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, Anatomicorum omnium facilè princeps, Gymnaſij Patauini decus, Præceptorque meus maximè colendus, eã comperit nec in rem omninò quadrare, nec veram Ariſtotelis ſententiam aperire. Primò, quoniam obſeruauit, digitorum apices illuc non pertingere, vbi ſciſſurarũ impreſſio fit. Deinde quoniam etſi pertingerent, non eum tamen motum habere poſſent, qui ad ſciſſuras efficiendas ſatis eſſet: conſtans enim eſt anatomicorum aſſertio, in fœtu motum

Hæc ratio ab Aquapendente reiicitur.

nullum voluntarium fieri. Sed pone, fœtum in vtero exiſtentem ad arbitrium aliquando moueri, videas nihilominus digitos ita inter ſe aptos, atque connexos eſſe, vt ex eorum apicibus volam prementibus, vnicâ tantùm virgulâ effici poſſit: reliquarum autem ortus cuinam adſcribetur? Ideò eruditiſſimus, & ſapientiſſimus ſenex, cui certè nihil quod ad humani corporis ſtructuram attineat, ignotum eſt, præcipuas, & magis conſpicuas in interiore manu virgulas non prementibus quidem digitorum apicibus, ſed metacarpi articulationibus acceptas retulit. Namque ex inflexione minimi & anularis digiti oritur linea illa, quam Menſalem Chiromantici appellant; ex inflexione indicis & medij naſcitur Media, ſeu Naturalis; ex inflexione verò pollicis efficitur Vitalis. Minores verò virgulas ex iis quaſi liga-

Linearum, quæ ſunt in manu origo ab Aquapendēte explicatur lib. de Anatom. manus.

mentis oriri putauit, quibus latus tẽdo vnà cum cute interiùs oſſibus alligatur, atque etiam ex diuerſorum generum fibris, cuti ſuppoſitis. Manus itaque lineas non ea ſanè ratione à Natura factas eſſe cenſuit, vt boni quippiam, vel mali homini portenderent, ſed vt manus ipſa probè munus ſuum obiret, hoc eſt res omnes tractabiles tutiùs, & exquiſitiùs apprehenderet. Etenim in manus diſſectione apertiſſimè oſtendit, illic, vbi lineæ ſunt, membranoſum quemdam nexum ſubiici, qui cutem interiùs contrahit, & ad oſſium commiſſuras alligat, ſicque illam & exquiſito ſenſu præditam, & quò firmiùs res apprehendat, difficulter circumuerſatilem reddit; atque hic eſt linearum vſus. Cur autem ex ipſarum maiore, vel minore profunditate vita breuis, aut longa prænuncietur, Ariſtoteles in Problematis quaſi per tranſen-

Linearum, quæ ſunt in manu, vſus.

Ratio Ariſt. 10. ſect. Problem. 49. cur à lineis manuum vitæ periodus eliciatu

nam oſtendit: vbi quamuis huius rei proximam cauſam non attigerit, ad illam tamen facilem aditum præbuit. Profundiores, inquit, lineæ maiorem articulationem indicant, maior autem articulatio longiorem vitam: exemplo Piſcium, qui breuiorem vitam habent, propterea quod minus cæteris articulati ſunt. Articulatio, ſi rem diſpiciamus, nõ eſt proxima cauſa longitudinis, aut breuitatis vitæ, ſed potius motus, cùm in eius gratiam parata ſit: quę igitur magis articulata ſunt, ea ipſa exactiore, vehementioreque motu pollent, quàm quæ minùs. Quoniam verò celer, expedituſque motus validum calorem exigit; validus autem calor index eſt robuſtiſſimi cordis, à quo, tanquam à fonte, atque principio vita oritur; hinc eſt, quòd Ariſtoteles ex amplis, atque profundis lineis, quæ in manibus ſunt, vitæ longitu-

dinem, ſicut contrà ex obſcuris, atque exilibus breuitatem argumentatus eſt. Porrò ab articulatione deſumpta ratio, ad vitæ longitudinem, aut breuitatem ſignificandam parũ efficax eſt, ſi ſuperficie tenus ſpectetur, & articulatio, quà talis eſt, conſideretur. Vt enim perilluſtris idem Eques optimè animaduertit, Muſcæ ſunt magis articulatæ, quàm Piſces, & tamen minùs viuunt. Canes etiam, Feles, Mures, Aues, & digitata omnia magis ſunt articulata, quàm biſulcus Ceruus; ipſo nihilominus longè breuiorem vitam habere dicuntur. Hæc igitur ſunt, quæ de Naturali Chiromantia Ariſtoteles ſcripſit, nec vſpiam certè, quod equidẽ hactenus viderim, Aſtrologicæ meminit; vt probabile ſit, librum illum de Chiromantia, literis aureis conſcriptum, à Chiromanticis potiùs confictum, quàm vel ab Hermete

Ab articulatione quà talis eſt, haud rectè vitæ periodus ſumi poteſt.

Linearum varietas in manibus vndenam oriatur.

Taiſnier li. 1. de Chir. cap. 4.

compoſitum, vel ab Ariſtotele inuẽtum fuiſſe. Nil autem te conturbet, Georgi, linearum varietas, quæ in tot manibus reperitur; (ſcribunt enim Chiromantici, vix inter hominum centum millia duorum manus conſimiles reperiri) immò tu quàm primùm hinc elice, Chiromantiæ Aſtrologicæ vanitatem. Etenim ſi in tot hominum numero ne duæ quidem manus ſimiles reperiantur, quodnam erit igitur huius Chiromanticæ diſciplinæ experimentum? Naturales lineæ, quas vocant, quoniam ex manus aſtrictione fiunt, in omnibus ferè ſimiles ſunt: accidentariæ, vt ipſi dicunt, ad artem non pertinent, ſed tàm has, quàm illas, non aſtrorum vlla vis, vt ipſi putant, ſed varia manuum conſtitutio, quæ in quatuor primarum qualitatum temperatione conſiſtit, diſſimiles facit, atque conſtituit. Vale. Ex Man-

driola Patauino ſuburbio, XIII. Kalendas Nouembris. M DC XVIII

Dominico Contareno, Io. Baptiſtæ filio, Patritio Veneto.

EPISTOLA II.

De *Phyſiognomia.*

SI vera eſſent, Dominice clariſſime, quæ ſuperioribus diebus de Phyſiognomica diſciplina, ſeu Metopoſcopia, in ædibus clariſſimi Nicolai fratris tui, mecum diſſeruiſti, profectò ſcientiis aliis prætermiſſis, in hanc vnam incumbere, eique adipiſcendæ neruos omnes contendere vellem. Quid enim iucundius, quàm in aperta hominis fronte, tanquam in tabella quadam, non ſolùm mores eius, atque ingenium, verùm etiã præteritas calamitates, varioſque re-

rum euentus introſpicere? Sed fallax (mihi crede) atque inanis eſt diſciplina hęc, quæ mulieres potius, & imperitorum vulgus, quàm doctos, & eruditos homines in admirationem traducet. Quæ de Monacho illo ſcripſiſti, aniles fabulas exiſtimo; nec tã facilè deſcendunt in animum meũ: ſi hominum intuitu de multis rebus diuinauit, & vera prædixit, id arbitror caſu contigiſſe, quàm ex artis alicuius præceptis. Simile quiddam me legiſſe memini apud Bartholomæum Coclitem de quodam Hebræo, qui ſola linearum frontis inſpectione quid cuique acciderit, euẽturumue eſſet, ſcire ſe profitebatur. Opes nonnullis, dignitates aliis, aliis paupertatem, mortem violentam aliis prænunciabat: neque his contentus, earundem linearum aſpectu, genitoris etiam, genitricis, vxoris, filiorum, fratrumque ſtatum inueſtiga-

Barthol. Cocles lib. 3. Phyſiogn. cap. 8.

bat. Putaſne, tàm parum in Philoſophiç ſtudio me profeciſſe, vt hiſce vanitatibus aſſentiar? Quæ naturç limites tranſcendunt, & rationi penitus aduerſantur, non admiratur Philoſophus, ſed contemnit potiùs, abiicit, atque pro nihilo ducit: huiuſmodi autem ſunt quæ de Metopoſcopia traduntur ab iſtis, quæque à te tantoperè commendantur. Noui quàm te ſemper optimum & Oratorem, & Philoſophum præſtiteris, ac per hoc miror, quo tandem pacto in hanc opinionem incideris: ſed tu fortaſſe, fundamentorum huius artis leuitate perſpectâ, palinodiam canes. Attende quæſo, quibuſnam illa fundamentis innitatur, & vndenam ſua principia deducat atque deſumat. In tranquilla fronte, ſecundùm eius lõgitudinẽ tres lineas præcipuas Phyſiognomi conſiderant, quas tres ętates ſignificare, tribuſque planetis

Phyſiognomicæ Aſtrologicæ fũdamenta præcipua.

ſubiectas eſſe perhibent. Mercurio infimam, Ioui mediam, Saturno ſupremam. Pueritiam primæ tribuunt, hoc eſt ab ortu vſque ad annum 25. (ſic enim ipſi ætates diſtinguunt) Iuuentutem ſecundę vſque ad annum 51. Senectutem tertię, vſque ad finem vitę. Si plures ſint in fronte lineæ ſecundùm longitudinem extenſæ, principalium ſorores eſſe arbitrantur, eo modo, quo Chiromantici de manuum lineis effutiunt. Ex harum linearum qualitate, de totius corporis temperie, de vitæ longitudine, aut breuitate, deque variis rerum euentibus iudicium faciunt. Nam ſi fuerint longæ, latæ, profundę, continuatę, bonum portendunt: ſi ſecus, malum. Interſectiones aiunt, vbicumque inciderint, pro linearum ſignificatione, planetarumque dominatu, ſemper aut in pueritia, aut in iuuentute, aut in ſenectute, infirmitates,

Linearum frontis ſignificatio.

inimicitias,

inimicitias, maximaque pericula indicare. Obliquas lineas perpetuò calamitates oſtendere; paruas quidem, ſi deorſum; magnas verò ſi ſurſum in modum arcus ſe extenderint. Si duæ inferiores lineę abſque vlla interruptione, quaſi angulum conſtituerint, indicia eſſe aiunt felicitatis maximæ, aut in honoribus, aut in diuitiis. Quæ tamen vel ad parentes pertinere poteſt, prout angulus in dextra, ſiniſtraue frontis parte repertus fuerit: dextram enim frontis partem patri adſcribũt, ſiniſtram matri. Conſiderant præterea, Chiromanticorum more in variis partibus frontis planetarum characteres, à quibus innumeras ſignificationes accipiũt, quas recenſere pudet. Nunc quæſo tecum, vir clariſſime, acrem illam ingenij tui aciem in omnes, aut certè præcipuas huius diſciplinæ partes intende, contemplareque diligenter,

Phyſiognomiæ Aſtrologicæ, ſeu Metopoſcopiæ confutatio.

num artis, vel ſcientiæ, an potiùs anilis ſuperſtitionis fraudiſq. nomẽ mereatur. Tu ne vnquam id veluti cõmunem animi conceptionem accipiès, infimam frontis lineam pueritiam, mediam iuuentutem, ſupremam ſenectutem indicare? Quâ notâ cognoſcunt ipſi, ſuperiori lineæ Saturnum præeſſe, mediæ Iouem, inferiori Mercurium? An non vides, hæc ipſorum eſſe commenta iis non diſſimilia, quæ Aſtrologi de cæleſtibus Signis, deque duodecim cæli domorum ſignificationibus prodiderunt? Lineas frontis pręcipuas non efficiunt quidem planetę, ſed effectus illius muſculi ſunt, quatenus interdum explicatur, interdum verò contrahitur. Exiguę autem & minoris momenti à capitis temperatione pendent, pręſertim à ſiccitate, quę frontem rugoſiorem facit: id quod etiam in ſenibus, & in quarumdam

arborum corticibus efficit humoris inopia. Hi ſunt effectus rerum natu-ræ qui à certis & determinatis cauſis oriuntur. Quæ verò Phyſiognomi docent, lineas videlicet continuatas, vel interruptas, felicitatem, aut miſeriam portendere; has honores, & diuitias, illas carceres, exilia, ægritudines, mortes ſignificare; dextram frōtis partem ſtatum patris, ſiniſtram matris oſtendere, & id genus alia, ſpontè ab illis, temereque conficta ſunt, nulla ratione munita, nullo experimento comprobata. Quænam, oro te, ratio perſuadere queat caſu interruptas, aut interſectas lineas, quę in alicuius fronte conſpiciuntur, imminentia pericula, grauesque inimicitias indicare, quæ tamen ab alterius arbitrio, voluntateque pendent? Lineæ maiores, quæ ſunt in manu, vitæ lōgitudinem, aut breuitatem ſignificant, quia ſunt indicia debilis, vel ro-

Colum. lib. 16. cap. 31.

buſti caloris, in quo vita conſiſtit. At verò lineæ frõtis quam obſecro vim habere poſſunt, diuitias, dignitates, atque itinera ſignificandi, quæ nullã ad corpus rationem habent, ſed ab induſtria, meritis, liberaque voluntate proficiſcuntur? Experimenta autem phyſiognomica, quęnam eſſe dicemus, ſi ne duo quidem homines ore habituque ſimiles omninò reperiri poſſunt? Quid igitur, contemnenda ne penitus phyſiognomia eſt, de qua Hippocrates, Polemon, Loxius, Philemon, Ariſtoteles, Galenus, Auicenna, Raſis, Conciliator, Magnus Albertus, Sauonarola, Michael Scotus, Zaccarias, & Hieronymus de Manfredis, Antonius Cermiſonus, Indagine, Taiſnier, Cocles, Ioannes Baptiſta à Porta, aliique viri celebres copioſè ſcripſerunt? Minimè verò, ſed diſtinguenda potiùs: alia enim naturalis, alia Aſtrologica

Phyſiognomiæ Autores præcipui.

Phyſiognomia duplex.

eſt, quemadmodum & Chiromantia Aſtrologicam Phyſiognomiam, tanquam vanam, & ſuperſtitioſam, vnà cum eius Autoribus abiiciendam ſemper equidem exiſtimaui: naturalem verò, tanquam vtilem, & Philoſopho dignam, ſummis ſemper laudibus celebraui. Hæc enim non frontis lineas, ſed capitis, pectoris, dorſi, cæterorumque membrorum conſtitutiones contemplatur, atque ex faciei pulchritudine, vel deformitate, ex colore pilorum, ex qualitate vocis, ex quarumdam partium motu, atque id genus aliis, extrinſecùs apparentibus, de temperie, valetudine, moribus, ingenio, animique affectionibus diuinare docet. Faciem tamen, & frontem præcipuè conſiderat, quę homini, vt Plinius ait, triſtitiæ, hilaritatis, clementię, atque ſeueritatis eſt index. Huic tu ſi operã dederis, certè non errabis; cùm certa

Phyſiognomia naturalis approbatur.

Plin. lib. 11. cap. 51.

ſcientia ſit,viro nobili,atque prudẽti cum primis digna. Si enim equites, vt Ariſtoteles ait, artem habent cognoſcendi equos, & venatores cognoſcendi canes; cur non etiam Philoſophi ſcientiam habere poſſunt, qua hominum naturas, moreſque dignoſcant, atque per ea, quæ foris ſunt,ad intima deſcendant? Ferunt, Mathiam Coruinum, Hungariæ Regem, Phyſiognomicæ diuinationis adeò adprimè ſtudioſum fuiſſe, vt vel ex primo aſpectu lineamentorũ faciei de temperamento,& moribus hominum ſolertiſſimè iudicaret, adeòut Magus ab æmulis crederetur. Cęſarem etiam Romanorum Imperatorem clariſſimum, præter belli peritiam,atque admirabilem in diſciplinis eruditionem, hanc artẽ legimus optimè calluiſſe. Brutum enim, quòd pallidus eſſet, ſuſpectum ſemper habuit. Et de Caſſio loquens,

Ariſt. lib. de Phyſiogn.cap.1.

Bonfinius lib. 8. Hiſt. Hungar. deca.4.

Plutarchus de vita Cęſaris.

quidnam,inquit, Caſſium velle putatis? haud enim mihi magnoperè placet is, qui maximè pallidus, macieque extenuatus eſt· Allata rurſus de Antonio,& Dolabella calumnia, non hos,inquit,pingues,crinitoſque pertimeſco. Pythagoras quoque mores naturaſque ſtudioſorum ſuorum ex oris, totiuſque corporis filo atque habitu explorabat antequã in diſciplinã καὶ ὁμακόϊον reciperet. Phyſiognomica igitur ſcientia quędam extat,& illa quidem ex cauſis naturalibus orta, atque illuſtrium virorũ autoritate comprobata: cuius ſi definitionem deſiderares, hæc adferri poſſet. Phyſiognomia eſt ſcientia, quæ hominum mores ex corpore, vultuque dignoſcit. Habet autem hæc ſcientia ſua fundamenta præcipua, & ſunt ſigna ipſa phyſiognomica, quæ à rebus variis deſumuntur, videlicet ab animalium quorum-

Phyſiogn. quid. Ariſt. lib. de Phyſiog. cap. 3. Cic. de Fato.

Phyſiognomica ſigna vnde ſumãtur. Mart. Delr lib. 4. Mag. diſq. cap. 3. q. 4. Valeſius li. de ſacra Philo. c. 31.

dam ſimilitudine, à moribus gentiũ, à ſexu, motu membrorum, à naturali ſtatu faciei, & ab effectuum coniunctione. Ab animalium ſimilitudine, vt qui paruis oculis ſunt, veluti ſimiæ, inuidi ſunt: qui magnos, vt boues, ſtupidi. A moribus gentium, vt nimium fuſci, bardi, ac pertinaces iudicantur, quoniam Æthiopes huiuſmodi ſunt. A ſexu, vt candidi, & molles cute, pauidi ſunt, leues, & libidini deditiꝭ quoniam mulieres hiſce affectibus ſunt obnoxiæ: id autem potiſſimùm temperiei adſcribitur, à qua ſimul & cutis mollities, & morum qualitas pendet. A motu membrorum, vt oculi non nictantes iracundos ſignificant, quoniam irati fixis, & immotis oculis intuentur. A naturali ſtatu faciei, vt aſpectus demiſſus mœrorem indicat, quia in hanc diſpoſitionem naturaliter vergit, qui triſtis eſt. Ab effectuum con-

iunctione, vt ex iracundia, cui triſtitia, & animi prauitas adiuncta ſit, inuidia colligitur. Horum ſignorum obſeruatio te phyſiognomum efficere poteſt, dummodo frequens & aſſidua ſit exercitatio. Aliud enim eſt de Phyſiognomia diſſerere, aliud Phyſiognomum eſſe: ad illud ſatis eſt optimorum librorum lectio: hoc verò nonniſi longa conſuetudine comparatur. Ego ab Ariſtotele non pauca didici, qui certè hac in re viſus eſt mihi omnes numeros impleuiſſe: ſi eodem tu quoque præceptore vteris, admirabilem ex eo doctrinam elicies, breuique Phyſiognomus nõ vulgaris euades. Quoniam verò, ſicut idem Ariſtoteles præcipit, à faciliori bus eſt inchoandum; idcirco velim iis te priùs exerceas, quæ communiora ſunt, quorumque vſus frequentior. Afferam heic ad rem faciliùs elucidandam, aliquot exempla. Pili

Phyſiognomica ars nonniſi frequenti exercitatione acquiritur.

In Procem. primi Phyſ.

molles timidum hominem ſignificant, duri fortem, circa collum liberalem, circa pectus loquacem. Caro dura inſenſibilem naturam indicat, mollis docilitatem cum inſtabilitate coniunctam. Motus velox ingenioſum, tardus cogitabundum. Vox grauis & intenſa fortem; acuta, & remiſſa timidum. Color faciei flauus magnanimitatem, ruber verſutiam, pallidus malignitatẽ, mellitus ignauiam. Oculi parui puſillanimitatem, magni ſegnitiem, concaui malitiam, eminẽtes fatuitatẽ. Oculi valdè nigri, glauci, aut albi timiditatem, charopi, ſeu ad glaucum declinantes ingenuitatem, caprini ſtoliditatem, ignei inuerecundiam, lucentes luxuriam. Supercilia coniuncta triſtitiam, mẽcum acutum animoſitatem, aures paruæ inuidiam, magnæ patientiam. Plura apud Ariſtotelem, recentioreſque Phyſiognomos ſigna reperies, à

rerum naturalium proprietatibus tracta, quæ tamen ſenſim obſeruanda ſunt, ne eorum multitudo, atque varietas confuſionem pariat; neve etiam ſi ſimul addiſcantur, omnia facilè excidant. Duo autem præcipuè in arte Phyſiognomica animaduertenda ſunt. Alterum eſt, ne vni tantùm ſigno credamus: ſtultum enim eſt, ait Ariſtoteles, ex vno tantùm iracundiæ ſigno iracundùm aliquem iudicare: ſi autem plura in vno conuenerint, tutum erit iudicium. Alterum eſt, ex varia corporis temperie varios quidem animi affectus eliciendos eſſe, quemadmodum Galenus docuit: non ea tamen ratione, vt temperies illa neceſſitatem aliquã inferat, ſed quatenus tantummodo propenſionem quãdam, atque procliuitatem inducit, quę etiam oppoſitis habitibus ſuperetur. Hinc Pythagoricos legimus, ex ſignis corporis

Animi affectus non ab vno tantùm ſigno, ſed à pluribus eſſe ſumendos. Ariſt. vbi ſupra cap. 5.

Corporis temperies nullam inducit neceſſitatem in animi affect. ſed ſolùm propẽſionem.

Galenus li. quod animo. corp. temp. ſeq.

Lege Sirenium lib. 9. de Fato ca. 19.

non de vita quidem, ſed de eiuſdem habilitate iudicare ſolitos eſſe; quaſi doctrina, aſſuefactione, cultuque diligenti, incitamenta ad vitia, affectuſque vehementes ita reprimi poſſint, vt intra ſuas ſe metas contineant, & rectæ rationis imperio ſubiiciantur. Nonne Zopyrus quidam Phyſiognomus Socratem ex corporis lineamentis ſtupidum, & mulieroſum iudicauit; quem tamen ſcimus, ingenioſum, atque temperatiſſimum extitiſſe? Non errauit Phyſiognomus: natura enim talem illum effecerat, ſed Philoſophiæ ſtudium, longaque conſuetudo reformarat. Hinc eſt, quòd Phyſiognomi de brutis faciliùs, quàm de hominibus iudicare poſſunt: quoniam bruta abſque vlla ratione propenſionem ſequuntur; homines verò, arbitrij libertate donati interdum contra propenſionē operantur. Non ergo rectè Phyſio-

Phyſiognomi de brutis faciliùs quã de hominibus iudicare poſſunt.

gnomus hunc vel illum hominem auarum eſſe, ſed ad auaritiam propenſum diuinare poterit. Habes, Cõtarene clariſſime, quęnam mihi Phyſiognomia probetur, quæue improbetur: gaudebo autem vehementer, ſi intellexero, me hac epiſtola te à concepta iam ſententia in meliorem reuocaſſe. Vale. Patauij VI. Idus Octobris. M DC VII.

Comiti Schinellæ de Comitibus, Philoſopho, & Theologo Patauino.

Epistola III.

De Geomantia.

Qui tibi tantopere Geomantiã commendauit, Comes Schinella, aut Circulator aliquis eſt, aut certè quiuis alius de Zingarorum, vt aiunt, grege, ex mẽdaciis cibum quæ-

ſeatur, in eam optimè quadrare opinor illud Salomonis, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quòd ne contradicendi ſtudio me id aſſerere ſuſpiceris, hac epiſtola quemdam quaſi Geomantiæ typum ad te mittere decreui; vt quàm inane commẽtum illa ſit, non ex aliorum dictis, ſed ex rebus, ab eadem ortis, atque ab ipſiſmet Geomanticis peruulgatis, perſpicuè intelligere poſſis. Geomantia, vt ab eius definitione incipiam, nihil eſt aliud, quàm diuinatio ex terra. Hanc Geomantæ in ſciẽtiarum numero ponere veriti non ſunt; eamque nonnulli, quòd hominem, futura præſagientem, gnarum, atque prudentem efficiat, Morali Philoſophiæ ſubiecerunt. Aſtrologiæ alij, propterea quòd ab ea ſumit diuinandi principia; & figuras, cæleſtibus ſignis, atque planetis ſubditas, contemplatur. De eius origine inter

Eccleſiaſtes cap. 1.

Geomantia quid.

Petrus Aponenſis par. 2. Geomantiæ.

De origine Geomantię opinio 1. Pol. Verg. lib. 1. de inuent. rer. c. 23.

ſcriptores non modica controuerſia eſt. Putarunt nonnulli, Perſarum Magos, qui & ſapientes dicebantur; prima illius fundamēta ieciſſe. Cùm enim Deorum cultui dediti eſſent; hoſtiaſque ad ſacrificia præberent; non ſolùm ob ipſorum admirandā frugalitatem, verùm etiam ob aſſiduum rerum diuinarum ſtudium; multùm apud ſuos autoritate valebant, plenaque illis fides in rebus omnibus habebatur. Tantâ autem exiſtimatione inflati, eò audaciæ, atque temeritatis peruenerunt, vt & ſiderum inſpectione futura prædicere, & artibus quibuſdam, veritatis imaginem habentibus, rerumque ac verborum maleficiis, ſcire ſe omnia, & poſſe facere profiterentur. Ab his igitur quemadmodum Necromantia, Pyromantia, Hydromantia, aliæque Magicæ artis ſpecies ortę ſunt, ita Geomantiam fluxiſſe, ſcriptores

veteres

veteres tradiderunt. Alii verò crediderunt, eandem à Sacerdotibus Ægyptiis originem traxiſſe: qui cùm nullis artib. vacarét, publico autem ſumptu viuerent, Geomantiam interdum, ne viderentur nihil agere, & quaſi ludibundi tractabant; eo fortaſſe modo, quo mulieres noſtrates prope ignem, ſigna in cineribus deſcribentes, res varias ſorti committere ſolent. Poſteriorum autem Geomantarum nonnulli huius ſuperſtitionis autorem fecerunt Deum, quò ipſa faciliùs in imperitorum animos deſcenderet, ipſi autem eius peritiâ cenſerentur. Alij Angelum, at cuius nomen reticuerunt, quaſi verò ſicut vnus dumtaxat Deus eſt; ità vnus tãtùm Angelus extare credatur. Alij Enoch, ſed nullum proferunt Sacræ Scripturę locum. Ego in eam ſententiam deſcendo, Geomantię inuentorem Angelum extitiſſe, & il-

Opinio 2. Iulius Sirenius lib. 9. de Fato. cap. 38.

Opinio 3. Pet. Apon. vbi ſupra.

T

Authoris ſententia de orig. Geomātiæ.

lum quidem non Dei, ſed Sathanæ: à quo vt cuncta diuinationis genera emanarunt, ita probabile eſt, hanc ipſam quoque artem profectam fuiſſe. Callidus enim & veterator dęmon iis ſe rebus libenter immiſcet, quæ homines à vero Dei cultu auocant, eoſdemque non modò in falſas opiniones, verum etiam in impietatem deducunt. Cæterùm qualisnam eſſet vetus Geomantia, aut quibuſnam figuris deſcriberetur, incertum omninò eſt. Illud autem à rerum antiquarum obſeruatoribus traditum, veteres illos Geomantas, ſiue Perſæ, ſiue Ægyptij, ſiue Chaldæi fuerint, ſtylo ferreo, punctis quibuſdam, ſub dio in arenulis, vel puluere deſignatis, de futuris euentibus diuinare cōſueuiſſe. Fortaſſe viri illi minimè mali nullâ penitus arte, ſed ſolis punctis, aut figuris hinc inde caſu deſcriptis, quaſi ſortibus diuinam voluntatem

Geomantia vetus qualiſnam fuerit.

Sortis genus conſultorium à Theologis admittitur. Lege Aug.

in rebus incertis manifeſtari ſibi cupiebant: id quod etiam à noſtris aliquando factitatum fuiſſe, ſacræ Theologiæ ſtudioſi tradiderunt. Recentiores autem Geomantæ, à Dæmone docti, hoc diuinandi genus reuocarunt ad artem, nonnullaſque figuras, & figurarum proprietates, ac nomina excogitarunt, quæ certè, dum recenſentur, riſum audientis tenere nō poſſunt. In primis itaque cōmodiorem rationem ſequuti, Geomanticas figuras non ſolùm ſtylo ferreo in arenulis, vel puluere ſub dio, ſed domi etiam, ad vitandas aëris iniurias, in charta, vel abaco, ſcriptorio calamo, atramento illito deſcribi poſſe cenſuerunt. Non enim, inquiunt, cælorum vis adeò debilis eſt, vt vel per tegulas ad Geomantæ manum, figuraſque ab eo editas deſcendere non poſſit. Quonam autem pacto puncta deſcribant, & figuras eliciat, attē-

in ep. ad Honorat. & lib. 5. de Doctr. Chriſti. c. 28

Geomantiæ ars à recentioribus excogitata.

Petr. Apon. lib. 1. Geom. in initio.

Geomanticæ figuræ quomodo deſcribantur.

de. Quatuor primò punctorum, ſeu paruorum circulorum, quaſi inæquales lineas, manus digitos repræſentantes, caſu, & temerè à dextra ad ſiniſtram, Hebrçorum more ita producunt.

o o o o o o o o o o o o

o o o o o o o o o o

o o o o o o o o o o o o

o o o o o o o o o

Quibus tres alios punctorum ordines adiiciunt, itavt ſexdecim lineæ ſint, in quatuor ordines diſtributæ. Deinde interiectis quibuſdam virgulis puncta copulant bina, & bina, itavt in linearum extremitatibus aut vnum tantùm, aut duo remanere puncta neceſſe ſit, vt hîc vides.

o o o--o o--o o--o o--o

o o--o o--o-- oo- o--o

o o--o o--o o--o o--o

o o o-- o--o o--o

Mox remanentia puncta colligentes, eademque ſecundùm linearum ordinem collocantes, figuram

o o

ita conficiunt o : in prima namque

o

o o

linea duo puncta ſuperſunt, in ſecunda vnum, in tertia vnum, in quarta duo, quæ ita diſpoſita figuram illam conſtituunt, quam coniunctionem appellant. Finge ergo, ex quatuor linearum ordinibus has quatuor figuras emerſiſſe.


	4	3	2	1
	o	o o	o	o o
Matres.	o o	o o	o	o
	o o	o o	o	o o
	o	o o	o	o

Ex his, tanquam ex genitricibus, quatuor alias figuras, quaſi filias progigni, Geomantę perhibent: ex ſuperioribus enim punctis ordine diſpoſitis, primam aiunt oriri filiam, ex ſubſequentibus ſecundam, atque ita de reliquis, vt hoc exemplo manifeſtum ſit.

	8	7	6	5
	o	o o	o	o o
Filiæ.	o	o	o	o
	o o	o o	o o	o o
	o o	o o	o o	o

Neque verò ſatis eſſe putarunt matribus, filias genuiſſe; ſed vt duo-

decim haberent figuras, quæ duodecim cæli domibus, ab Aſtrologis effictis, reſponderent, quatuor inſuper creari neptes ſtatuerunt; ita, vt ex primæ, & ſecundæ figurę punctis nona; ex tertię, & quartę decima; ex quintæ, & ſextæ vndecima; ex ſeptimæ, & octauæ duodecima figura naſcatur: illud aduertentes, vt ex imparibus punctis vnum, ex paribus verò duo colligantur. Exemplum rem facilè aperiet.




Neptes.

Hactenus duodecim habemus figuras, quibus Geomantæ de qua-

cumque re quæſita iudicare conſue-
Teſtes, Iudex, & ſup. Iudex.
uerunt. Nunc autem, quoniam de iudicio, priuſquam ſententia feratur, teſtes examinandi ſunt; idcirco ex nona, & decima figura decimam tertiam, ex vndecima, & duodecima decimam quartam eliciunt, quas teſtes appellant. Denique ipſimet teſtes iudicem creant, qui eſt decimaquinta figura, ab illis orta. Ne quid autem præterea ad controuerſiam dirimendam deſiderari poſſit, ſi fortè iudex ſuſpectus fuerit, ſuperiorem iudicem eligunt, ad quem prouocant; eſtque decima ſexta figura, ex prima, & decima quinta, modo iam explicato, proficiſcens. Hoc Geomanticum archetypum tibi omnia facilè oſtendet.

GEOMANTICVM ARCHETYPVM.



Geomanticarum figurarum nomen, & numerus.

Porrò figuræ omnes, quæ ex punctis variè copulatis, emergere poſſunt, quæque Geomanticæ ſuperſtitionis, tanquam fundamenta præcipua ſtatuuntur, ſexdecim ſunt, & illę quidem propriis nominibus inſignitæ.





Aquiſitio.	Amiſſio.	Lætitia.	Iuſtitia.	Fort. maior.	Fort. min.
o o	o	o	o o	o o	o
o	o o	o o	o o	o o	o
o o	o	o o	o o	o	o o
o	o o	o o	o	o	o o

Coniunctio.	Carcer.	Albus.	Rubeus.	Puella.	Puer.
o o	o	o o	o o	o	o
o	o o	o o	o	o o	o
o	o o	o	o o	o	o o
o o	o	o o	o o	o	o

Populus.	Via.	Caput Drac.	Cauda Drac.
o o	o	o o	o
o o	o	o	o
o o	o	o	o
o o	o	o	o o

Geomanticæ figuræ cæleſtibus ſignis, atq.

Huiuſmodi figuras cæleſtibus ſignis, atque Planetis ſubiectas eſſe,

eorundemque defluxus recipere dicunt. Vt exẽpli gratia. Arieti  Tauro  Geminis  Cancro  & reliquas cæteris ſimiliter  Saturno  Ioui  Marti; cæteriſque alias, quas deſcribere piget. Non enim inſtitutum meum eſt, te hac epiſtolâ Geomantam facere, ſed ea ſolùm, in quibus Geomantia pręcipuè verſatur, tibi leuiter ob oculos ponere; quò eius ineptias, atque mẽdacia intimiùs valeas cognoſcere. Catholicos tractatores imitatus, qui, dũ falſa Hęreticorum dogmata hominum mentibus euellere, atque radicitùs extirpare contendunt, ea plerumque receſſere coguntur. Eaſdem præterea figuras diuidunt in fortunatas, infortunatas, orientales, occiden-

planetis ſubiectæ.

Geomanticarum figurarum qualitates,

tales, ſeptentrionales, meridionales, igneas, aërias, aqueas, terreas, mobiles, fixas, communes, egredientes, ingredientes. Conſiderant coniunctionem, occupationem, tranſlationem, & id genus alia, quæ diligenter obſeruant priuſquam ad iudicandũ accedant. Porrò vt ex Geomantia fructus aliquis capiatur, præcepta quędam condiderunt. Primò ad Geomantam nemo accedere debet, niſi conſtituerit rei alicuius veritatem intelligere, cuius ignoratio triſtitiam, ſcientia verò delectationem afferre poſſit. Debet deinde accedere ſpe certa futuri euẽtus cognoſcẽdi, non tamen quocumque tempore, ſed cùm primùm interiores aliquos animi impulſus perſenſerit: tunc enim dicunt, animum à cæleſti facultate moueri, quę & flagitantem ad præcognitionem ſtimulat, & manum Geomantę ad figuram conſi-

Geomantię præcepta.

ciendam dirigit. Denique ad captandam vulgi auram, atque ad colorandam, roborandamque artem, monent veteratores iſti, omni cum reuerentia, atque timore Dei, figuram à Geomanta conſtruendam eſſe: quoniam vis illa diuina, inquiunt, quæ interrogantis animum percuſſit, ipſa eadem eſt, quæ in cęleſtia ſidera influit, atque ab his in Geomãtæ manum deſcendit. Hæc breuis eſt Geomanticę vanitatis deſcriptio, de qua tamen Petrus Aponenſis, Cocles, Geber, Agrippa, Bartholomeus Parmenſis, Gerardus Cremonenſis, Annibal Raimundus Veronenſis, Oliuerius Malmeſburius, Gaſpar Peucerus, aliique huius claſſis autores, ab Apoſtolica ſede damnati, copioſè ſcripſerunt. Expendamus nũc quæſo diligenter, Comes doctiſſime, quantum ſuperſtitio hęc à recta ratione, quantum à ſolida Philoſo-

Geomantiæ autores præcipui.

Geomanticorum temerarium dictum.

phia, quantum à ſapientiſſimorum hominum fide remota ſit. Audent in primis nebulones iſti Geomantię inuentorem Deum facere, vt certis ſignis futurarum rerum cognitionem cum humano genere ſua liberalitate communicet. Quis execrationem hanc æquo animo ferat? Nonne Chriſtus Seruator noſter, futurorum præſcientiam Apoſtolis interdixit, cùm ait, non pertinere ad illos ſcire tempora, nec momenta, quę Pater poſuit in ſua poteſtate? Nonne frequenter legimus, Prophetarum oraculis, eorum impudentiam repreſſam fuiſſe, qui ex cæleſtibus ſignis futuros euentus ſe præſagire profitebantur? At Deus hoc facit, inquiunt, ad ſuam voluntatem manifeſtandam. Optimum ſanè effugium, quaſi ſancti, ac religioſi, & non potiùs conſcelerati, impiique homines ſint, qui

Actuum 1.

Iſaiæ 41. Hierem. 10

Geomantiam exercent. Olim, referente Beda, cùm Spiritus ſancti plenitudo nondum in Eccleſiam effuſa eſſet, viri Deo dediti, ad expiſcandam eius voluntatem, in rebus incertis ſortibus vtebantur. Sic ſorte Iſaac vxor eligitur: ſic Ionas contra Dei mandatum facere deprehenditur: ſic Mathias in Iudę locum ſufficitur. Nunc autem neque ſortibus, neque ſignis egemus, quæ diuinæ voluntatis indicia ſint: ſed, vbi firma fides, atque oratio præceſſerint, interioribus illuminationibus, ad id, quod bonum eſt, eligendum allicimur; diuinaque vis ad animum proximè pertinet, nec eſt neceſſe, vt per cæleſtia ſidera tranſeat, atque ad Geomanticas figuras deſcendat. Nunc de peruulgata Geomantia diſſeramus, quam recentiores Geomantæ ſcientiam eſſe dixerunt. Subditam illam faciunt diuinatrici

Sortes olim licitæ ad diuinam voluntatem expiſcandam. Beda ſup. Act. Apoſt.

Geneſ. 24. Ionæ 1. Act. 1.

Geomantia inane commentum eſt vel eo ipſo, quòd diuinatrici Aſtrol ſubiicitur. Lege Epiſt. lib. 4. huius.

mantam inuenies. Nam fortaſſe aut aliis occupationibus diſtinetur, aut certè domo aberit; cæleſtes autem globi inrequieto ambitu circumferuntur. Præterea memini, me legere apud Geomantas, ſi quid vitij irrepſerit in figura componẽda, irritam illam eſſe, ac de integro refingendã: cedo nunc, quantum temporis ad illam reſtaurãdam deſideratur? Rurſus libenter à Geomantis diſcerem, ſitne vlla cęlorum certa atque determinata vis, quæ manus eorum ad determinatas figuras conficiendas dirigat, nec ne? Nam ſi integrum illis eſt, plura, vel pauciora puncta deſcribere; ſi caſu, & temerè punctorum inæqualia lineamenta ducenda eſſe præcipiunt; quomodo verò id fieri intelligetur cœleſti virtute? Quo motu, quo lumine, quo defluxu? An ſicut Heliotropium Solem, & Mare Lunam, ità Geomantæ ma-

Secunda ratio.

Tertia ratio.

nus alicuius ſideris motum comitatur? Verùm, vt interim multa prætermittam, vel ex eo præcipuè rei vanitatem elicio, quòd ſi eodem tẽpore duo Geomantæ à duobus de iiſdem rebus, aut etiam diuerſis, interrogati, in eodem cubiculo duas figuras conſtituant, neutiquam ſimiles reperientur? At hoc, inquient, ex varia Geomantæ affectione pendebit. Fallax igitur, ego colligam, & mẽdax eſt Geomantica prædictio, ſi cæleſtis, atque diuina vis ab incerta Geomantæ affectione variari, & immutari poteſt. Ad hæc, ſciſcitabitur harum rerum curioſus, cur quatuor punctorum ordinibus, non pluribus, nec paucioribus Geomantica figura conſtruatur? Ariſtoteles cùm tria eſſe naturalium rerum principia docuit, rationem etiam addidit, cur tot ſint: Geomantæ verò, ad confirmandum hoc princi-

Quarta ratio.

Deſtructio ſecundi fũdamenti Geomant.

pium, tanquam per ſe notum eſſet, ne verbum quidem fecerunt. Si quęratur etiam ab eis de filiarum, neptiũ, teſtium, & iudicum origine, obmuteſcent; cùm nullam earum rerum, quas ad arbitrium effingunt, rationem afferre valeant. Figurarum verò diſtinctionem illam in mobiles, fixas, communes, calidas, frigidas, humidas, ſiccas, diurnas, nocturnas, maſculinas, fœmininas, fortunatas, infortunatas, & reliquas, quis non albis dentibus rideat? Fortunatas eas vocant, quæ puncta habent ſuperiùs paria, infortunatas contrà, præter lætitiam, & triſtitiam. Cedò rationẽ. Supponuntur, inquiunt, ſideribus, atque planetis. Hoc ipſum illud eſt, quod expectabam. Triſtitiam, & carcerem Saturno tribuunt; lætitiam, & acquiſitionem Ioui; quonã docti Magiſtro, qua ratione, quo experimento? Carcerem, aiunt, ſub-

Deſtructio tertij.

Deſtructio quarti.

Ratio euidentiſſima in Geomãticos.

eſſe Piſcibus, & Triſtitiam Scorpioni; cur ergo has figuras, contra regulas Aſtrologorum, frigidas, & ſiccas appellant, cùm ad Aqueam ſignorũ Triplicitatem pertineant? Fortunam maiorem Soli adſcribunt, qui, vt Aſtrologis placuit, calidus, & ſiccus eſt; cur ergo illam inter frigidas, & ſiccas figuras collocarunt? Fortaſſe ratione ſigni? At hoc eſſe non poteſt, quia, iiſdem autoribus, ſubeſt Aquario, qui calidus, & humidus eſt. Poſſem ſexcentas huius generis ineptias refellere, & Geomantas numeroſis conſecutionibus abſurdis obruere: ſed piget me in rebus tam leuibus tempus conterere. Vnum tantùm conſidero, quod ad figuras pertinet, quas Geomantæ magni faciũt, vt quę ſuperiores defluxus recipiãt. Figuræ iſtę, quà huiuſmodi ſunt, puluere, arenulis, charta, abaco, ſtylo, calamo, & atramento ſecluſis, pu-

Geomãticæ figuræ cælorum defluxus recipere nequeunt.

ra,& mera accidentia ſunt, ad genus qualitatis ſpectantia; in puris autem accidentibus quomodo cęlorum vis recipi, imprimive poteſt? Ad Geomanticum verò iudicium quod attinet, attende quæſo, ſaltem vitandi otij gratia, huiuſmodi exemplum. Scire aliquis exoptat, vtrum hoc anno morietur, nec ne? Conuenit ſtatim Geomantam, qui punctis iuxta regulas diſpoſitis, primam, & octauam figuram conſiderat, quas ſi inuenerit ſimiles, mortem prænunciat, eoque magis, ſi decimatertia, & decimaquinta eiuſmodi fuerint. Genus autem mortis ex figuræ qualitate elicit: nam ſi fuerit Rubeus, mortem indicabit ex ferro, vel igne: ſi Puella, ex ictu lapidis, vel caſu trabis: ſi Carcer, ex deſtillatione, longaue infirmitate. Quid tibi videtur, Schinella, audiſtin' vnquam maiores ineptias? Ab vno igitur puncto, plus minus, quod

Geomantici iudicij exemplum apud Petr. Apon.

Geomantici iudicii leuitas oſtēditur.

nocturnas, mobiles, fixas, communes, maſculinas, fœmininas, ingredientes, & egredientes. Vt autem ibi cuncta à primi inuẽtoris iudicio, voluntateque pendent; ita omnia hîc ad artificis arbitrium accommodata ſunt, adeò vt Geomantia ipſa ludi potiùs, quàm ſcientię nomine nuncupanda ſit. Nihil de ea ſcriptum reperies apud viros ſapientes: Magnus Albertus obiter quędam tetigit, ſed, vt opinor, ex aliorum potiùs, quàm ex propria ſententia. Diſputans enim de cæleſtibus imaginibus, ita ſcribit. *Hinc eſt, quòd in ſcientia Geomantiæ figuræ punctorum ad imagines tales reduci præcipiuntur, quia aliter non ſunt vtiles.* Sed vtcunque ſe res habeat, non eſt Albertus tantæ autoritatis, vt ab eius teſtimonio recedere nefas ſit; cùm pręſertim multa docuerit à Philoſophiæ grauitate penitus aliena: ſi tamen ab eo editi ſunt libri

Geomantiæ ars ad inuentoris arbitrium accommodata.

De Geomantia nihil à viris ſapientibus ſcriptũ eſt.

Magn. Alb. lib. 2. de lapid prec. tiact. 2. c. 3.

nonnulli, qui ſub eius nomine circũferuntur. Hæc habui de Geomantia, quæ ad te ſcriberem: ſi mihi credis, cùm poſthac nomen eius audies, non admirandum quippiam, vt multi faciunt, ſed futile, atque inane protinus concipies. Et ſi fortè fortunâ circulator ille nuperus ad te redierit, habebis vnde ſententiam tuam ſatis validè tueri atque confirmare poſſis. Vale. Ex Mandriola Patauino ſuburbio, III. Kal. Nouembris. MDCXVIII.

Franciſco Latarono Veneto, Patauini Collegij Theologo.

EPISTOLA IV.

De *Nomantia*.

ILLE prædicendi, aut veriùs poſt dicendi modus, quo familiaris iſte

tuus Leonardum Donatum, & Antonium Priolum; poſtquam Venetiarum Duces creati ſunt, tales futuros eſſe cognouit, Nomantia vocatur; fallax, & ſuperſtitioſa ars, vt aliæ cũctæ ex Diuinatricum genere, quemadmodum rectè reſpondit R. P. F. Ioannes Andreas Ferrarienſis Capucinus, vir doctiſſimus, & vtriuſque noſtrum amantiſſimus, cum quo ſcribis, te hac de re multa verba feciſſe. Spuriam tamen Nomantiam ego quidem eam appellarem: quoniam qui in iſtiuſmodi rebus illam adhibent, non eis vtuntur regulis, quas, qui ſe veros Nomantas profitentur, ad vnguem obſeruant, ſed omnia pro re nata ad ſuum arbitriũ accommodant. Quanquam & ea, quæ vera Nomantia creditur, innumeris ſcatet erroribus, totaque ex fraude, & mendacio compoſita eſt. Duos libellos me olim de Nomantia

Nomantia ſpuria.

Annibal Raimundus, & Eques Fontana de Nomantia ſcripſerunt.

legiſſe memini, alterum Annibalis Raimundi Veronenſis, alterum Equitis Fontanæ Vicentini. Vterque artem hanc ſummis laudibus ad cælum extollit. Antiquiſſimã eſſe aiũt, & quaſi Dei beneficio humano generi communicatam, præſertim in eorum gratiam, qui Aſtrologiam addiſcere nequeunt. Eius inuentorem faciunt Enoch filium Iareth, eademque dicunt Ioſeph filium Iacob, optimè inſtructum, annonæ caritatem in Ægypto ſeptennio duraturam, pręnunciaſſe. De hac poſtea ſcripſiſſe Aleandrum, Merlinum, Ionicum, Gamalielem, Pythagoram; eſſeque admirabilem illam ſcientiam, quam veteres Hebræorum Cabaliſtę profitebantur. Si quæras, quid ſit Nomantia, quæ veriùs Onomãtia appellari debuit, ſed inſinceræ diſciplinæ corrumpi quoque debuit appellatio; ſi quæras, inquam, eius definitio-

Nomantiæ inuẽtorem quemnam fecerint Nomantici quique apud ipſos autores præcipui.

Nomantia quid.

nem. Reſponſuri ſunt eſſe diuinationem ex nomine. Cuius quidem diuinationis fundamenta præcipua ſunt literarum elementa, quæ, vt ipſi docent, diuinos quoſdam numeros obtinent: hi autem ſimul collecti tantum luminis artem callentibus præferunt, vt de rebus occultis, futuriſque euentibus iudicare certò poſſint. Non enim temerè, inquiunt, ſed certa ratione, & ſub occultis myſteriis, magnus Mundi architectus rerum vniuerſitatem molitus eſt, cunctaque in numero, pondere, atque menſura diſpoſuit. Hac arte gloriantur, ſe hominum mores, ingenia, procliuitates, fortunas, miſerias cognoſcere poſſe: prætereà viuat ne abſens, vtrum ſanabitur infirmus, priùs ne vir, quàm vxor moriturus ſit, vter dimicantium vincet, inuenietur ne qui rem alienam contrectauit. Quid plura? Nec ab iſtis obſi-

Nomantiæ fundamenta.

Nomantici quid ſe ſcire profiteãtur.

gnatæ tabellæ tutæ ſunt: nam etiamſi cum tabellariis non loquantur, iactant, ſe ſcire poſſe, quid in illis exaratum ſit. Subditam faciunt Nomantiam diuinatrici Aſtrologiæ: quandoquidem literas cæleſtibus ſignis, atque planetis ſubiiciunt; habereque aiunt ſingulas proprium numerum, atque adeò peculiarem ſignificationem. Atque inde ſtatuunt, ex literarum numeris non ſolùm Aſcendens, verumetiam dominatricem ſtellam inueniri, & quicquid homini euenturum ſit, prędici nullo negotio poſſe. Rotam quandam effinxerunt in partes duodecim, iuxta duodecim domos cæleſtes, diſtributam, quam, ad captandam vulgi fidem, Pythagoræ adſcribunt, vbi literæ omnes, numeri, cæleſtia ſigna, & planetarum characteres deſcripti ſunt, hancque totius Nomanticæ diſciplinę tanquã baſim ac fundamentum eſſe arbi-

Nomantia diuinatrici Aſtrologiæ ſubdita.

Nomanticorum Rota.

trantur. Literas diuidunt in fortunatas, & infortunatas, atque itidem numeros; ſingulisque literis, cęleſtibus ſignis, atque Planetis proprios numeros attribuunt, vt hoc exemplo intelligere poteris.

Literæ, Numeri fortunati apud Nomanticos.

A	13	♈	94	★	55	A	B	1	2
B	9	♉	124	♁	94	E	C	5	3
C	27	♊	102	☿	178	H	D	6	4
D	24	♋	130	☽	66	I	F	8	7

Reliqua videre eſt apud ipſos; non enī omnia hîc exſcribere eſt operępretium. Porrò de re aliqua interrogati, priuſquam reſpondeant, hæc nomina diſtinctè ſcribunt, videlicet quęrentis, matris, menſis, diei, loci, ſigni, planetæ; interdùm etiam patris, & aliarū rerū, pro qualitate interrogationis: Latinè tamē, atq; in caſu recto, ità, vt barbariſmos, & errores in Ortographia omninò deuitēt.

Nomanticum artificium.

Colligunt deinde numerum, & per 30. diuidunt: eum autem, qui ſupereſt, in Rota reperiunt, ab eoque reſponſum eliciunt: nam ſi fortunatus eſt, felicem exitum, infelicem autem, ſi infortunatus, oſtēdit. Ad ſummam hęc eſt illa diuinationis ſpecies, ab iſtis tantopere celebrata: quam idcirco volui tibi deſcribere, vt in eius quaſi fronte vanitatem ipſius intuereris. Neque enim horum præſtigiatorum figmenta commemorare liceret, niſi conſilium eſſet, illos propriis telis reuincere. Magnifaciunt in primis hanc artem, ob eius antiquitatem, quæ (vt Cicero ait) non paruam rebus autoritatem afferre ſolet; eiuſque inuentorem dicunt fuiſſe Enoch. Si dæmonem dixiſſent, qui antiquior eſt Enoch, rectiùs, iudicio meo, locuti fuiſſent: nam certè nec vlla eſt diuinæ Scripturæ autoritas, nec vlla ratio, quæ

Mentiuntur Nomātici dum aiunt, Enoch inuētorem fuiſſe Nomantiæ.

Cic. de leg.

id ipſum, quod aſſerunt, comprobare poſſit. Si legamus librum Geneſeos, inueniemus quidem Enoch cum Deo ambulaſſe, hoc eſt, vt Rabbini exponunt, virum iuſtum fuiſſe: Nomantiam autem profeſſum, ſi vel totius ſacræ Scripturæ codices percurramus, nunquam profectò reperiemus. Cur igitur omnium natorum impudentiſſimi deceptionibus atque mendaciis, imperitum vulgus decipiunt, menteſque mortalium miſerè concitant? Sed dicant obſecro, poteſt ne abſque Arithmeticæ cognitione Nomantia tractari? Negabunt, opinor. At enim tempore Enoch Arithmetica nondum erat adinuenta, cùm vt peritiſſimi rerum antiquorum indagatores tradiderunt, Abraham omnium primus illam inuenerit, & illã Ægyptios docuerit. Sed neque ſatis conuenit vtrũ Enoch literas ſcierit; cùm multi pu-

Arithmetica tempore Enoch nondum erat inuẽta.

Lege ep. 3. lib. I. Mathem.

Enoch nec literas co-

gnouit, nec ſciuit linguam Latinam.

Pol. Virg. lib. 1, cap. 6.

tent, literarum notas Ægyptiis olim incognitas fuiſſe, quòd ad ſenſa mẽtis exerenda, animalium ſimulachris vterentur. Illud autem certiſſimum eſt Enoch nunquam Latinè locutum eſſe, cùm lingua illa multis poſt ſeculis cœperit; & tamen huius artis profeſſores egregij, eius qui quærit, matris, patris, aliarumque rerum nomina Latinè ſcribenda eſſe, præcipiunt. Sed & illud, quod de Ioſeph aſſeuerant, inſigne vtique mendacium eſt: qui nulla certè Nomantiæ peritiâ, ſed diuinę ſapientię afflatu Ægypti ſterilitatem prænunciauit, dum illud Pharaonis ſomnium interpretatus eſt. Autores verò, quos huiuſce ſuperſtitionis teſtes Nomantæ adhibent, aut in rerum natura nõ exſtant, aut hac de re nihil vnquam ſcripſiſſe perhibentur. Et vt cæteros omittam, Pythagoras numerorum quidem ſcientiam profeſſus eſt, ſuâque

Mendaciũ eſt, Ioſeph Ægypti ſterilitatem Nomantiâ prædixiſſe.

Lege lib. Gen cap. 41.

Pythagoras Numerorũ quidem ſcientiam tenuit, nõ ta-

que Philoſophiã numeris vndique referſit atque repleuit; ex numeris autem nihil vnquam diuinauit, adeò vt Rota illa quę ſub eius nomine circunfertur, mera impoſtura ſit, Nomantarumque delirium. Quod autẽ ſcribunt hanc ipſam artem Cabaliſtas profeſſos, planè mentiuntur: nam etſi Cabaliſtæ numeros ex nominibus eliciebant; iis tamen non ad prædicendum, ſed ad myſteria diuinæ Scripturæ aperienda paſſim vtebantur. Quanquam illa quoque ſcientia, quæ ab Antiquis tanquam per manus tradita dicitur, viris eruditis non parum ſuſpecta eſt, de qua tibi olim, ſi otium erit, aliquid fortaſſe ſcribam. Venio ad Nomantiæ fundamenta præcipua, quæ ſunt literæ, & numeri: Literæ, ſi rem diligenter ſpectemus, nil aliud ſunt, quã certa quędam ſigna, ſeu characteres, quos homines varij ad ſenſa mentis

men Nomantius fuit.

Falſum eſt Nomantiã artem eſſe Cabaliſticam.

Nec literæ, nec numeri vim vllam cæleſtem, aut diuinã in ſe recipere poſſunt.

X

exprimenda, ſuo arbitratu effinxerunt. Hinc Hebræi, Æthiopes, Ægyptij, Græci, Arabes, Latini ſuos quique characteres priuatim deſcribunt: qui tametſi diuerſi ſunt, eandem nihilominus rem ſignificare poſſunt. Numeri re ipſa nihil ſunt, ſed à rationali anima pendent, cuius proprium eſt numerare: variis autem notis & ipſi à gentibus variis, nulla certè neceſſitate, ſed primorum inſtituentium voluntate pinguntur. Iamverò ſi literæ, & numeri non naturæ, ſed animi partus dicuntur, ſi nec corpora ſunt, nec in ſubſtantię genere cõtinentur, quomodo in ſe ſe vim vllã aut cæleſtem, aut diuinam recipere poſſunt? A, inquiunt, à Sole vim obtinet, atque Arieti ſubiicitur. Quid obſecro, hoc ipſo dicto audiri poteſt inſulſius? Si A lapis aliquis eſſet, aut metallum,

Lege epiſt. 3. lib. 3. Dialect.

aut planta, aut animal, aut huius generis aliud, toto capite annuerem: ſimplex autem character, ad hominis arbitrium effictus, qui, charta, & atramento ſecluſis, non conſiſtit; quomodo capax erit ſuperioris defluxus? Sed fac, eſſe capacem, cur A potiùs Arieti, quàm Tauro ſubiicitur? Cur Solis potiùs, quàm Lunæ, aut alterius planetæ nutum ſequitur? Eſtne fortaſſe litera hęc ea facultate prędita, vt eo modo Soli pareat, quo lapis Herculeus Polo Septentrionali? Ad hęc aiunt, habere A peculiarem numerum, qui eſt 13. ſic Arietem 94. & Solem 55. Quanam obſecro ratione ducti, aut quonam fũdamento ſubnixi? Philoſophi, de naturalibus rebus diſputantes, motum ponunt, tanquam illarum per ſe notam affectionem, quæque nulla probatione indigeat. Theologi etiã, diuina myſteria contemplantes, non

Nomantici fundamenti vanitas de literis, & numeris, cæleſtibus ſignis, planetiſque ſubiectis.

nituntur oſtendere, Deum eſſe, quē nemo certè, niſi inſipiens, aliquando negauit. Nomantæ verò principia ſua, tanquam manifeſta, ponūt, quæ tantum abeſt, vt ſint per ſe nota, vt omnium maximè incerta ſint, atque eiuſmodi, vt illis intellectus aſſentiri nullo modo poſſit. Et quod ad me attinet, hęreo ſtatim in huius artis principiis, nec ſatis capio, cur numerus 13 aſſignetur A, 9 B, 27. C? Similiter cur A E H I fortunatæ literæ ſint, B verò C D F infortunatæ? Cur Numeri 1. 5. 6. 8. bonum portendant, 2. 3. 4. 7. malum? Non ſunt hæc ſuprà rationem, ſed omninò contraria rationi, & propterea ne Deus quidem ipſe, niſi rerum naturas immutet, facere poteſt, vt literæ, ac numeri, quà tales ſunt, ſuperiores defluxus recipiant, eoſdemque rebus hiſce mortalibus impertiantur. Videant modò No-

Nomanticorū principia tantū abeſt, vt ſint per ſe nota, vt rationi potius omninò aduerſentur.

mantæ, an ex literis, & numeris hominum mores, ingenia, infirmitates, & quicquid illis euenturum eſt præcognoſcere poſſint; cùm præter vim, quam habent, ſenſa mentis, ex inſtituto ſignificandi, nullam prorſus phyſicam, ſeu naturalem facultatẽ obtineant. Mitto cætera, quæ manifeſtam leuitatem præ ſe ferunt, vt partitionem illam collecti numeri per 30. cur non potiùs per 15, aut per 7? Similiter deſcriptionem nominis patris, aut matris: ſi enim interrogatio eſt de ſtatu filij, quid nomen patris, aut matris prodeſſe poteſt, qui fortaſſe iam pridem extincti ſunt? Rotarum autem illa apud Nomantas varietas, & numerorum diuerſitas numquid eorum prodit inconſtantiam, atque futilitatem oſtendit? Vix certè riſum tenere poſſum, cùm apud ipſos reperio, Alphabetum aliud eſſe pro infirmis paratum, pro

Cæterorum fundamentorum Nomanticæ ſuperſtitionis leuitas oſtenditur.

Nomanticorum inconſtantia in Rotis, & numeris deſcribendis.

viatoribus aliud, aliud pro bellatoribus, & miror, cur non omnibus interrogationibus ſuum cuique Alphabetum deſtinauerint. Quis denique ferat hanc linguæ Latinę prærogatiuam, vt ea ſolùm, hæc diuinationis ſpecies expediri explicarique poſſit? Multùm illa quidem cęleſtibus corporibus debitura eſt, quæ eã vnam præ cęteris elegerunt, in quam ſuam vim, & facultatem influerent. Nulla ergo vis eſt in nominibus, nulla in literis, nulla in numeris, præter eam, quam paulò ſuperiùs adumbraui. Et quamuis ſcriptum eſſe non diffiteamur, Deum in numero, pondere, & menſura cuncta diſpoſuiſſe; id tamen à viris doctis ita acceptũ eſt, vt ſuâ ineffabili ſapientiâ cuncta perfecta, numeríſque omnibus abſoluta Deus procreaſſe dicatur. Vale, Franciſce mi, & F. Ioannem Andreã noſtrum, cum quo velim etiam de

hac epiſtola communices, meo nomine etiam atque etiam ſaluta. Patauij Kalendis Ianuarij. M DC XIX.

Admodum R^do Patri Lectori, F. Ioanni Andreæ Ferrarienſi, Ordinis Capucinorum.

EPISTOLA V.

De Cabala.

NON me fugit, eruditiſſime, atque humaniſſime Lector, nihil eſſe magis Capucinorum proprium, quàm mendicitatem. Noui iampridem, eorum inſtitutum eſſe, panem, vinum, oleum, & reliqua vitæ alimenta oſtiatim quæritare. Poſtulare autem vel diſciplinas ipſas, & præſertim abſtruſas, atque reconditas, quemadmodum tu, humili ſatis, atque ſummiſsâ epiſtolâ, mendi-

cantium more feciſti, nouum certè, atque inauditum mihi videtur. Non miror, Capucinos petere quod ſibi opus eſt: ſed illud potiùs admiror, neminem illis negare poſſe quod petunt. Quænam tanta, bone Deus, eſt illius ſacci, quem induitis, aut cuculli vis, vt vel nolentes ad largiendum cõpellat, & homines, alioquin auaros, eius intuitu illico liberales, atque munificos reddat? Decreuerã equidem paucis hiſce diebus, quibus bacchanalia celebrantur, grauiora ſtudia pauliſper intermittere, & dulciſſimis amicorum colloquiis animum oblectare: ſed tua epiſtola, neſcio quo artificio conſcripta, me ſtatim ab inſtituto reuocauit, méque tuæ voluntati totum mancipauit. Scripſi ſuperioribus diebus Franciſco Lazarono, Cabaliſticam artem à Nomantica diſciplina longè diuerſam eſſe; eique, vt ipſe quoque ex ea epi-

ſtola intellexiſti, pollicitus ſum, aliquid de Cabala ſcribere, cùm mihi tamen per otium licebit. Tu autem occaſionem ſtatim rapuiſti, hocque ipſum tempus, cùm à publico legendi munere vacuus ſim, valdè opportunum ad ſcribendum eſſe iudicaſti. Omnia tempus habent, dicebat vir ſapientiæ plenus, tempus ſtudendi, tempus prælegendi, tempus ſcribẽdi: tempus autem quieſcendi quando erit? Nolo verbis cum Capucinis contendere, quibus recepto quodam iure debentur omnia: ad opus ſtatim aggredior, quamuis arduum, & valdè difficile. Solatio tamen illud eſt, quod omnia æqui bonique conſulant, nihilque recuſent, quod pro ſtipe tribuitur, quale tandem illudcunque ſit. De Cabala igitur diſputaturum, ne vel in verbo peccetur, quid, & quotuplex ſit, principiò explicare oportet: mox illa ſpecies Eccleſiaſt. cap. 3.

tractanda erit, cui Cabalę nomen magis congruit, quamque prę cęteris notam tibi fieri cupis. Cabala, ſi vocabulum paulò latiùs accipiamus, quancumque ſcientiam abſtruſam, atque reconditam, cuius ope admirandum aliquid efficitur, ſignificare ſolet. Hæc paſſim in Cabalam Raimundi, Magorum, & Hebræorum diſtinguitur. Cabala Raimundi eſt ars quædam ab eodem excogitata, qua, breui temporis ſpatio, ſcientias omnes ſe docere facilè poſſe profeſſus eſt: in cuius gratiam libellum edidit, quem de auditu Cabaliſtico inſcripſit. Quanti autem ars illa æſtimanda ſit, niſi te fallit memoria, puto, te iam ex ea epiſtola optimè intellexiſſe, quam olim, dum Senis eſſem, à Petro Lupo, Philoſopho, Medicoq; Piſano inuitatus exaraui. Cabala Magorum occulta ſcientia eſt, quâ, obſeruatis quibuſdam ſiderum con-

Cabala generatim accepta quid ſit.

Cabala triplex.

Cabala Raimundi. Lege epiſt. 3. lib. 1. Dialect.

Cabala Magica.

ſtitutionibus, rebuſque agentibus, & patientibus ſimul poſitis, admirabiles effectus eduntur: id, quod interdum ſolis naturæ viribus, interdum verò Dęmonum etiam auxilio, contingere ſolet. Cabala Hebręorum myſtica dicitur Diuinę Scripturę expoſitio, quę mentem ad ſublimia eleuat, hominem à fluxis, & mortalibus rebus ad cæleſtium, & diuinarũ contemplationem ducit, eumque ſapientiſſimum reddit. Hæc eſt illa recondita ſcientia, immò verò profundiſſima ſapientia, ab Hebręorum Rabbinis tantopere celebrata, qua totius Vniuerſi rationem, naturam, & ordinem optimè ſe intelligere profitentur. Cogita quiduis, ſiue in rebus humanis, ſiue in cęleſtibus, ſiue in diuinis, omnino nihil eſſe, dictitant, quod ſibi inuium atque ignotum ſit. Namque in ſcientia Cabalę, tanquam in fulgentiſſimo ſpe-

Cabala Hebræorũ.

Cabala quænam doceat.

culo, mentis oculis intuentur Dei Opt.Max. naturam intimam, ſingulaſque proprietates; Angelorum ordines, munera, operationes, ſphærarum numerum, orbium conuerſiones, ſiderumque facultates; elementorum proportiones, herbarum, gemmarumque vires, animalium mores, hominum propenſiones, tacitos rerum omnium conſenſus, atque diſſenſiones, ſeu, vt Græci aiunt, ſympathias, & antipathias. Quid quæris? Vel ad ipſas vltimas rerũ differẽtias, Philoſophis prorſus ignotas, Cabalâ duce, iactãt ſe quàm feliciter peruenire. Vniuersã igitur Philoſophiã, diuinã, & humanã cõplectitur Cabala, cùm in ipſa rerũ omniũ cognitio myſticè, atq; ſymbolicè contineatur. Hãc inquiunt Deum Opt. Max. primo parẽti noſtro Adamo in ſopore illo, ingenti liberalitate, communicaſſe; ac propterea illum, tàm

Cabala quibusnam primùm indicata fuerit.

mirificâ diſciplinâ inſtructum, animalibus, plantis; rebuſque omnibus nomina propria, ab eorum vltimis differentiis deprompta, ſomno ſolutum impoſuiſſe. Hincque factum eſſe, vt omnia tunc ei tanquã Principi parerent, propriiſq. nominib. vocata, deſiderio eius ſtatim obtemperarent. Hanc inſuper tradunt, Moſem à Deo priuatim accepiſſe, eiuſq. auxilio tot admiranda in Ægypto feciſſe. Hac Ioſue Solem firmaſſe. In hac Salomonem peritiſſimum extitiſſe, libroſq. nonnullos de quibuſdã Dei, Angelorum, Dæmonumq; nominibus, deq; eorum occultis proprietatibus edidiſſe. Eadem quoque temeraria confeſſionẽ aſſeuerant, Christum Seruatorem noſtrum omnia miracula feciſſe. Cæterum nõ ab Hebręis ſolum, ſed (quod mirũ videtur) à nõnullis etiam ex noſtris recõdita hæc diſciplina extollitur, & præſertim à Ioanne Pico Mirandulano,

Io. Picus Mirandul. Cabalæ præcipuus profeſſor.

qui gloriatur, ſe libros de Cabala, ſeptuaginta maximo precio emiſſe, atque in eis Moſaicam, & Chriſtianam religionem, ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, Humanæ carnis à Diuino Verbo aſſumptionem, Meſshię diuinitatem, originalis peccati radicem, eius expiationem, Chriſti paſſionem, Angelorum ordines, Dęmonum caſus, pœnas inferni, aliaq; huius generis multa optimè cognouiſſe. Ideò plerique ſunt, qui Cabalæ libris, ad fidei noſtræ confirmationem, vtuntur: quoniam multa in illis contra Iudæos continentur, quos ipſi deprauare non potuerunt, cùm ante Chriſti aduentum ſcripti ſint.

Cabala Hebræorũ duplex.

Cabalam duplicem eſſe dicunt: alteram enim vocant ſcientiã de בראשית Bereſith: Alteram verò ſcientiam de מרכבה Mercacia. Primam æquiparant auro bono, appellantque ſapientiam naturæ: alteram compa-

ſant auro optimo, & appellant ſapientiam diuinitatis. Cabala igitur de Bereſith ea eſt, quæ naturalium rerum, atque cæleſtium vim docet, quæque naturalibus rationibus diuinæ Scripturæ myſteria exponit. Hæc autem eſt ferè eadem cum Magia naturali, in qua ſcribunt, Salomonem maximè excelluiſſe, qui lapidum, metallorum, herbarum, & animalium proprietates optimè ſciuit, librumque compoſuit, in quo peculiares morbis omnibus medicinæ continebantur. Quem, propterea quòd Iudæi tanquam Deum colebant, eique ſoli, non item Deo ſanitatem acceptam referebant, idcirco aſſerunt, Ezechiam Regem de medio ſuſtuliſſe. Cabala verò de Mercacia eſt ſymbolica Theologia, ſeu cōtemplatio rerum ſublimium, & diuinarum, virtutum, Angelorum, ſacrorumque nominum: & in hac dicunt

Cabala de Bereſith.

Cabala de Mercacia.

literas, characteres, apices, puncta, & ſi quæ ſunt huius generis minutiora, profunda myſteria ſignificare. Ioannes Picus, qui primus Cabalam in Latium traduxit, ſpeciem hanc ſubdiuiſit: nam quatenus myſteria à numeris elicit, eam vocauit ספירות quatenus verò eadem elicit à nominibus, vocauit שמות. Sed videre mihi videor te iam reconditam hanc diſciplinam anhelantem, & ſcire cupientem, quid tandem Cabala ſit, quiſnam ſublimis ille contemplandi modus? Ne te pluribus morer in eius mirabilibus, & quaſi prodigiis recēſendis, ad ſingularia quędam deſcendam, nonnullaque tibi primùm ob oculos ponam, quę ex variis Cabaliſtarum libris excerpſi, vt ſpecimen ſaltem aliquod tàm diu à te optatæ diſciplinę accipere poſſis, mox quid in ſe Cabala veritatis contineat, aperire conabor. Illud in primis tanquā firmum,

Cabalæ diuiſio à Io. Pico tradita.

Lege lib. Zohar. Portarum, lucis, & Iuſtitiæ, & Marecheth haeliuth.

Cabaliſtarum fundamentum præcipuum.

firmum,& ratum Cabaliſtæ ſtatuũt, primum, æternumque rerum omnium opificem non caſu, & temerè, ſed maximo diuinæ ſuæ ſapientiæ conſilio, in Mundi fabricam incurriſſe; ac propterea quicquid ab eo effluxit, id omne ſumma cum ratione conditum eſſe. Ab illo enim, qui ipſamet Sapientia eſt, quomodo aliquid oriri poteſt, quod in ſuo genere perfectum non ſit, numeriſque omnibus abſolutum? Hinc igitur mundi, tam ſenſibilis, quàm intelligibilis abſolutam perfectionem eliciunt, quoniam vterque ad ſimilitudinem mundi Archetypi, vbi fons omnis perfectionis exiſtit, creatus eſt. Huius autem perfectionis vera, atque diſtincta cognitio, quæ Mundi rationem, & ordinem, rerumque omnium numerum, mẽſuram, & pondus amplectitur, Cabala vocatur: quam certè humani

ingenij perſpicacitas nõ peperit, ſed ille qui Veritas ipſa eſt, miris artibus in mortalium mentibus inſculpſit. Sacrum illud & admirabile templũ, quod olim Salomon Hieroſolymis à Deo condocefactus, tam affabrè ædificauit, mundanæ ſtructuræ pulcherrimam imaginem referebat, vnde primordia ſumpſit Cabaliſtica diſciplina. Atrium erat ante templum, & in eo ara maxima, vbi hoſtiæ mactabantur, idque mundum inferiorem repræſentabat, in quo res generationi & interitui obnoxiæ continentur. Poſt Atrium ſequebatur illa pars templi quam Hebræi vocabant היכל, vbi erat aurea menſa, & in ea panes duodecim, atque in medio altari candelabrum, ſeptem lucernis diſtinctum; ibique hoſtię non imolabantur, ſed ſolùm thus Deo offerebatur. Hanc templi partem tanquam typum ſuperioris Mundi, qui

Salomonis templum Cabalæ typus apud Hebræos. Vide Rabbi Ioſeph Ben Carmitol.

Atrium, Mundus inferior.

Tabernaculum Mũdus cæleſtis.

cæleſtis dicitur, Cabaliſtæ accipiunt, tàm illius, in quo meteorologicæ impreſſiones generantur, quàm illius, vbi planetæ ſeptem ſub duodecim Zodiaci ſignis, ad rerum inferiorum procreationem, & conſeruationem, irrequieto ambitu reuoluuntur. Erat denique pars intima templi, quæ dicebatur מקדש tota aurea, vbi arca fœderis cuſtodiebatur, & ibi duo Cherubim, altitudinis cubitorum decem, totidem cubitorum alas explicantes; hocque Sanctuarium Symbolum vocant Angelici Mundi. Porrò definita illa cùm Angelorum, tùm alarum magnitudo, ſcilicet cubitorum decem, myſterio non vacat: in ea enim docent, perbellè exprimi intelligibilem Mundum, decem illis numerationibus, quas ספירות paſſim appellant. Ab his, tanquam ab vberrimis fontibus, profundam ſapientiam Cabaliſtæ

Sanctuarium, Mundus Angelicus.

Decem Sephiroth. Vide Rab. Moiſ. Cardorc. in ſuo Pardes.

hauriunt, dum rationem, & ordinem contemplantur, quo Dei altiſſimi vis, atque poteſtas ad inferiora deſcendit, treſque illi quaſi diuinitatis radij, eſſe, viuere, & intelligere cum procreatis rebus communicantur. Numerationes autem hæ ſunt, כתר corona, חכמה Sapientia, בינה intelligentia, חסד clementia, גבורה fortitudo, תפארת ornatus, נצח triumphus, הוד honor, יסוד fundamẽtũ, מלכות regnum. Supra coronam verò ponunt אין סוף id eſt infinitatem, & abyſſum. Huc quoque pertinent quinquaginta illæ intelligentiarum portæ, ex tertia numeratione naſcentes, per quas inquiunt, ad rerum omnium cognitionem aditum patere, eaſque præcipuum Cabaliſticæ artis fundamentum exiſtere. Ducunt enim, certo quodam ordine, ad principem materiam, ad formarum priuationem, ad rerum ſpecies, ſubſtan-

Quinquaginta Intelligentiarũ portæ à Cabaliſtis nominatæ. Lege Ramban, Nechmani, & Rab Akibà in lib. explanationũ.

tias,accidentia,proprietates,elementa,lapides,metalla, plantas, animalia, impreſſiones meteorologicas, cæleſtia corpora, motus, & numerum orbium, ſtellarum vires, rationales animas, Angelorum conclaue, rerum ideas, atque tandem ad ſummũ Imperatorem Deum. Has omnes ſcribunt Rabbini, Moſi diuinitùs apertas fuiſſe, præter vltimam, quę eſt clara Dei viſio: propterea quod dictum eſt ei, poſteriora quidem mea videbis, faciem autem meam videre non poteris. Eiſdem quoque ad ſapientiam ingreſſus eſt Salomon, quam Deus illi dedit, tanquam arenam in litore maris: fuit enim ſapientior cunctis hominibus, & diſputauit ſuper lignis à cedro, qui eſt in Libano, vſque ad hyſſopum, quę egreditur de pariete, & diſſeruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus, vt nihil prorſus eſſet, quod eum late-

Exodi cap. 33.

3. Reg. c. 4.

Nomen Dei tetragrammatō, Moſi primū indicatum. Exodi 3.

ret. Cęterùm tametſi Moſes, dum viueret, Dei faciem videre non potuerit, dignus tamen fuit, cui primùm nomen illud tetragrammaton יהוה intimam Dei naturam, atque ſubſtātiam ſignificans, indicaretur. Nomen hoc Cabaliſtæ, tranſpoſitis literis, adiectiſque punctis, variè commutant, ex eoque duodecim, quas vocant, reuolutiones eliciunt, in quibus incredibilem non ſolùm ſignificandi, verùm etiam efficiendi vim reperiri arbitrantur. Reuolutiones hę ſunt ויחח חיחו חויח חחוי יחוח יחחו יוחח חוחי חחיו חויח וחיח וחחי, quas in Dei attributa vim ſuam influere, atque ab his ad Angelos, mox ad cæleſtia ſidera, deinde ad planetas, atque tandem ad res inferiores vim diuinam deſcendere dicunt. Angelorum autem duo & ſeptuaginta nomina ex quodam Exodi verſiculo, incipiens ab his verbis

Diuini nominis reuolutiones duodecim apud Cabaliſtas. Lege Rabi. Iacob. Cohē.

מלאך ויסע האלהים hoc eſt, & migrauit Angelus Angelorum, collectis hinc inde literis, accipiunt, quorum duos, duabus columnis, videlicet nubis, & ignis præfectos fuiſſe, ſeptuaginta verò totidem orbis prouinciarum Rectores eſſe tradiderunt. Hos ipſos exiſtimant, ex proprietate diuinæ clementiæ, hoc eſt ex tertia numeratione emanaſſe, atque in diuiſione Maris Rubri, & liberatione filiorum Iſrael, Moſi in auxilium datos eſſe, diuinæque voluntatis miniſtros extitiſſe. Taceo multa ad rem hanc pertinentia, quæ explicare non expedit. Vnum tantùm te ſcire velim, quòd Cabaliſticæ artis arcanum maximum reputatur, videlicet Dei, & Angelorum nominibus propriis tantam vim à Cabaliſtis attribui, vt ſi Hebraicè ſcribantur, aut pronuncientur, effectus admirabiles, quique naturæ vires excedant,

Vix maxima nominum, & characterũ apud Hebræos.

parere poſſint. Hinc apud ipſos miraculorum fontes ſcaturiunt: horum namque nominum vi, cuncta ſe ſcire, immò etiam præſcire, morbis omnibus mederi, naturis, vel inſenſibilibus imperare, aliaque huius generis plura pręſtare poſſe profitentur. Scribit autor libelli שערי אורה per ſolum nomen diuinum, vel ab ethnico prolatum, Rabbinum quendam vxoris ſuæ ſororem à ſtupro liberaſſe: ſcribunt alij maiora, ſed de his paulò infra. Cabaliſtarum hoc genus ad Magos, ſeu Necromantas proximè accedere arbitror, hocque ſolo differre, quòd hi Dæmonum, illi verò Angelorum inuocatione mirabilia facere videntur, cum quibus arctam ſe neceſſitudinem contrahere, propriosque eorum characteres, quaſi ſigilla optimè cognoſcere gloriantur. Miſcent ſe nihilominus frequenter cum Magis: nam Dei nomi-

Caballiſtarum genus quoddam à Necromãticis parùm differens.

nibus, & Angelorum characteribus vtuntur ad ſerpentes alliciendos, alligandos Dęmonas, morbos quoſdam profligandos, & id genus alia. Sed hæc Cabalæ ſpecies, quam מעשית ſeu operantem appellant, vel ab ipſis Hebręis prohibita eſt. Vſitatior eſt apud ipſos ſpecies illa, quæ in dictionum, ſyllabarum, & literarum Diuinæ Scripturę obſeruatione conſiſtit. Interdum enim ſingulas dictiones pro integris orationibus accipiunt, cuiuſmodi eſt illud Danielis מנח תקל ופרשים numeratum, ponderatum, diuiſum: quod ita interpretantur: Numeratum eſt regnum tuum, & à Deo cõpletum. Ponderatum eſt in ſtatera, & inuentum deficiens. Diuiſum eſt, & datum Medis, & Perſis. Interdum ex primarum literarum capitibus myſteria eliciunt, ſingulaſque literas, tanquam dictiones integras in-

Cabaliſtarũ obſeruationes variæ in dictionibus, ſyllabis, & literis diuinæ Scripturæ.

terpretantur, cuiuſmodi eſt illud Geneſ. אכן יש יהוה במקום הזה Verè Dominus eſt in loco iſto. Sumentes א primæ dictionis, ſecundæ, & tertiæ כ quartæ ה quintæ, hanc orationem effingunt אני יורע ישוע בן יהוה Ego cognoſco Ieſum, filium Dei: huncque exponendi modum vocant ראשי תיבות. Interdum literas ipſas tranſponunt, vt inde variæ ſignificationes emergant: hancque literarum tranſpoſitionẽ, & variam copulationem vocant

Iulius Ça-millus.

ערוף, quam ex noſtris Iulius Camillus in nomine Lvcretiæ imitatus eſt. Sed hic modus Hebræis lõgè facilior eſt, apud quos literæ omnes conſonantes ſunt; puncta verò illis vocalium vice deſeruiũt, vt ſuperiùs in diuini nominis reuolutionibus ſatis commodè patefeci. Quandoque etiam in ſingulis eiuſdem verbi literis latentem ſignificandi vim con-

templantur, eo modo, quo Chriſtiani Cabaliſtæ ex literis א ב ר quæ in verbo ברא continentur, tres ſanctiſſimę Trinitatis perſonas אב בן רוח hoc eſt Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum eduxerunt. Ideò dictum eſt ברא אלהים ad ſignificandum, eum ipſum Deum, qui cælum, & terram ex nihilo creauit, vnum eſſe in eſſentia, & trinum in perſonis. Sed & in ipſis articulis myſteria maxima aſſerunt reperiri: cur enim dictum eſt בראשי ברא אלהים את השמים ואת הארץ Nonne ſatis erat dicere ברא השמים והארץ cur bis repetitus eſt articulus. את Reſpondent, atticulum את eſſe articulum magnæ comprehenſionis, quia conſtat ex extremis literis Alphabeti, reliquas omnes concludentibus: ideò bis repetitum fuiſſe, vt intelligeremus, Deum rerum omnium tàm viſibilium, quàm inuiſibilium vniuerſalem creatorem eſſe.

Cabaliſtica obſeruatio in articulis.

Cabaliſtica obſeruatio in numeris.

Præcipua verò vis Caballiſticæ artis in numeris conſiſtit, dum literarum alicuius nominis collectus numerus, & ille quidem aut ſimpliciter ſumptus, aut duplicatus, aut interdum etiam multiplicatus, numero literarũ alterius nominis æqualis eſt; hincque aiunt, pulcherrimas Diuinę Scripturæ interpretationes exoriri. Afferam exemplum apud Caballiſtas ſatis tritum. Scribit Iſaïas, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Hebræi legunt. חרה חנה העלמה Mirantur multi, cur Iſaïas eo loco ad ſignificandam virginem vſus fuerit nomine עלמה cùm tamen frequenter in ſacris literis id ipſum ſignificetur per nomen בתולה. Reſpondent Cabaliſtæ, hoc ideò factum fuiſſe, vt ex myſtica ſignificatione, quam parit duplicatus numerus nominis עלמה illius adoleſcẽtulæ nomen intelligeremus, quæ duplex quodammodo erat, ſcilicet vir-

Iſaiæ cap. 7

go, & prægnans: ea autem fuit מרים hoc eſt Maria. Simplex namque numerus nominis עלמה (5 40 50 70) eſt 145. idem verò duplicatus eſt 290. hic autem ipſe eſt numerus nominis מרים (40 10 200 40) eſt etiam exemplum multiplicati numeri in nomine יהוה, quod propter duodecim reuolutiones, quarũ ſingulas ſingulis menſibus dominatum obtinere dictitant, cum nomine חדש hoc eſt menſis, affinitatem aliquam habet. Nam חדש (300 4 8) ſi ſuis literis expendatur, efficit numerum 312. יהוה (5 6 5 10) 26. Multiplicatis autem 26 per 12, naſcetur numerus 312. qui eſt numerus menſis. Non deſunt alia exempla: ſed hæc ſatis erunt ad rem, quam cupis intelligendam.

Quod attinet ad originem huius ſcientiæ, illud inter omnes cõuenit, nomen Cabalæ Syriacum eſſe, ductum à verbo קבל, quod eſt recipere, quaſi ſcientia hæc non humanitùs

Cabalę nomen Syriacum eſt. *Lege Picum in Apol.*

De Cabalæ origine lege Ioan. Reuclin. lib 1 art. Cabal.

inuēta, ſed diuinitùs tradita ſit. Quiſnam autem inter mortales primus fuerit, qui à Deo illam acceperit, ob diſcrepantes Cabaliſtarum ſententias, non adeò manifeſtum eſt. Putarunt nonnulli, ſcientiam hanc Adæ primùm per Angelum Razielem à Deo traditam fuiſſe: cui iam graue peccatum dolenti, quo totam naturam humanam corruperat, & futuram poſteritatem inquinauerat, id pręcipuè indicatum eſt, ex eius progenie naſciturum eſſe pacificum hominem; qui voluntariâ oblatione, per mortem in ligno, iuſtam Dei irâ placaret, ruinamque humani generis repararet. Hanc inquiunt indicationem eſſe omnium ſummam, & ſaluberrimam, in qua omnes Cabaliſticæ receptiones mirificè continētur. Ideò Cabalam definiuerunt Eſſe diuinæ indicationis, ad ſalutarem Dei, ſeparatarumque mentium cō-

templationem traditæ, ſymbolicam receptionem. Myſterium hoc cùm Adam vxori ſuę communicaſſet, deſperatione ſummotâ, Deo gratias égit, gauiſáque eſt, quòd futura eſſet viuentium mater, tandémque à viro cognita concepit, & primogenitũ peperit, quem vocauit קין hoc eſt acquiſitionem; putans, ſe virum illum acquiſiuiſſe, qui Seruator humani generis futurus eſſet. Statim enim ac illum peperit, incredibili gaudio perfuſa, ſic exclamauit קניתי איש את הוה acquiſiuit virum à Domino. Cùm autem viderent parẽtes, Chain in ſumma peruerſitate verſari, quærendis iterum liberis operam dederunt, & genuerunt Abel, atque vtrique filio Cabalam, hoc eſt ab auditu de ſalute reſtituenda receptionem, tradiderũt. Hinc egregiè colligunt, Abel, Cabalâ inſtructum, cùm ſibi vidiſſet mortem à Chain ligneâ clauâ intentari,

armato fratri nequaquam reſtitiſſe; ſed volentem &libentem ſe ſe morti obtuliſſe. Similiter ſcribunt, ob Cabalam à maioribus receptam, Abraham filium ſuum obſequentiſſimè ad ſacrificandum duxiſſe, & Iſaac hilari vultu oblationis ligna propriis humeris portaſſe; ſuſpicatum, ſe ſe fore illum, cuius morte tam ingentis ruinæ reſtauratio futura eſſet. Sicque ſenſim ad poſteros tranſiit reſtaurationis ſpes, donec ille venit, qui mittendus erat. Illa ferè tamen obtinuit ſententia, Moſem primùm in monte Sinai ab ore Dei, non quidem ſcripto, ſed viua voce Cabalam recepiſſe, eandemque continua ſucceſſione in poſteros deriuaſſe. Aiunt enim, Moſi à Deo legem duplicem datam eſſe: alteram ſcriptam, quæ omnibus indiſcriminatim pateret: alteram ſine ſcripto, quæ ſapientibus tantùm. Hanc autem fuiſſe Cabalam,

Communior ſententia de origine Cabalæ. Vide Rab. Moſ. Ægyptium in lib. Perplexorum.

balam, quæ, quoniam tempore Ezræ paulatim euaneſcere videbatur, ne funditus periret, iuſſu Dei, in ſeptuaginta libros redacta eſt, qui nonniſi ſenioribus, diuinaque mente, ac conſilio præditis traderentur. Hinc olim apud Hebręos arcana Cabaliſtica tanta in veneratione erãt, vt ea vel diſcipulis ſuis denegarent, aut multis tegumentis, & ænigmatis implicata enunciarent. Nullam quidem rerum cognoſcendarum rationem afferebant, ſed cauſam quærentibus reſpondebant אמרו חכמים dixerũt Sapientes: vnde ortum fortaſſe duxit illud Pythagoricorum dogma, *Ipſe dixit*. Id quod etiam Thalmudiſtę paſſim obſeruant, qui in eodem Sacræ Scripturæ contextu verſantur, & nulla prorſus reddita ratione, ſuorum maiorum traditionibus fidem habent. Hoc tamen à Cabaliſtis differunt, quia hi à mundo ſenſibili ad

Cabala apud Hebr. in maxima veneratione eſt.

Thalmudiſtæ.

Cabaliſtæ quid à Thalmudiſtis differunt.

intelligibilem tranſcendunt,illi verò in ſenſibili permanent: hi contemplationi, illi actioni addicti ſunt : hi tractant ea,quæ ad animi tranquillitatem,& pietatem erga Deum pertinent,illi quę ad mores cōponendos, & Reipublicę adminiſtrationē: atq; vt vno verbo dicam,hi Philoſophi, atq. Theologi ſunt,illi ciuiles,politici, & Iuriſconſulti.Ex his,opinor,R^de Lector,facilè intelliges, quinam Cabaliſtæ dicantur, aut quænā ſit eorū doctrina, ne fortaſſe eorum opinionem ſequaris qui ſuſpicati ſunt, Cabaliſtas à perfido quodam homine dici, qui aduerſus Chriſtianam religionē multa conſcripſerit. Nunc autē,qualiſnam ſciētia Cabalæ ſit, verane,an falſa; ſolida,an vana; pia, an ſuperſtitioſa, paucis erit promendum. Non diffiteor, immò cōſtanter affirmo, quæcunq. à Deo creata ſunt,ea omnia sūma cū ratione diſpoſita eſ-

Ridicula opinio de Cabaliſtis.

Dei opera omnia mirabilia.

ſe; vt nihil ſit, quantũuis exiguum, in quo aliquis diuinę ſapiẽtię radius mirabiliter non refulgeat. Hinc Plinius, culicũ, aliorũq. huius generis animaliũ motũ aliquando conſiderans, admiratione obſtupefactus, ait, sũmi opificis vim nuſquam magis, quàm in minimis perſpicuã, manifeſtãq; reddi. Inexplicabilia ſunt, quæ in profũdo diuinitatis abyſſo continẽtur: cæterarũ autẽ rerũ, quæ inde fluxerunt, certa ſcientia eſt. Angelorum definitus eſt numerus, cælorum pariter, formarum, ſeu ſpecierum, horumque omnium vires, defluxus, & proprietates definitæ ſunt. Mare quotidie fluit, & refluit; Nilus ſtatis temporibus creſcit, atque decreſcit, aer huc illuc ventis continuò agitatur; frequenter irides; rarò cometæ apparent in cælo; monſtra in rerum natura, aliaque mirabilia in dies procreantur: quę ſanè omnia certam

Plinij dictum.

Eorum, quæ ſunt, certa ſcientia eſt.

habent cauſam, ſoli Deo perfectè cognitam. Latent hæc in theſauris ſapientiæ eius, de quibus ipſe aliquid cum Angelis, tùm hominibus, magis, & minus, quæ eius liberalitas impertiit. Probabile igitur eſt, ſummũ conditorem, poſtquam ex archetypo mundo Angelicum, cęleſtem, atque ſenſibilem deprompſit, multa Adamo, Abrahæ, Moſi, & aliis pluribus, ſed præ cæteris Salomoni, ad eorum diſpoſitionem, & ordinem ſpectantia patefeciſſe: vt iis quaſi ſeminibus in mortalium mentibus receptis, temporum decurſu, vberiores fructus colligerentur; atque ità inuiſibilia ipſius à creatura Mundi, vt Paulus ait, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpicerentur. Si hæc cognitionis ſemina excludas, quænam, obſecro, aut qualis erit mortalibus ſcientia, quę rerum certitudo; cùm apud Philoſophos ipſos, qui naturæ

Deus in multorum mentibus ſciẽtiæ quædam quaſi ſemina iecit.

Rom. cap. 1.

Philoſophi vt plurimũ in opinionibus verſantur.

exploratores dicuntur, opinionibus cuncta nitantur, maximaque pars eorum, quæ ſcimus, minima ſit eorum, quæ ignoramus? Iam verò, ſi eos intelligentiæ, atque cognitionis gradus, quos Deus in maiorum noſtrorum animis aut proximè, aut Angelorum miniſterio infudit, quoſque ipſi poſterioribus indicarunt, & tanquam per manus tradiderunt, Cabalæ ſcientiam appellent Hebræi, ab illis non diſſentio; Quinimmò ſi qui ſunt libri, hæc ipſa docentes, eos omnes ſumma cum reuerentia legendos, maximique æſtimandos eſſe cenſeo. Accepiſſe autem Adam à Deo myſterium humanæ reparationis, aut Moſem in monte Sinai, præter legem illam, quæ ſcriptis tradita eſt, myſticam eiuſdem legis interpretationem, ſeu peculiarem illam ſciētiam, quæ Cabala dicitur, quæque admirabiles illos parit effectus, quos

Cabalæ origo incerta, nec Hebræis ita facile credendum.

Cabaliſtę commemorant, incertum omninò eſſe arbitror,& veritati parum cõſentaneum. At hoc, inquiũt, dixerunt ſapientes. Parum apud me valet hęc ſapientum autoritas: nam ſtatim ambigo, vtrùm qui hoc ipſum aſſeuerarunt, fuerint ſapientes. Adiiciunt Sacræ Scripturę teſtimonium libro quarto Ezræ. At liber ille, vt in Hebræorum codicibus non reperitur, ita à noſtris inter Apocrypha numeratur. Quod ad templum Salomonis attinet, non ea potiſſimũ ratione tam affabrè illud, atque magnificè extructum fuiſſe arbitror, quia ibi arca fœderis cuſtodiebatur; ſed quia ſignum erat illius templi, vbi nunc Chriſtum, filium Dei viui in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento latentem, piè, ſanctéque veneramur. Fuiſſe autem tribus illis partibus diſtinctum עזרה היכל ומקדש hoc eſt atrio, tabernaculo, & ſanctua-

Ezras lib. 4. cap. 14 in extremo.

Templum Salomonis quid re vera præſignificauerit.

rio, non quia ideam triplicis Mundi repræſentaret, quemadmodum Cabaliſtæ exiſtimarunt: (alioquin in quolibet rectè conſtructo palatio hanc eandem ideam effingere poſſemus) ſed quia diuerſis operibus deſtinatum erat. Panes verò duodecim, ſeptemque lucernas nonne aptiùs quis dicere poſſet, duodecim Apoſtolos, Chriſti fidem per vniuerſum Mundum prædicaturos, ſeptemque Eccleſiæ Sacramenta præſignificaſſe? Cur ſi pars illa templi cæleſtem Mundum indicabat, determinatum cælorum numerum nō patefecit? Cur Abraham, qui Ægyptios Aſtronomiam docuit, quemque Hebrei credunt compoſuiſſe librum יצירה inter Cabaliſticos præcipuum, numerum illum ignorauit? Sed neque definita illa Angelorum & alarum magnitudo cubitorum decem, mundum intelligibilem ne-

neceſſariò exprimebat,aut myſticam illam ſignificationem habebat, quã iidem ſatis ingenioſè,atque ſubtiliter excogitarunt. Vndenam enim neceſſitas eruitur huiuſce interpretationis? Quia,inquiunt, nihil Deus, niſi ſumma cum ſapientia agit. At ego quæram, cùm cæli finiti numero ſint,cur tantùm decem ſunt, & non plures, nec pauciores? Cur ſpecierũ numerus neque maior eſt, neque minor? Cur cæli moles maius ſpatium non occupat? Reddant, ſi poſſunt, Cabaliſtæ harum rerum rationem,& ego ſtatim eorum reconditæ ſcientiæ libentiſſimè ſubſcribam. Hinc coniicere poſſumus, myſteriũ illud decem Numerationũ, & quinquaginta Portarum,merum eſſe Cabaliſtarum commentum: quis enim prohibet,quominus nos æternitatẽ, omnipotentiam, iuſtitiam, & alias huius generis numerationes adda-

Myſterium decem ſephiroth,& quinquaginta portarum nullo certo innititur fundamento.

mus? Quod ſi dicant,ad illas decem cæteras reuocari, & ego dicam, in אי' זסוף hoc eſt in infinitate omnia contineri. Iacit quidem Deus in hũc inferiorem mundum diuinitatis ſuæ radios, & vim ſuam longè, latéque diffundit; nullis tamen numerationibus eſt aſtrictus, quaſi ab illis eius actio pendeat: ſed ex variis operibus variæ quoque proprietates in lucem emergunt, quæ humanæ ſubiiciuntur contemplationi. Neque verò cùm Deus Moſem, & Salomonem tanta rerum cognitione locupletauit, tot illis intelligentiarum portas aperuit, quaſi certus quidam, & neceſſarius ordo ſit ad ſapientiam ingrediendi, paucis indicatus, & Cabaliſtis tantummodo perſpectus: ſed ineffabili modo earum rerum notitiam illis tradidit, quas diuinæ ſuæ ſapientiæ conſilio iiſdem congruere iudicauit. Non eget Deus vllâ arte, vt

doctum aliquem faciat : qui enim mundum ex nihilo condidit, facilè poteſt, quem voluerit, ex rerum omnium, ignaro, longè ſapientiſſimum efficere. Sic Chriſti Apoſtoli, cùm rudes eſſent, & imperiti, nullâ Cabalâ inſtructi, ſed diuino tantùm ſpiritu illuſtrati, ad illud ſapientię faſtigium peruenerunt. Fateor equidem,

> Nomẽ Dei tetragrammaton non habet vim illam efficiendi, quã exiſtimant Cabaliſtæ.

nomen Dei tetragrammaton יהוה Moſi primùm indicatum eſſe; nego tamen in eiuſdem pronunciatione, aut literarum tranſpoſitione vim illam ineſſe, quam Cabaliſtæ ſomniarunt. Nomen Dei eſt יהוה hoc eſt ipſum eſſe, quod de re alia nulla enunciari vnquam poteſt : ſolus enim Deus eſt ipſum eſſe, quod eſt: cætera verò ſunt ipſo eſſe, quod habent.

> Mendax eſt, & vana regula illa tranſpoſitionum literarum apud Cabaliſtas.

Porrò vt de literarum tranſpoſitione dicamus, attende quęſo, quàm abſurda Deo adſcriberemus, ſi eius nominum literas tranſponere nobis li-

ceret. Namque אל Deum ſignificat לא non Deum שדי omnipotentem ידש impotentem : ברא creatorem, ארב inſidiatorem : מלך Regem , כלם vituperatorem. Vt hinc intelligas, quàm vana ſit illa duodecim diuini nominis reuolutionum doctrina, quæ certè nec à Salomone, nec à Moſe, nec ab vllo ſapiente vnquam effluxit. De Angelorum nominibus, quæ ex illo Exodi verſiculo exceperunt, nihil ſcribo, cùm planè conſtet, interpretationem illam ad arbitrium alicuius ingenioſi viri confictam, accommodatamque eſſe. Quod maximè miror, incredibilis illa vis eſt, quam Dei, & Angelorum nominibus Hebraicè ſcriptis, rectéque pronunciatis Cabaliſtæ attribuunt; vt ſcribere non erubeſcant, ſe iis ipſis & occulta intelligere, & futura prædicere, & inſanabiles morbos profligare, & brutis animantibus impera-

Nomina Dei, & Angelorum quà talia ſunt, nihil efficere poſſunt.

re, & (quod ſolius Dei proprium eſt) portentoſos effectus, naturæ vires exſuperantes arbitratu ſuo edere. Ecquis obſecro ſanæ mentis ferat huiuſmodi inſaniam, Solem videlicet, Lunam, cæteraque aſtra, ſtirpes inſuper, & animalia ratione carentia, diuinam illam vim, quæ in Hebraicis vocibus latet, ſentire, & illis ita affici, vt homini nomina illa pronuncianti, illicò pareant, cùm ne omnes quidem homines illorum verborum vim, & efficacitatem intelligant? Sed nec intelligentem hominem mouere poſſunt: vnde enim hæc vis? Mouentur Dæmones in exorciſmis, non ipſorum verborum vi, ſed Dei imperio: in incantationibus verò finguntſe moueri, cùm tamen perquã libenter accedant. At inquiunt, Hebraicas voces maximam ſignificandi, atque etiam efficiendi vim habere, quia manent in ſua naturali ſigni-

Hebraicæ voces non habent maiorem efficiendi vim, quàm aliarũ linguarum.

ficatione. Vulgare planè dictum, nec hercle viro erudito dignum, quaſi non idem prorſus ſignificet Deus exercituum, ac אלהי הצבאות. Rogabis fortaſſe, cur Eccleſia voces illas Hebraicas, & Græcas retinuit, vt Sabaoth, Eleiſon, & id genus alias? Reſpōdeo, id feciſſe, non quòd vim maiorē habeant, ſed quia peregrinis vocibus magis animus inflammatur, vulgares autem facilè contemnuntur: externa enim, & ineffabilia verba audientes magis commouent, ſemper immenſum aliquid expectantes, ac dignum mouendo Deo. Quid dicam de vocibus, nihil prorſus ſignificantibus? Eſtne aliquis tam excors, qui ſibi perſuadeat, habere illas vim aliquid efficiendi? Et tamen inter Cabaliſtas non deſunt, qui tueantur, longè illas plus poſſe, quàm quæ aliquid ſignificant, quatenus Dei voce formantur. Sed aperiant aliquando oculos,

Eccleſia cur aliquas voces Hebraicas, & Græcas retiuuerit.

Voces non ſignificantes nullam habent efficiendi vim quicquid contra narrat Picus in concluſ. Magicis 21. 22.

& agnoſcant, efficiendi vim non à vocibus quidem ipſis, ſed à Deo tantùm, qui eſt omnis efficientiæ fons vſquequaque pendere. At naturalis eſt, inquiunt, homini Hebraica lingua, ideo vim habet rerum proprietates, vltimaſque differentias exprimendi. Vtrumque falſum. Primò, quia nulla lingua ſine magiſtro haberi poteſt: immò vel ipſimet Hebręi, niſi loqui diſcerent, ſemper eſſent infantes. Deinde, quia lingua id exprimere nequit, quod intellectus ignorat: rerum autem proprietates quamplurimæ, & vltimæ differentię ferè omnes nos latent. Vtrum Adam eas nouerit, incertum eſt: quamuis tueantur nonnulli, ſciuiſſe illum, à Deo inſtructum, quicquid ſciri poteſt, longéque omnibus hominibus, vel ipſomet Salomone ſapientiorem extitiſſe. Hoc tamen certum eſt, nullas eſſe linguas, quæ rerum pro-

Nec Hebraica, nec alia lingua eſt homini naturalis.

Pererius in Geneſ. lib. 5. q. 3.

Nulla eſt lingua, quæ vim habeat ſupra res ipſas.

prietates, vltimaſque differentias ita exprimant, vt illę quaſi auditis vocibus, ad pronunciantis arbitrium, & nutum ſe totæ fingãt, & accommodent. Quod ſi Adam animalibus nomina impoſuit, ea potiùs ipſum arbitror ab exterioribus quibuſdam accidentibus, quàm à proprietatibus, vltimiſque differentiis deſumpſiſſe. Omnibus autem animalibus imperaſſe, non herclè nominũ vi, ſed quia Deus illum omnibus prefecit, & in eius ditionem, & poteſtatem cuncta redegit. Congruum enim erat, vt qui rationis particeps eſt, ſummique conditoris imaginem gerit, reb⁹ cęteris dominaretur. Hinc elici facilè poteſt, miracula illa quæ à Moſe, Ioſue, aliiſque Dei miniſtris facta ſunt, nõ à nominibus quidem, literis, & characteribus, ſed à ſummi Dei omnipotẽtia vim ſuã, & efficacitatẽ accepiſſe; atq; adeò Chriſtũ, qui

Adam cũ omnibus animalibus imperauerit.

Miracula fiunt non vi Cabalæ, ſed Dei omnipotentia.

Deus ſimul, & homo fuit, ad ea præſtanda, quæ fecit, ſcientia Cabalæ nõ indiguiſſe. Miror autem, Cabaliſtas tantam vim Hebraicis literis, & characteribus adſcribere, cùm D. Hieronymus diſertis verbis teſtetur, alios eſſe nunc Hebræorum characteres ab iis, qui olim ante captiuitatem Babylonicam extiterant. Ezras enim, inquit, poſt captam Hieroſolymam, & reſtaurationem templi ſub Zorobabele, alias literas reperit, quibus nunc vtimur; cùm antea eædem omninò Samaritanorum, & Iudęorum literæ eſſent. Cætera verò, quę in literis, articulis, numeris, atque id genus aliis Cabaliſtæ obſeruant, ſuperſtitioſa eſſe arbitror, & vanitatis plena, ad Poëtas potius, atque Nomantas, quàm ad Philoſophos, aut Theologos pertinentia. Nam etſi caſu aliquando contingit, vt inde bonas aliquas Diuinæ Scripturæ interpretationes

Hebraici characteres non iidem modò ſunt, qui olim fuerunt. Lege D. Hieron. in Prologo Galeato.

Cabaliſticæ ſuperſtitiones in ſacris literis interpretandis.

ationes accipiamus; iiſdem nihilominus regulis, tanquam veris adhibitis, in multa falſa, abſurda, & à Catholica fide aliena ſæpiſſimè incideremus. Ergo ſi qui veræ Cabalę libri eperiuntur, in eis nil aliud exiſtimo ontineri, niſi id ipſum, quod à noſtris etiam Philoſophis, atque Theologis traditum eſt: hoc ſolo diſcrimine, quia hîc clariùs illud habetur, bi verò obſcuriùs. Veteres namque criptores, ne naturæ, atque diuinitatis arcana tam facilè ad vulgares homines peruenirent, quinimmò vt tāquam magna quędam, & admiranda ab eiſdem acciperentur, conſueerunt ea non palàm aperire, ſed nultis integumentis, atque inuolucris implicata enunciare. Zoroaſter le rationali, & irrationali animæ pare differens, eas per Canem, & Sireem ſignificauit. Orpheus animi perationes dixit eſſe Palladis, & Ve-

Vera Caba-la quidnam doceat.

Vetus docendi conſuetudo.

Zoroaſter.

Orpheus.

Triſmegiſtus. neris vigilantiam. Triſmegiſtus appellauit Deum Sphæram, cuius centrum eſt vbique & circumferentia nuſquam. Plato. Plato ſenſibilem, & intelligibilem pulchritudinem duplici Pythagoras Venere deſignauit. Pythagoras monere volens, non eſſe anxiè magiſtratus quærendos, ſed ambitionis vitium præcidendum, à fabis abſtinendum eſſe præcepit. Poetæ. Poëtæ, vt ſtudioſorum ingenia ad contemplationem vehementiùs inflammarent, leuemque vulgi contemptum faciliùs declinarent, quæcumque docuerũt, metaphoris, allegoriis, atque ænigmatis velata propoſuerunt. Quid plura? Nonne Chriſtus etiam noſter Chriſtus ſymbolis & parabolis vſus eſt. ad explicanda fidei myſteria, ſymbolis, & parabolis vſus eſt? Huiuſmodi igitur ſunt, quæ à Cabaliſtis traduntur, quamuis ipſi putent, eos, qui audiunt, in magnam admirationem traducere, dum res curioſas, & inau-

ditas pollicentur. Iactant, ſe cum Dæmonibus, cum Angelis, & cum Deo loqui; faciléque ab iis quicquid petierint, obtinere, quoniam eorum propria nomina norunt. Ridicula res, quaſi nemo, exempli gratia, miſericordiam à Deo conſequi poſſit, ſi miſericordiæ attributum, aut proprium nomen illud exprimens, ignorarit. Extollunt hanc ſcientiam tanquàm omnia docentem, & miraculorum effectricem. præcipuum autem miraculum, quod equidem hactenus viderim, illud eſt, tot reperiri mirificæ ſcientiæ ſtudioſos, qui nulla tamen edant miracula. Hæc inpræſens arbitror ſufficere, ad Cabalam expendendam: ſi cumprimùm Patauium veneris, vt recepiſti, plura fortaſſe nos, & maiora dicemus. Interim vale. Patauij. x. Kal. Martij. M DC XIX.

Cabaliſtæ ridiculi.

Martino Sandellio, Patauino, bonarum artium cultori.

Epistola VI.

De *Magia*.

Evm qui in bonarum artium ſtudiis totam ferè ætatem conſumpſit, quemadmodum tu, doctiſſime Sandelli, feciſti, pauca certè latere arbitror. Perſpicuum id reddidit elegantiſſima illa epiſtola, quam ad me ſuperioribus diebus ſcitè admodum & literatè ſcripſiſti: vbi Magicæ diſciplinæ rationes, & fundamēta perquirens, tantam non in ea ſolùm facultate, verumetiam in aliis omnibus, eruditionem præ te tuliſti, vt cùm diſcere te velle videbaris, docere potiùs, & mirabili quodam artificio, tùm quæ ex alienis, tum quæ ex

propriis theſauris deprompſiſti, excutere iudiceris. Vt video meã quoque ſententiam de rebus Magicis expiſcaris, nouæ fortaſsè alicuius doctrinæ opinione ductus: ſed longè profectò falleris, quandoquidem quod ego ſentio, ipsũ illud eſt, quod vetuſtiſſimi, grauiſſimíque philoſophi docuerunt. Satis igitur erit, ſi in tuæ ſpem gratiæ, ea multa, quæ perobſcurè ab autoribus variis de Magia ſcripta ſunt, ad præcipua quædam capita reuocauero, quidque de illis ſecundùm ſolidam Philoſophiã, Catholicamque Theologiam ſentiendum ſit, dilucidè, quoad eius fieri poterit, explicaro. Magia vox Perſica eſt, quæ ſapientiam ſignificat: hincque factum eſt, vt qui à noſtris Philoſophi, & ſapientes dicuntur, à Perſis Magi nuncupentur. Porrò vbi Magiæ vocabulum tranſiit ad nos, non in ea manſit ſignificatione,

Magia vox Perſica eſt, & Sapientiã ſignificat.

vt puram Philoſophiam indicet, ſed altiores radices egit. Cùm enim Magum nominamus, non pręcipuè ſapientem virum de rebus variis diſſerentem, atque in intimã naturæ cognitionem penetrantem, animo cõcipimus; ſed hominẽ mirabilia quædã, & prodigiis ſimilia efficientem.

Magi nomẽ quid nobis ſoleat indicare.

Itaque Magia Latinè accepta, eſt ars, ſeu facultas, quæ naturæ cuiuſcumque, hoc eſt, tàm corporeæ, quàm incorporeæ viribus, mira quædam, inſolita, & communem hominum captum excedentia, efficit. Hanc Platonici in albam, & nigram, alij in bonam, & malam diuidere conſueuerunt. Ego illis aſſentior, qui ipſam in naturalem, artificioſam, & Dæmoniacam diuiſerunt: nam cuncti eius effectus, vel inſitæ rebus naturæ, vel humanæ induſtriæ, vel Dæmonum poteſtati, ac viribus ſunt adſcribendi. Ab horum autem numero eos ſe-

Magia latè accepta quidnam ſit. Mart. Delr. lib. 1. Mag. Diſquiſ. cap. 2.

Magiæ diuiſio in naturalem, artificioſam, & Dæmoniacam.

ludimus, qui ſupernaturali poteſta-
e fiunt, proprioque nomine mira-
ula vocantur. Magia naturalis, Pla-
onicorum ſententiâ, nihil eſt aliud,
uàm exactior quædam arcanorum
aturę cognitio, qua cælorum, ac ſi-
erum curſu, & traiectionibus variis,
ympathiis, & antipathiis rerum ſin-
ularum obſeruatis, ſuo tempore, lo-
o, ac modo res rebus applicantur, &
nirifica quędam hoc pacto perfi-
iuntur, quæ cauſarum ignaris prę-
tigioſa, vel miraculoſa videntur.
Quis ſi ouum videat ſupra menſam
x ſemetipſo moueri, admiratione
obſtupefactus, non ſtatim credat
niraculo id fieri; cùm tamen effe-
tus naturalis ſit, propter incluſum
rgentum viuum? Admiranda
tiam res eſt, videre clauum fer-
eum in aëre ſuſpenſum; id quod
amen naturę vires non excedit, cùm
ccidat ob latentem vtrinque ma-

Magia Naturalis quid. Lege Pſellũ lib. de Dæmon. & Proclum lib. de Magia.

Exempla varia effectuum Naturalis Magiæ.

gnetem. Rurſus cùm nauis, aut remis acta, aut ventis agitata, nullo apparente impedimento, retardatur, nõne quis iure incidat in ſuſpicionem prodigij? Et tamen cauſa eſt piſciculus ille, quem Græci Echeneim, Latini Remoram appellant. Sexcentos addere poſſem huius generis effectus: ſed ad naturalem Magiam explicandam pluribus arbitror non eſſe opus. Magia artificioſa ea eſt, quæ hominis induſtria, Geometricis, Arithmeticis, aut Aſtronomicis principiis innixi, res magnas, ac penè incredibiles efficit. Ad hanc ſpectant Archimedis illa ſpecula, quibus in Syracuſarum obſidione hoſtium claſſem combuſſit: Archytę lignea columba volans: Leonis Imperatoris aureæ auiculæ cantitantes: Boëthij ſerpentes ęnei ſibilantes, & plura id genus alia. Huc etiam referri poſſunt admiranda illa, quæ à funambu-

Magia artificioſa quid. Lege Cic. 1. Tuſcul. & 2. de Nat. Deorum., & Plut. in Marcel.

lis,& circulatoribus variis, immania pondera fronte ferentibus, flammas vomẽtibus, liquefacto plumbo manus innoxiè lauantibus, aliaque huiuſmodi facientibus, celebrantur. Magia Dæmoniaca eſt ars, quæ Dæmonum adminiculo res mirabiles vel facit, vel facere videtur. Igitur corpus aliquod breuiſſimo tempore, vt exempli gratia, vnius horæ ſpatio Roma Patauium transferre; luſorias chartas, in alterius manu exiſtentes, ter, & quater immutare; corpus præſens videntium oculis ſubtrahere; carbones in aureos nũmos, & homines in lupos conuertere, vel aliâ quacunque formâ induere, & innumera huius generis alia, Magiæ Dæmoniacę partus omnino ſunt. Cùm enim tàm portentoſi effectus à materialibus cauſis prodire nequaquam poſſint, neceſſe eſt, eoſdem intellectuali alicuipiam, & incorporeæ

Magia Dæmoniaca quid.

cauſæ, cuiuſmodi ſunt Dæmones, adſcribere; idque ob maximum ius, & poteſtatẽ, quam in res corporeas ſpiritus obtinent. Magiam hanc in Theurgiã diſtinguunt, quæ fit bonorũ Dæmonũ inuocatione, & Goetiã, quæ malos excitat, & conſulit, & per eos reſponſa de rebus occultis, vel futuris reddit, vt Necromantia. Vtraque tamen ſpecies, vt Auguſtinus ait, fallacibus Dæmonum ritibus ſub Angelorum nominibus aſtringitur.

Magiæ Dæmoniacæ diuiſio in Theurgiã, & Goetiam. Aug. lib. 10. de ciuit. c. 9.

Naturalis Magię autor Deus fuit, qui eam primùm Adamo communicauit, à quo deinde quaſi per manus ad poſteros tranſiit. Caſu etiam contigit, vt herbarum, lapidum, & animalium quorumdam reconditæ vires ad multorum notitiam peruenirent, ſicque Magia ſenſim adoleſcens haud mediocre incrementum acceperit. Hanc Salomon Rex optimè tenuit, quamuis eo tempore, quo

Naturalis Magiæ Autor Deus. Mart. Delr. lib. 1 Mag. Diſquiſ. c. 7.

Magiæ naturalis peritiſſimus Salomon.

ſe idolorum cultui addixit, Dæmonicam etiam profeſſus fuerit, variiſque ſuperſtitionibus ſua ſcripta referſerit; ſi tamen omnia, quę ſub eius nomine circumferuntur, vera ſunt: tres Magi, qui ab Oriente longis itineribus, ſtellâ duce, Bethlehem ad Chriſtum venerandum acceſſerunt, dubium eſt, vtrum naturali tantùm, an etiam Dæmonica præditi fuerint. Vtraque putant nonnulli; & fortaſſe probabile eſt; dummodo tamen tanquam ratũ id habeatur, eos, poſt Chriſti venerationem, ab omni ſuperſtitione, cultuque Dæmonum alienos penitus extitiſſe. Excelluerunt in hac arte Appollonius Tyanæus, Cornelius Agrippa, Petrus Aponẽſis, Paracelſus, Rogerius Bachonus, Geber, Raimundus Lullus, Arnoldus Villanouanus, atque ex recentioribus Cardan⁹, Mizaldus, Ioannes Baptiſta à Porta, & alij: quorum tamen

Flauius Ioſeph. lib. 8. Antiq.

Magi Euãgelici quanam Magiæ ſpecie præditi fuerint. Theoph. in Math.

Naturalis Magiæ profeſſores præcipui.

aliqui aut mirabilium rerum, aut popularis aurę cupidi, in Dęmoniacas etiam ſuperſtitiones irrepſerunt, quemadmodum eorum ſcripta, aut igni tradenda, aut cautè legenda, apertiſſimè indicant. Magia artificioſa non vnum, ſed plures autores habuit, prout varij extiterunt, qui aut induſtriâ, aut agilitate, aut longa exercitatione, aut interdum etiam imposturâ, admirabile quippiam, aut verè, aut fallaciter ediderunt. Vtuntur artifices iſti naturalibus cauſis, quamuis agendi modus, & earum applicatio multis ignota ſit: ſed aliquando lucri auiditate, atque exiſtimationis ſpe, Dęmonum etiam opē implorant, mirum aliquid, prorſuſque inſolitum molituri. Rem autem omni conatu diſſimulant; vt ſola arte id fieri credamus, quod à Dæmone ſimpliciter effluxit: is enim aut organi, aut medii, aut rei obiectę im-

Magia artificioſa plures autores habuit.

Magia artificioſa interdum cum Dæmoniaca miſcetur.

mutatione,ſenſum illudere facilè poteſt,atque efficere,vt vna res alia omninò videatur. Superioribus annis, dum viueret Thomas Minadoris, Medicus, & Eques, vidi ego in eius domo circulatorem quendam, qui ſudariolum in conſpectu multorum diſcerpſit,atque in minutiſſimas partes concidit, illudque ſtatim ſummâ omnium admiratione redintegrauit. Narrat Delrius, Triſcalinum quendam in Gallia extitiſſe, qui coram Carolo IX. ex cuiuſdam nobilis, ab eo remoti torque,annellos ad ſe ſingillatim, cunctis ſpectantibus, pelliciebat, eoſque aduolantes, vt videbatur,manu recipiebat;& nihilominus torques mox integer, atque illęſus repertus fuit. Nulla eſt ars, nulla hominis induſtria, nulla naturę vis, quę id pręſtare potuerit, ac propterea Dæmonum poteſtati adſcribendum neceſſariò videtur, id quod ip-

Exempla varia Artificioſa Magiæ fucuum aperientia.

Delrius lib. 1. cap. 4. Bodinus li. 3. Dæmonom. cap. 3.

ſemet circulator tandem conuictus, ſponte confeſſus eſt. Inter Magię artificioſę opera paſſim etiam numeratur à nonnullis caput illud æneum, à Magno Alberto adeò affabre conſtructum, vt & articulatè loqueretur, & ad interrogantis libitum reſponderet. Sed, ſi hoc verum eſt, (fortaſſe enim aut non eiuſmodi caput fuit, aut alterius autoris) Dæmoniacæ potiùs, quàm artificioſæ Magiæ opus exiſtimo: cùm enim articulata locutio, atque ad interrogata reſponſio vitam, & ratiocinationẽ ponat, neutrum profectò à ſola arte perfici potuit. Propterea cenſeo cum Delrio, Dæmonem in eo capite, quẽadmodũ olim in idolorũ ſtatuis locutum fuiſſe, atque reſponſa dediſſe. Magiæ verò Dæmonicæ, quam ſolã vulgus propriè Magiã arbitratur, quicquid alij ſenſerint, primũ, ac pręcipuũ inuẽtorẽ puto ipsũmet Dæmonẽ exti-

Caput æneũ humanum, vt fertur, ab Alberto cõſtructum, an potuerit articulatè loqui.

Magiæ Dæmoniacæ primus inuentor Dæmon.

Lactant. lib. 2. de diu. inſtit.

Cyprian. lib. de Idol. vanit.

tiſſe. Is n. ſtatim ac à ſummo rerum omniũ conditore deſciuit, perpetuũ maieſtatis eius æmulatorem ſeſe prębuit: & propterea quemadmodũ ab autore naturæ illa Magiæ ſpecies orta eſt, quæ naturalis dicitur, & ab eius imitatore illa quę artificioſa vocatur, ita ab eiuſdẽ deſtructore alia profecta eſt, quæ Dæmoniaca nũcupatur. Quinque autem ſunt fõtes pręcipui, vnde illam inſtituendi occaſionem ſumpſit, videl. ſciendi libido, ſanitas, auaritia, amor, vel odium, & futurorum pręcognitio. Tria verò hominũ genera, quos ad artem capeſſendam idoneos eſſe cognouit, nimirũ ſimplices, & creduli, cuiuſmodi ſunt mulieres; impotẽtes, qui ab appetitibus ſuis vinci ſe facilè patiũtur; & perfidi, omnique vitiorum genere contaminati. His ſi perſuaſum fuerit, aliquam eſſe artem, quâ verborum quorumdam, & characterũ vi, rerũque nonnullarũ obſeruatione, ſciẽtiæ omnes

Quinque fontes Magiæ Dæmoniacæ, triaque hominũ genera, ad illam capeſſendam idoneorũ.

facilè comparantur; morbi ſæuiſſimi, & inſanabiles citiſſimè profligantur; abſconditi theſauri, reſque furto ſublatæ vnà cum furibus produntur; mares, & fæminæ ad amorem pelliciuntur, & inimici vel longè diſtantes variis tormentorum generibus, cauſâ prorſus incognitâ, cruciãtur; ac tandem quæ in toto vitæ curriculo cuique ventura ſunt, prçcognoſcuntur: probabile eſt, futurum eſſe neminem, qui non ad illam acquirendam, omni contentione, velis, remiſque ſit acceſſurus. Huius Magiæ quaſi ſemina quædam ab ipſo Mundi exordio Dæmon in terreſtri Paradiſo ſpargere cæpit: vt enim Adam primus fuit, quem Deus naturalem Magiam docuerit; ita Eua prima fuit, cum qua Lucifer Dæmoniacam communicauerit. Nouit callidus ſerpens innatum homini ſciendi deſiderium; propterea vetitum

Magiæ Dæmoniacæ ſemina ſprima.

fructum

fructum Euæ obtulit, ſcientiamque boni & mali pollicitus eſt, ſi ipſa, & vir eius ex illo eſitaſſent. Sed poſt Euam multos quoque Dæmõ ſtudioſos habuit: rudes enim, & ſimplices tunc homines nactus, ex facili nouarum, ac mirabilium rerum pollicitationibus, multos ad artem Magicam pellexit. Docuit ergo malos illos Gigantas ante diluuium, à quibus ferunt, Cham, Noë filium maximè imbutum fuiſſe; & ab eo deinceps Magicam artẽ ad Ægyptios, Chaldęos, Perſas, aliáſque gentes tranſiiſſe. Peſtifera hæc ſuperſtitionis lues quàm citiſſimè orbẽ inuaſit, altáſque adeò radices agere cæpit, vt Patres nõnulli opinati ſint ob hanc præcipuè cauſam diluuium à Deo excitatum fuiſſe. At verò impius, & ſacrilegus Chã, ſuperſtitioni totus addictus, ne artes, quas didicerat, funditus perirent, arcam vnà cum patre, & fratribus in-

Gigantes ante Diluuium in Magia Dæmoniaca à Dæmone inſtituti.

D. Clemens lib. 4. recognit.

Cham poſt Diluuium Magiam docuit.

greſſurus, quicquid animo conceperat in diuerſorum metallorum laminis, duriſſimíſque lapidibus inſculpſit, vt peracto diluuio, tantæ impietatis ſeminarium adhuc aliquod remaneret. Res illi ex voto ſucceſſit: cùm enim poſt diluuium inter ceteros filios genuiſſet Mizraim, heredẽ illum eſſe optauit tam execrandæ diſciplinæ: qui poſteà in Ægyptũ profectus, Dæmone ſuppetias ferente, adeò admiranda opera edidit, vt tanquam Deus ab illis gentibus coleretur. Hic tãdem, cùm multos non ſolùm Ægyptios, ſed Chaldæos, etiam Perſas, & alios, qui illuc diſcendi gratiâ confluxerant, in Magica arte inſtituiſſet, fulmine ictus periit, atque à ſuis diſcipulis *Zoroaſter*, quaſi viuens aſtrum appellatus eſt. Hic igitur eſt ille Zoroaſter, natione Chaldæus, qui ſecundùm Dæmonem primus in Ægypto Magicæ artis cenſetur

Zoroaſtres plures fuerunt. *Vide Patrit. in Zoroaſtr.*

inuentor, non ille Bactrianus qui cum Nino bellum geſſit, nec Pamphylius, nec Armenius, nec Perſomedus Aſtronomus: multi enim Zoroaſtres fuerunt, vt ſcriptorum veterum monumentis traditum eſt. Zoroaſtre extincto, malefica eius, & curioſa doctrina, ſatis quidem exculta, in regionibus illis, ſed præcipuè in Ægypto, atque in Perſide manſit, vbi in dies Magi excellentiſſimi floruere. Qui morbos curando, occulta enunciando, futura prędicendo, aliaque admiranda, & portentoſa opera edendo, tantam non ſolùm apud vulgares, verùm etiam apud cordatos homines, nominis celebritatem, atque autoritatem ſibi compararunt, vt nemo eſſet, qui, iis inconſultis, quicquam dicere, aut facere auderet. Hac tantâ celebritate

Magi in Aegypto, & Perſide multiplicati.

Græci ad [illegible] Magiam in Ægyptum nauigarunt. Lactantius.

famę cum eſſent iam abſentibus noti, Gręci potiſſimum ad id, quod nũquam viderant, nec audiuerant, exarſerunt, atque in iis Pythagoras, Democritus, Empedocles, Plato, aliiq; inſignes Philoſophi, tantarum rerum addiſcendarum ſtudio, magnis ſumptibus, longiſque itineribus illuc nauigarunt. Quid inde reportarint in Græciam, haud ſatis conſtat apud ſcriptores: hoc quidem certum eſt, multa de Dęmonibus à Platone, & pauca quędam de rebus occultis per ænigmata à Pythagora, & Empedocle tradita eſſe. Illud autem certiùs, eo ipſo tempore, quo Hippocrates in Græcia Medicinam, hoc eſt anno 300 poſt vrbem conditam, eodem Democritum artem Magicam docuiſſe, atque de ea volumina aliquot edidiſſe. Apollonius quoque Tyanæus, vt eandem artem addiſceret, orbem peragrauit, in qua adeò ex-

Demo[illegible] Magia [illegible] cap. 1.

Apollonius Tyanæus Magus inſignis.

ceſſuit, vt Magorum ſuæ tempeſtatis nemini ſecundus habitus ſit. Nec defuerunt alij, qui poſt ipſum variis in locis Magiam exercuerint, vt nullus ſit in orbe angulus, ad quem perniciosa hæc & deteſtabilis doctrina non penetrarit. Frequens eſt eius exercitatio in vtraque India, in Æthiopia, in regione Sinarum, in Inſulis Septentrionalibus, & aliis in locis, vbi præſertim religioſorum hominum copia deeſt: ibi enim Dæmones pleno iure vtuntur, & tanquam dij igne, thure, & precatione à ſimplicibus illis gentibus coluntur. Sed (proh dolor) etiam in Europam, vbi veræ, ac ſanctæ religionis metropolis eſt, iamdiu nefaria hæc peſtis irrepſit. Namque in Gallia, Anglia, Scotia, Belgio, Sarmatia, Dacia, Pannonia, Germania, quot Magi, quot venefici, quot Sagæ reperiuntur? Et quod maiorem admirationem aſ-

Magiæ vſus in toto terrarum orbe iam frequens.

fert, illud eſt, vel Hiſpaniam, & Italiam, vbi hęreticæ prauitatis Inquiſitores in reos ſæuiſſimè animaduertunt, iiſdem ſuperſtitionibus eſſe refertas. Nonnullos reperias, qui ad ſua explenda deſideria, perficiendaque ſcelera, ſe ſe totos Dæmonibus addicunt, hoſtiiſque in ſacrificium oblatis, eoſdem irritatos placare, ſibique propitios, ac beneuolos reddere conantur. Alios verò, qui Dæmonibus vel inuitis imperare, & diuinorum quorumdam nominum, & characterum vi, eoſdem adiuratos aduocare, & cogere profitentur. Quibus quidem modis totam illam Magiæ ſpeciem comprehendunt, quæ Goetia, ſiue nigra vocatur; cùm altera ſpecies, quæ Theurgia, ſeu alba dicitur, re vera nulla exſtet. Iactāt ſe iſti magnificè, atq. oſtentant, dum fictitios quoſdam de arte Magica libros præ ſe ferũt, quos temerè, & impudenter Adę, Abelis, Henoch, A-

Magorum duo genera. Vide Euſeb. lib. 5. de præp. Euāg. referente ep. Porph. ad Anebonum Aegyptium.

Magorum efficti libri ſub aliorum nomine diuulgati.

brahę, Pauli, Cypriani, Honorij, Magni Alberti, & aliorũ eſſe cõtendũt; quæq. in eis cõtinentur, cũ ab Angelo Raziele, Adami cuſtode tradita, tũ Tobię comitẽ Raphaelẽ manifeſta feciſſe. Execrandum præterea librũ exhibent, quẽ clauiculã appellãt, falſoq. Salomoni adſcribunt; cum à Dæmone potiùs, vel ab homine ſcelerato conſcriptus ſit. Ad hæc Abbatis Trithemij Steganographiã, Cornelij Agrippę libros de occulta Philoſophia, Petri Aponẽſis, & aliorũ de ſacrificiis, & incantationibus Dęmonũ volumina varia, luxuriãtibus ingeniis obtrudunt, quò faciliùs incautos homines, iã condocefactos, à vero Dei cultu auocent, atque in Dęmonis ditionem, ac poteſtatem redigant. Habes hactenus quid, & quotuplex Magia ſit. Nunc autẽ de eius cognitione, & vſu, vtrum ſcilicet hic per leges liceat, illa verò vtilis, vel neceſſa-

Magorum execranda volumina.

Magiæ cognitio vtilis, & interdum neceſſaria. Pererius lib. 1. de Magia. cap. 14.

ria ſit, aliquid eſt dicendum. Ad cognitionem quod attinet, neminem certè dubitare arbitror, quin maximè vtilis illa ſit, immò etiam interdum neceſſaria. An non naturalium rerum proprietates occultas intelligere, humani ingenij vim, & ſeparatarum mentium poteſtatem ſcrutari, ad ſolidam Philoſophiam comparandam maximè conducit? Quot temerè à Philoſophis quampluribus de admirandis quibuſdam operibus effutita, aut etiam apertè ficta ſunt, proximas, atque præcipuas cauſas ignorantibus? Hic, ignoratione Magiæ, quod ſimplex opus eſt Dæmonum, in naturæ arcanis quæritat, ſtellarumque traiectionibus tribuit: hic contrà quod à naturalibus cauſis omninò proficiſcitur, Dęmonum vi factum eſſe arbitratur. Vide igitur, quàm vtilis ſit Magię cognitio. Sed præterea, ſi vera miracula à fal-

ſis ſecernere velimus, perneceſſaria eſt: magni enim refert eius confinia præſcribere, vt intelligamus, quouſque tandem naturæ, artis, Dæmonũque facultas extendatur. Hinc Ioannes Picus dicere ſolebat, quò quis Magiæ peritior eſt, eò clariùs eum cernere, quantum inter Magorum, & Christi miracula interſit. Quod verò ad vſum attinet, res definiri abſque diſtinctione non poteſt: aliter enim de naturali, & artificioſa Magia, aliter de Dæmoniaca ſentiendum. Naturalis Magiæ vſus probatur, dummodo pura, & ſimplex illa ſit, nec ſuperſtitioni cuipiam admiſta. Naturales enim cauſas aptare, ſimulque coniungere, vt inde mirabilis aliquis effectus oriatur, nullum certè damnum adfert, nec qui fecerit vlli ſe peccato obligat: quinimmò excitat id mirum in modum hominis ingenium, ad Dei gloriam ma-

Io. Picus in concluſ. Magicis.

Magiæ naturalis vſus probatur, dummodo ſtatus ſit in naturalibus cauſis.

De Chymica arte quid ſentiēdum.

gnificandam. Chymici dum res agẽtes ad patientes applicant, mira procreant, quæ naturæ vires excedere videntur, cùm tamen naturalia ſint. Aurum etiam purum putum, vt fertur, interdũ effecerũt: quod caſu fortaſſe contigit, incidẽte in affectam, & præparatã materiã vi illa, & facultate cæleſti, à qua proximè auri forma proficiſcitur. Id quod multorum poſteà Chymicorum, præparatam potiùs materiam, quàm formæ largitorem, cognitu difficillimum, attendẽtium, ſpem, & opinionem fefellit, atque adeò opes imminuit, & ad nihilũ redegit. Quid de Medica arte dicendum, quæ pars eſt naturalis Magiæ? An non lapidum, herbarum, & animalium quorũdam viribus, multarumque rerum conſenſu, atque diſſenſione perſpecta, morbi innumeri vel curatu difficillimi interdum citiſſimè à Medicis perſonantur?

Medica ars in naturalis Magiæ partibus numeratur.

Effectus hi ſunt naturalis Magię, & illius quidem puræ, ac ſimplicis, quam nemo vnquam damnabit, nemo deteſtabitur. At verò cùm Magia hæc, hominum improbitate, Dęmonumque ſuaſione, ſuam illa probitate excidit, & ad aliquos effectus edendos, figuris, characteribus, & verbis, aut nihil, aut abſurda ſignificantibus, aliiſque ſuperſtitionibus vtitur; tunc ſpeciem mutat, & omninò ridicula, ac deteſtabilis euadit. Audies quandoque mulieres, & ſuperſtitioſos homines, docentes, hunc morbum ſanari, aut rem illam expetitam obtineri facilè poſſe, ſi, obſeruatis quibuſdam ſtellarum ſitibus, certo loco, tempore, ac perſona, certiſque rebus adhibitis, vt filo huius, vel illius coloris, capillis puellæ virginis, cranio hominis, ſuſpendio necati, cerâ ter cruce ſignatâ, & id gen⁹ aliis, opus efficietur.

Magia naturalis ſuperſtitioni coniuncta reprobatur.

Quis eſt tàm excors, qui non videat iſtiuſmodi res tàm diligenter obſeruatas, ad effectum producendum vim nullam omninò conferre, ſed illum aut à cauſis ſimpliciter naturalibus, aut à Dæmonum facultate proficiſci? Porrò mirabiles illos, & portentoſos Magorum effectus ab aſtris non exoriri, mihi ſatis perſuaſum eſt, qui aliâs oſtendi, nullum habere cæleſtia corpora in rebus ſingularibus ſpecialem defluxum: ſed ea tantummodo vim vniuerſalem ad mundi inferioris procreationem, & conſeruationem tribuere. Quo fit, vt ad opus aliquod perficiendum, certos dies, aut horas eligere, quibus planetæ aliqui maſculini, vel fæminini dominentur; aut obſeruatis quibuſdam ſtellarum conſtitutionibus, imagines inſculpere, veſtes incidere, potiones exhibere, vel alia huius generis efficere, vanum omninò ſit,

Magorum mirabiles effectus ab aſtris oriri non poſſunt. Lege epiſt. 2. lib. 4. huius.

impium, & à vera Philoſophia penitus alienum. Sed neque effectus illi efficacitatem ſumunt à certa aliqua, & conſtituta perſona. Sit enim, exempli gratia Petrus, qui, non ex artis pręceptis, ſed perſonæ vi, grauem aliquem morbum, & curatu difficilem ſanet; quæro, hæc efficiẽdi vis ſitne ipſius Petri animæ, an corporis propria? Non animæ opinor: quomodo enim ſpiritus in corpus diſtans agere, quomodo id, quod calidum eſt, refrigerare, aut quod frigidum calefacere poteſt? Ratione, qua ſpiritus, diceret Auicenna: rationali namque animæ, ſupra materiam eleuatæ, res omnes materia conſtantes, iuxta ſimplices, ac miſtę ad obedientiam natæ ſunt. Cur ergo id non præſtat cuiuſlibet hominis anima? Cur anima Petri tantum? Audire mihi videor, Medicos nonnullos dicẽtes, illam efficiendi vim ad Petri corpus

Magici effectus non habent efficacitatem à determinata perſona.

Auicennæ opinio.

Opinio erronea Fulginatis, Foroliuienſis, & Garbi de

vi tempera-mienti ad pondus.

pertinere, quatenus ſcilicet qualitatum omnium æquali proportione conſtat, eſtque, vt ipſi aiunt, temperatum ad pondus. Omnia enim corpora, huiuſmodi proportione prædita, inſitam aiunt habere vim miracula faciendi; atque hanc præcipuè ob cauſam Chriſtum ſeruatórem noſtrum tot miraculis celebrem extitiſſe. Impium ſanè dictum, & opinio ſceleroſa: non enim Chriſtus corporeæ habitudinis vi miracula fecit, ſed diuinitatis iure, cum qua fuit humanitas inſolubili nexu coniuncta. Sed hoc obiter. agamus de aliis, concedamuſque, quod apud grauiſſimos Philoſophos maximè dubium eſt, dari ſcilicet corpus, quod æqualem illam elementorum proportionem obtineat. Quonam obſecro doctus magiſtro affirmare quis audeat, corpus illud, ſic affectũ, eam habere vim, qua mortuos ſuſci-

Confutatio.

tare, cæcos illuminare, inſanabileſq. morbos curare naturaliter queat? Philoſophorũ eſt diuulgatiſſimũ effatũ omnem naturalẽ actionem cõtactu fieri, atq. à proportione maioris inæqualitatis; quomodo ergo tẽperatũ hoc corpus abſq. cõtactu, & qualitatũ exuperantia, tot mirabilia faciet, contraq. naturæ leges à priuatione ad habitũ regreſſum inducet? Deſcendit hîc in arenam Petrus Põponatius, mordicuſq. tuetur, vim illã mirabilia, &, ſi Deo placet, miracula efficiẽdi, neque animæ, neq. corporis, ſed totius cõcretæ rei, hoc eſt ipſius hominis propriam eſſe, qui eſt quodãmodo omnia, & mediũ quiddã inter æterna, & interitui obnoxia. Vt enim, inquit, lapides, plãtæ, & animalia, cæleſtium corporum afflatu, eam obtinuerunt vim, qua multos, varios, & interdum etiam portentoſos effectus parere poſſunt; ita homines varios ab eiſdem corporibus

Opinio Petri Pomponatii lib. de Incant. c. 4.

variis quoque priuilegiis donatos eſſe, vt mirandum non ſit, occulta vi, abditaque proprietate hunc futura prædicere, hunc peculiares quoſdam morbos ſanare, hunc venenoſis ſerpentum ictibus obſiſtere, alioſque plures ſuis atque ſingularibus facultatibus præditos eſſe, vt de Prophetis, de Gallorum Regibus, de Pſyllis, & Marſis manifeſtum eſt.

Confutatio. Sed longè à veritate Pomponatius aberrat, cumque magnus philoſophus haberi vult, Philoſophiæ ignarum, &, quod magis intereſt, maximè impium, & à Catholica fide alienum ſeſe præbet. Amabo te Pomponati, ſi homo non ſecus ac lapides, plantæ, & animalia, capax eſt cęleſtis defluxus; cur ingenita facultas ad aliquid efficiendum huius, & illius hominis propria eſt, & non potius toti ſpeciei communis? Rhabarbarum vim habet attrahendi bilem; non

non certè hoc, vel illud, ſed omne; quia facultas non indiuiduo, ſed ſpeciei conceſſa eſt: ſic Saphirus omnis Anthracem fugat, omnis Remora nauim ſiſtit. Cur non igitur omnes homines Prophetæ, aut Medici ſunt, ſi prophetiæ, & ſanationis donum à cæleſti facultate dependet? Homóne ab homine ſpecie diuerſus eſt? Dicet fortaſſe, homines quoſdam à ſtellis priuatim affici, non autem totam ſpeciem. Sed hoc, pręterquam quod allatam ſimilitudinē deſtruit, non eſt philoſophicè dictum, vt aliâs oſtendi. At multi extiterunt Prophetę. Cócedo, ſed Dei munere, non cęlorum vi. Gallorum etiam Reges ſtrumoſos ſanant, non proprietate perſonę, ſed priuilegio diuino. Quod Anglię quoque Regibus, D. Eduardi meritis olim conceſſum fuerat: ſed hoc priuilegio exciderunt, poſtquã ipſi à fide Catholica receſſerũt. Quod

Prophetia diuinum eſt munus, ſicut & priuilegium ſanandi ſtrumas Gallorum Regibus conceſſum.

De Marſis, & Pſyllis
Lege Plin. lib 7. cap. 2. Aul. Gel li. 16. cap. 11.

de Marſis, & Pſyllis ſcribitur, eis videlicet à natura datum, vt virulentorum ſerpentium domitores ſint, tanquam fabuloſum cenſetur à multis: quãquam ſunt qui affirment, eos nõ ingenita facultate, ſed veneficiis, herbarũq; ſuccis, & medicamentorum vi, miracula facere. Quid? Nõne omnibus etiam hominibus cõtra ſerpẽtes venenũ ineſt; cùm traditũ ſit, eos ſaliua iſtos, pręſertim humani oris ieiuni, vt feruentis aquæ contactu fugere; & ſi in fauces penetrauerit, etiam mori? Nullo igitur modo portentoſi Magorum effectus vim reſpiciunt certæ cuiuſdam perſonæ. Solent aliqui eoſdem fixę, & vehementi cogitationi tribuere, vt ſimplicibus, & ineruditis hominibus perſuadeant, id, quod Dæmonum auxilio factum eſt, à ſolius naturę viribus proficiſci. Dum igitur pluuias, ventos, tonitrua, fulmina excitant; dum

Opinio Cõciliato is differ. 1 ſ. de veh mẽtis cogitationis vi.

rem diſtantem loco mouent; dum aues cęlo detrahunt,aut piſces ad ſe alliciunt; dum abſenti ægroto ſanitatem reſtituunt, alioſque huius generis admirandos effectus pariunt; hęc omnia dicunt ſe facere naturali Magiâ; idque potiſſimùm vi cogitationis. Mulieres eſſe, & imperitos homines, qui id facilè credant, nihil habet admirationis: viros autem, alioqui doctos, & Philoſophiam profitentes, in hanc ſententiam deduci,non admirationem ſolùm,ſed ſtuporem maximum affert. Noui ego non paucos, qui ſe putant in ſummos Philoſophos euaſiſſe, ſi Dæmones eſſe negent, omneſque admirandos effectus naturæ viribus tribuant: Dæmones autem? immò Deum ipſum, ſi quid ſuprà naturã ſignificet. Nihilominus ratio, & rerũ magiſtra experiẽtia docet,cogitationẽ,quãtũuis fixã, & vehementem in alienum Confutatio

corpus, & à cogitante diſiunctum nullam omninò vim habere. Multas quidem affectiones in ipſiuſmet cogitantis corpus inducit, vt horrorem, triſtitiam, hilaritatem, venereos pruritus, inceſſum etiam, & agitationes varias, vt patet in iis, qui dormientes ſurgunt, & vigilantes imitantur. Agit etiam interdum in corpus vicinum, & cogitanti maximè annexum, vt in vterum gerentibus manifeſtum eſt, quarum vehemens cogitatio ſigna frequenter varia liberis inurit. At verò in corpus diſtans cogitatio, nec aliquid imprimere, nec vim ſuam immittere vllâ ratione poteſt. Ecquis enim eſt, qui ſolius cogitationis vi poſſit ſcamnum, trabem, vel columnam ad ſe allicere? parietem album, aut nigrum efficere? virentem herbam exſiccare? An non, ex Philoſophorum pręceptis, mouens debet eſſe ſimul cum re mota? Nōne actio

Cogitatio vehemens quid poſſit. Lege D. Th. lib. 3. contra Gent. c. 103. & epiſt. 13. lib. 4. huius.

oritur à qualitate vincente? Solue contactum, tolle qualitatem, quænam erit actio? Alij nituntur ſuperſtitiones ſuas naturæ pallio velare, dum aiunt, quæcumque aut aſpectus, aut verborum quorumdam prolationis, aut manuum impoſitionis vi in lucem eduntur, ea omnia à naturalibus cauſis manare, atq; adeò effectus eſſe naturalis Magiæ. Fraudes, atque deceptiones ſunt hę, Sandelli, quæ certè in ſapientem virum nunquam cadent. Poteſt quidem trux aſpectus terrorem incutere, poteſt interdum ab oculo veneficus aliquis vapor exire; aſpectus verò, quà aſpectus eſt, efficere nihil poteſt, cùm, pace Platonis dixerim, non radiorum emiſſione, ſed ſpecierum ſuſceptione viſio fiat. Prolata verba vim habent ſignificandi, efficiendi non item, niſi ex accidenti, quatenus ſcilicet ratione ſoni timorem, vel læ-

Aſpectus, contactus, aut verborũ vis in Magicis operationibus nihil efficere poteſt. Lege Diſput. noſtram de Numer. virt.

Plinius lib. 28.cap. 2.

titiam interdum inducunt. Eapropter ridiculum eſt, quod ſcribit Plinius, Attalum quendam affirmare, ſi quis, ſcorpione viſo, dicat, *Duo*, cohiberi illum, nec vibrare ictus. Haud abſimile eſt muliebre illud experimentum, dum, ad inquirendum horarum numerum, annulo ſupra cyathum filo ſuſpēſo, verſiculum illud Pſal. 50. *Ecce enim veritatem dilexiſti*, &c. diſtinctè, intētoque animo pronunciant. Leuiora ſunt hęc, quàm vt longâ excuſſione indigeant. Quod verò ad contactum attinet, ſeu manuum impoſitione, admitto quidē, ſcabioſum contactu alium afficere: vel ſi manus habuerit impensè frigidas, poſſe alterius calorem tangendo remittere: nego tamen, ſi quis manu alterum tangat, ſolius contactus vi morbum arceri. At Apoſtoli manuū impoſitione multos ſanarunt. Fateor id quidē, non vi tamen ac poteſtate

contactus, ſed id Deo remittente ac indulgente. Vndenam ergo admirabiles iſti effectus oriuntur, ſi cauſas non habent naturales? Reſpondeo, oriri à poteſtate Dæmonum, qui tacita pacta cum Magis inierunt. Ideoque ſuprà dixi, Naturalis Magiæ vſũ probari quidem, dum tamen ſimplex, & pura ſit, omniſque ſuperſtitionis penitus expers. De artificioſa idem quoque ſentiendum arbitror, niſi tamẽ illa quoque hominis induſtriã, aut artificiũ mentiatur: id quod circulatores, auiditate lucri, & alij etiã quo nomen atque exiſtimationẽ captent, rebus quibuſdã adhibitis, nihil ad rẽ pertinẽtibus, facere ſolent. Videas ſæpè hui⁹ generis homines ſigillis vtẽtes, in quib⁹ imagines quędam impreſſæ ſũt, quas Angelorum, Regum, vt Raphaëlis, Salomonis, vel aliorum eſſe dictitant. Videas rurſum eorum manus annulis ornatas,

Magia artificioſa probatur, niſi tamen artificium mẽtiatur.

quibus Cruces, & characteres varij inſculpti ſunt, Arabici, Hebraici, Chaldaici, & multi etiam temerè ficti: videns nonnullos ſigna cæleſtia, & erraticas ſtellas exhibentes. Hos dicunt ingenij aciem mirum in modum exacuere, manibus agilitatem præſtare, rebus artificiosè perficiendis maximè conducere. Sed profecto falſi ſunt, cũ hęc omnia nil aliud ſint, quàm Dæmonum ſigna, tacitæque eorundem cum impiis hominibus pactiones. Memini me docuiſſe, vt in numeris, ità in ſignis, characteribus, atque figuris nullam ineſſe poſſe efficiendi vim, itaque ne videar actum agere, verbum non amplius addam. Et miror ſanè, Cardinalem Caietanum, virum alioqui doctiſſimum, ſententiam hanc de imaginum efficacitate tanquam probabilem admiſiſſe: vt Pomponatium, alioſque huius claſſis Philoſophos,

Magorum mendacia, & impoſturæ. Lege quæ ſcripſimus de imaginibus lib. 4. huius. epiſt. 4.

Caiet 2. 2. q. 96. art. 2. tuetur opin. de imag. vi.

reiectos atque damnatos, omittam, qui eiuſdem ſententiæ patrocinium ſuſceperunt. Rogabit aliquis, liceat ne verbis, ſignis, & characteribus vti, ſaltem ad morbos pellendos? Experientiâ enim compertum eſt, quibuſdam prolatis verbis, aut recitatis carminibus, aut deſcriptis figuris, varia morborũ genera profligari. Fertur Q. Serenus hac ſola voce *Abracadabra*, certo modo ſcripta, & charta lino incluſa, colloque ſuſpenſa, hemitriteum ſanaſſe. Aetium ferunt, verbis quibuſdam, oſſa, & feſtucas gutturi infixas eduxiſſe. Nyſſem ſanguinis profluuium vulneratæ fœminæ carmine inhibuiſſe. Galenum in percuſſis ab Scorpione incantationum vim expertum eſſe, atque adeò, vt autor eſt Tralianus, libellum de incantationibus edidiſſe. Quid multa? Nonne quotidie videmus eryſipelata, iſchiadas, luxatio-

Q. Serenus lib. de remediis.
Agrippa li. 3. de occul. Phil. c. 16.
Aetius li. 8. cap. 50.
Plin. lib. 28. cap. 2.
Galeno adſcriptus lib. de Incantationibus.
Tralianus lib. 9. cap. 4.

nes, alioſque huius generis morbos vel ab ipſis fœminis, quibuſdam ſignis, certiſque inſuſurratis verbis curari? Haud exigui certè momenti eſt quæſtio hæc, ac propterea penſitatione aliqua indiget. Curabo igitur primùm, vt de incantationum vi nonnullorum Philoſophorum ſententias quaſi per tranſennam cognoſcas, mox rei quęſitę ſatisfaciam. Illud in primis tanquam ratum habendum eſt, morbos, cuiuſcumque generis illi ſint, neque verborum, neque ſignorum, neque characterum vi leniri, aut eximi poſſe: quoniam, vt paulò ante monui, in his ipſis nulla phyſica facultas reperitur. Quomodo ergo, dices, tot morbi, alioquin ſæui, ac contumaces incantationibus ſanantur? Pomponatius putabat, id fieri, non incantationis, ſed incantatoris vi, idque occultâ quadã indiuidui proprietate. Auicẽ-

De Incantationũ vi opiniones variæ.

Pomponatius.

Auicenna.

na id tribuit animę imperio, quod in res concretas, corporeaſque obtinet. Petrus Aponenſis vehementi cogitationi, à qua vapor & ſpiritus excitatur, qui modo quodam inſenſibili ad partem peruenit ægrotantem. Galenus maximę fidei ipſiuſmet ægrotantis: vt enim timor, & deſperatio morbos augent, ita cõfidentia, & alacritas eoſdem ſubleuãt. Hinc dicere cõſueuerat, eum plures ſanare, cui plures confidunt. Docent alij, morbos re verâ medicamentis abiici; videri autem incantationibus tolli, quoniam eo ipſo tempore, quo Magi, ſeu impoſtores iſti accerſuntur, iamdiu ſumptis medicamentis cedere parati ſunt, ipſis etiam Magis non accedentibus, abituri. Nec deſunt, qui fateantur, ægrotantes, iam à Medicis derelictos, ac penè deſperatione confectos, à Dæmonibus ipſis, modo aliquo nobis

Petrus Aponenſis.

Galenus 1. Progn. cap. 2.

Tho. Giaxinius lib. de Dæmo[illegible] cap. 5.

prorſus incognito, in priſtinam ſanitatem vindicari. Qualeſcumque ſint huiuſmodi opiniones, quarum nonnullas iam ſuprà reieci, dummodo tàm ab agente, quàm à patiente omnis ſuperſtitionis ſuſpicio procul abſit, reſque à Medico quaſi per iocum agatur; dummodo non verborum, aut characterum facultate, nec Dæmonum auxilio, ſed conſtantis fidei, & vehementis cogitationis vi, ſanitas ſperetur; puto, interdum licere verbis, carminibus, ſignis, characteribus, aliiſque huius generis Magorum, aut veriùs mulierum remediis vti. Experientiâ enim compertum eſt, multos, doloribus variis excruciatos, remedia hæc naturalia credẽtes, ad illa confugiſſe, ſolaque fide, & cogitatione, corpus afficiente, atque naturã roborante, morbos depuliſſe. Si autem euidens ſit ſuperſtitionis periculum, non ratione ſolùm ægro-

Cautio adhibenda in verborum, & characterum vſu ad morbos tollendos.

ti, verùm etiam aſtantium, ſatius eſſe arbitror ab huiuſmodi remediis abſtinere: Dęmones enim vt plurimũ ſuperſtitiones fouent, morbos leniẽdo, vel cohibendo, ſed paulò poſt maiore cum ægrotantis moleſtia rediturος. Porrò vt nihil prorſus valẽt eiuſcemodi remedia quà talia ſunt, ad morbos tollẽdos; ita nec vllã vim habent amuleta, periapta, phylacteria, aliaque huius generis præſidia, ad eoſdem inhibendos, aut quoduis malum arcendum, atque pellendum. Inuenta Dæmonum hęc ſunt, ad pios, religioſoſque homines, à veri Dei cultu, & Sanctorum veneratione penitus auertendos. Multi deuotè rei cuipiam impreſſum, vel inſcriptum nomen IESV, Euãgelium S. Ioannis, orationem aliquam, vel etiam Sanctorum reliquias de collo ſuſpendunt, ea fide, vt hæc ipſa malorum auerruncatoria ſint. Non fal-

Amuleta, Periapta, & Philacteria quid valeãt ad morbos inhibendos. Lege Nicolaum Remigium, li. 3. Dæmonolatr. cap. 3.

luntur opinione;defenduntur enim; non tamẽ nominum, ſcripturarum, aut reliquiarum vi, ſed Omnipotentis Dei nutu,eorum fidem,pietatem, ac deuotionem reſpicientis. Ignotos characteres, dæmonumque nomina ſub Angelorum ſpecie, in charta, vel alia quauis materia inſculpta, geſtant alij, ſéque ſatis putant, eorum vi, atque efficacitate munitos. Iuuantur interdum, non diffiteor, ſed non citra fraudem,ac impoſturam: non enim nominum, & characterum vis eos tuetur ac munit, ſed aut materiæ qualitas,ratione ſympathiæ, vel antipathiæ, aut ipſorum dæmonum efficientia, qui ſenſim hiſce blandimentis fatuas mulieres, ſceleſtoſque homines ad ſuam fidem pelliciunt, atque in dies corroborant, vt eos tandem iam bene firmatos altiùs præcipitent. Inſtabis fortaſsè,ſi nominum & characterum vis ſerpentes natura

Dæmonum fraus in nominibus deſcribendis.

liter attingit, vt de aſpide ſurda cecinit Regius Vates; *Sicut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, quæ non exaudit vocem incantantis.* Cur non item in rebus aliis effectum aliquem pariet? Vt multa prętermittam, quę pro huius loci explicatione afferri poſſent; puto cum doctiſſimo Valeſio, verſiculum illum moralis fabulæ, ſeu apologi, aut parabolæ interpretationem continere, nimirum intemperantes homines ſimiles eſſe ſerpentibus, qui obturant aures ſuas, ne incantatoris, ſapienter incantantis, hoc eſt concionatoris veram ſapientiam docentis, vocem audiant. Alibi etiã Diuina Scriptura non ſolùm belluas, vt Æſopus, verùm etiam plantas loquentes inducit: nemo tamen ſacrarum literarum teſtimonio affirmare audebit, plantas re vera loqui. An non fabula quoque eſt, ab Æſopo conficta, Caſtorem, vbi videt ſe à

Diuina Scriptura frequenter Parabolis vtitur, exẽplum habemus Iud. c. 9

Æſopi moralis fabula de Caſtore.

venatoribus captum iri, ſibi genitalia præcidere, atque in ſequẽtes proiicere? Et tamen ſi Philoſophus aliquis diceret, hominem, qui in naufragij periculo veſtes, omnemque ſupellectilem mittit in mare, ſimilem eſſe Caſtori, ſibi genitalia præcidenti, non eſſet reprehendendus: quoniam conſilium eius tantummodo eſſet, hominis prudentiam per moralem fabulam ſignificare. Ita igitur & Regium Vatem feciſſe cenſendum eſt, tantum abeſt, vt iis verbis incantationes approbauerit. Hactenus de vſu artificioſæ Magiæ. Quod verò attinet ad vſum Dæmoniacæ, exploratum tibi eſſe arbitror, eum legibus omnibus, Diuinis, Eccleſiaſticis, atque ciuilibus interdictum eſſe. Ecquis enim tantum facinus ferat, vt Dæmon tanquam diuinum numen colatur, vota illi, & ſacrificia fiant, ab eodemque, quaſi Deus

Magiæ Dæmoniacæ vſus omnibus legibus interdictus.

Deus aut non ſit, aut nihil poſſit, beneficia petantur? Scio, Platonicos ſuã illam albam Magiam introducere, quæ ſit bonorum dæmonum inuocatio, in regione aëris habitantium: alios Theurgiam, quaſi cum angelis, defunctorumque animabus conſuetudinem quandam, & familiaritatẽ. Vt enim Medicis licitum eſt, herbarum, aliarumque naturalium rerum facultates ad morbos extirpandos adhibere; ita Magis licitum eſſe cenſent, in rebus difficilibus, quęque humanâ induſtriâ perfici nequeunt, ſeparatarum mentium viribus vti. Hinc olim Salmanticæ, non Theurgiæ ſolùm, verùm etiam Goetiæ publicas ſcholas fuiſſe legimus: vbi ſenſim auditores Dæmonibus inſinuabantur, atque variis cum eiſdem colloquiis, in eorum nominibus, & characteribus cognoſcendis, multiſque prodigiis, eorumdem opera efficien-

Magiæ Dęmoniacæ vſus defenditur à Platonicis.

Magia olim Salmanticæ docebatur. Laur Anã. lib. 3. de nat. Dæmon.

dis exercebantur. Verũ ſummo opere cauendum eſt, ne percallidi, ac veteratores iſti nos cuniculis oppugnent, ſuiſque fucis atque fallaciis circumueniant. Omnes enim dęmones, quos magi ſuis veneficiis inuocant, alliciunt, alloquuntur, ex eorũ numero ſunt, qui Cælo exterminati, huc in exilium pulſi ſunt, non item ex eorum, qui Dei Maximi aſpectu continuo fruuntur. Cuius quidem rei aptiſſimum argumentum illud eſt, quòd curioſis hominibus multa plerunque ementiantur, & tanquam inuidi, Dei honorem, & gloriam æmulentur; cùm ſibi hoſtias mactari, & illam, quæ ſoli Deo debetur, reuerentiam exhiberi iubeant. Angeli verò boni in priuatis hominibus cuſtodiendis in Principibus, Pontificibuſque gubernandis, aliiſque rebus adminiſtrandis, Dei mandata exequuntur; prophanis autem &

Dæmones omnes quibus Magi familiariter vtũtur, mali ſunt.

Angelorum bonorum munera.

ſcleroſis Magorum operibus non aſſiſtunt. Quis obſecro non diceret, in Arte Notoria, vbi, ad omnes diſciplinas citò adipiſcendas, preces, ieiunia, ſacrificia, & id genus alia piè, ac deuotè instituuntur, bonorum Angelorum auxilium implorari; cùm tamen inter doctos viros, atque catholicos planè conſtet, ceremoniis illis, ſuperſtitioſiſque obſeruationibus, malorum tantùm Dæmonum ſuffragia peti; omniumque maximum, atq; grauiſſimum Idololatriæ peccatum committi? Ita omninò in Magicis operationibus dicendum eſt; cùm, vt ante animaduerti, nulla ſit alba Magia, nulla Theurgia, ſed omnis Goetia, ab ipſius mundi exordio vſque ad hæc tempora tanquam inteſtabilis reprobata. Audi Deum ipſum in Leuitico ita loquentem.

Artis Notoriæ vanitas, Dæmonumque impoſtura.

Leuitici 19. & 20.

Non declinetis ad Magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos. Et rurſus: *Vir, ſiue mulier, in quibus Pythonicus, vel diuinationis fuerit ſpiritus, morte moriatur, lapidibus obruent eos, ſanguis eorum ſit ſuper illos.*
2. Paralip. cap. 33. Et lib. 2. Paralipomenon inter alia ſcelera Regis Manaſſis hæc connumerantur. *Obſeruabat ſomnia, ſciſcitabatur auguria, habebat ſecum maleficos, & incantatores, multaque mala operatus eſt coram Domino, vt irritaret eum.*
Actuum 19. In Actibus etiam Apoſtolicis legimus, multos ex his, qui fuerant curioſa ſectati, contuliſſe libros, & coram omnibus combuſſiſſe: eos autem quinquaginta denariorum millibus æſtimatos fuiſſe.
26. q. 5. cap. Epiſcopi. Sacri Canones honore priuant Epiſcopos, vel Preſbyteros, qui Magos conſuluerint: anathematéque feriunt incantatores omnes, & incantationibus deſeruientes.
C. de Malef. & Mathem. Leges quoque ciuiles gra-

iſſima ſupplicia decernunt in eos, qui Dæmones inuocant, vel cereas imagines incantant, vel diuinatores aduocant. Ad ſummam, niſi lex aliqua Dæmonica ſit, quæ iſtiuſmodi Magos tueatur; perſpicuum iam eſt, eos omni iure impios, conſceleratos, nefarios, atque infames haberi. Diuitias nunc aliis, honores, dignitates, & Principum beneuolentiam polliceantur, cùm ipſi perpetuò pauperes, contempti, & ignominioſi ſint, à cælo, ab Eccleſia, ab hominum ciuilium conſuetudine, atque familiaritate depulſi. Quęret hîc aliquis, ſit ne tanta Magorum poteſtas, vt Dæmonum miniſterio dignitates, & diuitias in aliquem conferre, totque admiranda, quæ paſſim de illis legũtur, efficere poſſint? Cùm de Magorum, aut veriùs Dæmonum poteſtate quæritur, cautè reſpondendum eſt, illudque præcipuè attẽdendum,

Dæmonum vis, atque poteſtas deſcribitur.

vt Ne quid nimis. Mira quidem innata vi dæmones efficere poſſunt, miracula non item, cùm id ſolius Dei proprium ſit. Ad eorum autem agendi vim & efficacitatem faciliùs explicandam, expediet nobis quatuor rerum genera ob oculos ſtatuere. Quædam enim ſunt, quæ dæmones efficere nullo modo poſsũt, propterea quod eorum efficiendi vis tãta non eſt, quanta ad tales effectus edendos exigitur. Quædam facere nequeunt, nõ quidem facultatis imbecillitate, ſed quia totius Naturæ ordo illis obnititur. Quædam abſolutè faciunt. Quædam verò fortaſsè facerent, niſi Deus iuſtis de cauſis eorum actionem impediret. Non igitur creare, nec momento temporis agere, nec vbique eſſe, nec plura corpora in eodem loco, aut idem in pluribus locis conſtituere,

Notabilis diſtinctio ad Dæmonum poteſtatem aperiendam.

Quænam ſint illa, quæ Dæmones facere nequeunt facultatis imbecillitate.

nec vnam perfectam ſpeciem in aliam conuertere, nec animam à corpore ſeiungere, eandemque ipſi reſtituere, nec ſexum immutare, nec quod ſuapte naturâ obtutui patet, hac ipsâ proprietate ſpoliare, vel, quod aiunt, inuiſibile reddere poſſunt: quia hæc omnia infinitam agendi poteſtatem expoſcunt. Sed nonne frequenter legimus, conſueuiſſe Magos, dæmonum operâ, homines in lupos, & mulieres in feles, aliáque animalia conuertere? Nonne ſatis tritę ſunt metamorphoſes illæ de ſociis Vlyſſis, in varias beſtias à Circe mutatis, de ſociis Diomedis in aues conuerſis, de Arcadibus, de ſtabulariis? Nonne Samuelem Prophetam Pythoniſſa ad colloquium Saulis, maximè impij Regis, ſuſcitauit? Quotnã viri, Magorũ artibus, ex fœminis facti ſunt?

Obiectiones variæ Dæmonum poteſtatem roborantes.

Quidnam eſt Magis vſitatius, quàm quæ videntur oculis ſubtrahere ?

Solutiones.

Multum intereſt, Sandelli, vtrum hæc re vera à Dęmone fiant, an per illuſionem. Non puto, te tàm facilè credere, cùm mulierem in felem cõuertit, qui aut per feneſtræ foramen egreditur, aut per caminum aſcendit, eam verè abiiſſe, propriamque rationem, & ſpeciem amiſiſſe. Non enim humana anima belluæ corpus perficere, nec vllius vnctionis, aut Dæmonis vi, magnum mulieris corpus tàm citò diſſipari, aut contrahi, atque in felis corpuſculum mutari poteſt. Quid igitur? Deluſoria conuerſio eſt: namque Dæmon aut interiores mulieris ſenſus ita afficit, vt, peractâ vnctione, felem ſe eſſe exiſtimet: aut aſtantium, ſi qui ſunt, oculos prçſtringit, ac decipit, vt felem videre ſe putent: aut ex denſato aëre felis corpus ſtatim effingit, atque in

Lycanthropia omnis deluſoria eſt, Aug. li. 18. de Ciu. cap. 10.

locum ſubtractæ, & occultatæ mulieris ſufficit. Eadem facit, cùm homines in lupos, aliaſque feras conuertit; quamquam interdum aëria belluarum effigie illos circundat, & obtegit; turbataque intus atra bili, eos in furorem agit, & ferarum affectiones in ipſos inducit, vt greges, & homines odio habeant, proſequantur, &, ſi fieri poſſit, inuadant, lacerent, vorent. Quæ de Vlyſſis, Diomediſque ſociis, atque Arcadibus, & ſtabulariis ſcribuntur, ſi tamen ea vera ſunt, hoc eodem modo contigiſſe cenſendum eſt, vt lycanthropia omnis tanquam inane quiddam, & cõmentitiũ penitus explodatur. Quod de Samuele à Pythoniſſa ſuſcitato, legimus, communis eſt Patrum reſponſio, aut laruatum, ſubdititiumue Dæmonem pro Samuele comparuiſſe, aut veram Samuelis animam, non Magici quidem carminis vi, ſed

De Samuele à Pythoniſſa ſuſcitato, Lege Tertul. lib. de anima. cap. 57. Cyril. lib. de adorat. Spirit. Aug. lib. de cura pro mortuis. cap. 15.

Dei iuſſu, acceſſiſſe, vt Regem Saulem corriperet, metuque denunciatæ mortis, ad pœnitentiam prouocaret. Hinc patet Bodini error, qui non ſolùm cum Pomponatio in veræ Lycanthropiæ ſententiam ius, ſed præterea arbitratus eſt, rationalem animam, vi Dæmonis, ab humano corpore ſeiungi, eidemque reſtitui poſſe: quod tamen eſſe opus ſolius Dei, omnes Theologi profitentur. Quod ad ſexus mutationem attinet, facilè crediderim, id à Dæmone fieri poſſe, quod ſolis etiam naturæ viribus haud ſemel legimus factum eſſe: fœminam videlicet adaucto intus calore, partibuſque virilibus, quæ priùs latebant, erumpentibus, in marem conuerſam eſſe. Multa apud Plinium, & alios huius mutationis exẽpla reperiuntur: propterea probabile eſt, id ipſum etiam Dæmonem,

Bodini, & Pomponij error. Vide Remig. lib. 2. Dæmonolatriæ cap. 1.

Dæmones poſſunt fœminas in mares mutare, non tamen contra Plin. lib. 7. cap. 4. Gel. lib. 9. cap. 4 Delrius lib. 2. Mag. diſq q. 22.

tanquam operis participem, adiutorem, & ſocium aliquando feciſſe. Maris verò in fœminam mutationem, vt nunquam legimus naturam tentaſſe, quæ ſemper ab imperfecto ad perfectũ progreditur, nec vllis artibus Neronem, & Heliogabalum, Magiæ maximè deditos obtinuiſſe; ita nec Dæmones arbitror, niſi per illuſionẽ facere poſſe. Quod de Tyreſia ſcribitur, fabuloſum eſt. Et ſi in aliquibus animalibus, vt in Lepore, & Hyæna hæc viciſſitudo reperitur, hoc ideò contingit, quod vtriuſque ſexus participes ſint, & interdum occultato vno, manifeſtetur alter. Sed & illuſio æſtimanda eſt cùm Magi rem corpoream, corpore, & quantitate præditam, oculis ſubtrahunt: non enim re vera hiſce accidentibus eam priuant, nec faciunt, quin aſpectabilis illa ſit; ſed tam exteriores, quàm

Dæmones non poſſunt facere rem inuiſibilem.

interiores ſenſus illudunt, ipſamque viſionem inhibent, vel, vt Scholaſtici loquuntur, inuiſam ipſam faciunt, inuiſibilem nequaquam. Hæc igitur, & ſimilia ſunt, quæ DÆMONES, vi & poteſtate defecti, facere neutiquam poſſunt. Cæterùm, ne quædam faciant, tametſi ſatis virium habeant, & facultatis, Naturæ legibus cautum eſt. Non enim ſiderum curſum cohibere, Lunam cælo detrahere, orbium cæleſtium ordinem peruertere, integrum elementum loco mouere, connexionem partium Vniuerſi tollere, inane ſpacium inducere, aut alia huiuſmodi facere queũt. In iis autem rebus, vbi natura Vniuerſi nullum patitur detrimentum, quas volunt cumque actiones liberè edunt. Poſſunt namque terram quatere, ventos ciere, tempeſtates excitare, fulmina iacere, tenebras inducere, aërem contagione inficere,

Dæmones multa facere nequeunt, potius naturæ obnixu.

Dæmones quænam liberè facere poſſint.

fontes ſiccare, fluuios ſiſtere, aquam dirimere, greges & armenta interficere, meſſes aliò traducere, erucarum, murium, locuſtarum, aliarúmve beſtiolarum congregatâ multitudine fructus perdere, ſterilitatem inducere, domos incendere, conuiuia vel phantaſtica, vel ex veris cibis, ſed praui guſtus, & ex morticinis sũptis exhibere, animalia incantare, miſta aliqua imperfecta, & viuentia de inſectorum genere procreare, homines de loco ad locum breui temporis ſpatio transferre, ſomnum & ſtuporem inducere, ſuccumbere, & incumbere, & alia plura, quorũ plena ſunt volumina varia, in quibus de Sagis, & incantationibus diſſeritur. Sacræ etiã literæ docent quàm multa & admiranda Iannes & Mambres Magi Pharaonis, & Simon Magus celeberrimus dæmonum opera prę-ſtiterint. Quod autem omnium ca-

put eſt, niſi Deus permittat, non poſſunt alienæ famæ nocere, Principum claſſes aut exercitus deſtruere, amaſium vel amaſiam deferre, iudices, aliosque iuſtitiæ miniſtros offendere, abſconditos theſauros indicare, ereptis pecuniis, aut quoquo modo aliquem locupletare, honoribus & dignitatibus augere, ſcientias infundere, nec alia efficere, quæ veram honeſti, vtilis, aut delectabilis ſpeciem præ ſe ferant. Domini eſt terra, & plenitudo eius: ab eo igitur ſanitas, ſcientiæ, honores, dignitates, diuitiæ petendæ ſunt, qui hæc omnia verè largiri poteſt, non autem à Dęmone, qui mendax, & ſubdolus, &, ſi Deus velit, imbecillis, ac impotens eſt. At horum aliquid non rarò fecit. Non inficior, ſed aut Dei permiſſu, ſi verè fecit, aut certè per illuſionem. Quotiens amaſij vice ſuſpendioſum detulit, & loco pecuniarum carbones,

& ſtercus? Nemo Magorum factus eſt vnquam diues, nemo ſapiens: ſi celebriores memoria repetas, omnes tandem vana illa exiſtimatione contenti, iuſto Dei iudicio, aut à Dæmone præcipitati, aut à ſemetipſis interempti, aut à canibus dilacerati, aut gladio confoſſi, aut aquâ, vel igne conſumpti, periere. Hic eſt Magorum finis. Hi fructus, quos Dæmonum ſocietas parit, dum ſe cogi, certiſque rebus ligari, aut locis includi ſimulant; cùm tamen veneficorum cupiditatibus nimis libenter obtemperent. Hæc tandem Magiæ vtilitas, de qua ad virum eruditum, atque omni doctrinâ excultum, me iam ſatis arbitror perſcripſiſſe. Vale. Ex Mandriola, Patauino Suburbio. Kal. Quintilis. M DC XIX.

Magorum miſerabilis finis.

Bodinus li. 3. Dæmono. c. 3. in extremo.

Simoni Dedecher, Belgę Antuerpienſi.

Epistola VII.

De Necromantia.

NEQVE ego Necromantiā profiteor, Simon humaniſſime, neque vllis vnquam Necromantarum operationibus adfui, vt veráne, an falſa ſint quæ pollicetur hęc ars, certò tibi, & tanquam expertus renunciare poſſim. Si quid autem apud te Diuinæ Scripturæ, SS. Patrum, doctiſſimorumque hominum autoritas valet (ſcio autem valere plurimũ, cùm te ſemper pium, atque Catholicum agnouerim) audacter affirmo, nullâ naturę vi, nec hominis, aut dæmonis induſtria, animas ab inferis, aut ex alio quouis loco excitari poſſe,

Necromātia tanquam vana & deteſtabilis ars ab Apoſtolica Sede cōdemnata.

ſe, atque adeò Necromantiam inanem eſſe artem ſuperſtitionibus plenam, gentilitatem olentem, & ab Apoſtolica Sede iure optimo condẽnatam. Non me fugit, Necromantæ nomen, vt aliis multis, ita fortaſsè tibi magnum quiddam, & admirandum primâ fronte videri, quaſi virũ aliquem repræſentet, qui omnia ſciat, omnia intelligat, omnia poſſit; hincque paſſim multos huius artis addiſcendæ ingenti cupiditate flagrare. Vbi tamen ex grauiſſimorum autorum monumentis eius originẽ, leuitatem, turpitudinem, & impietatem oſtendero; confido fore, vt ſi qua in te eſt Necromantiæ ſitis, illa ſenſim reſtinguatur, adeò vt artem hanc non ampliùs appetas, quin potiùs tanquam mendacem, & deteſtabilem contemnas, reſpuas, horreas. Rudis & imperita gentilitas, vt rem à fonte repetam, in deorum multitu-

Necromantæ nomen multis admirandum.

Gentilitas in Deorum multitudinem, & varietatẽ propenſa.

dinem, ac varietatem adeò procliuis fuit, vt nullum ſit bonum, ſiue honeſtum, ſiue vtile, ſiue iucundum, cui diſpenſatorem aliquem Deum non præfecerit, quemque votis, ſacrificiis, & precibus venerata non fuerit. Neque verò ſat illi fuit, Deos ſuperos conſtituiſſe, à quibus ſalutem, dignitates, opes, lætitiam, aliáque beneficia petere conſueuerat, ſed& inferos effinxit, quos item muneribus, & obſecrationibus propitios ſibi, atque beneuolos reddere nitebatur. In horum numero ij ſunt, quos veteres Manes appellabant, demiſſa quædam numina ad malum potiùs quàm ad bonum expedita: quæ tamen, ne nocerent, ſacrificiis placabant. Cùm interdum ob patris, matris, vxoris, liberorum, aut amicorum mortem affligerentur, iucūdâ eorum conſuetudine deſtituti, tantámque abſentiam ęgrè ferentes,

Dij Manes apud Inferos.

Necromātiæ origo.

iuxta ſepulchra, vel in antris, ſupplicibus verbis Deos iſtos orabant, vt tantiſper defunctorum animas ab inferis exire permitterent, dum cum eis loquerentur. Voti compotes ſæpe fiebant: abſolutis enim precationibus apparebant quædam vmbræ, quas ipſi defunctorum animas eſſe putabant, eas alloquebantur, reſponſa ferebant, moxque hi domum, illi ad tartara reuertebantur. Diuulgata iam hæc de Diis Manibus opinio poſteris tanquam per manus tradita, & multorum etiam Philoſophorum animis infixa penitus eſt: hoc ſolo diſcrimine, quòd Manium nomine ipſaſmet animas à corporibus ſeparatas intelligebant. Etenim Platonici, hominum animas, cùm corpore abſcedunt, Dæmones euadere, atque ex iis lares, & lemures, ſeu laruas fieri cenſuerunt: lares ſi benè, lemures, ſi malè meruerint. Ab his domos

Platonicorum de Diis Manibus opinio.

Porph. lib. de abſtin. animal. Apul. de G en. Socr

Lares, & lemures, ſiue laruæ. Aug. 9. de Ciu. cap. 11.

ſpectris, & incurſionibus variis infeſtari, ab illis verò tanquam amicis, & familiaribus viſitari crediderũt. Nec defuerunt, qui Manes eos ipſos eſſe

Genij Manes crediti ab Antiquis

putauerint, quos vetuſtas Genios appellauit, duóſque Manes hominum corporibus ab ipſa conceptione aſſignatos fuiſſe, tanta cum illis neceſſitudine coniunctos, vt ea vel in ſepulchris comitarentur, poſt ipſorum conſumptionem ſepulchra ipſa inhabitaturi. Quocumque autem nomine Manes iſti à veteribus appellati

Necromantia quid ſit.

fuerint, ſiue Dij, ſiue Dęmones, ſiue Animę, ſiue Genij, ex hac Gentilium ſuperſtitione illa Manganiæ ſpecies orta eſt, quæ Necromantia, ſeu diuinatio ex mortuis paſſim nũcupatur.

Necromantiæ ſpecies duæ.

Huius duæ ſpecies reperiuntur, videlicet Necyomantia, & Sciomantia. Necyomantiam vocant, cùm ad recens cadauer calido ſanguine oppletum, vmbra, vel dęmon magicis car-

minibus euocatus, per os ipſius cadaueris futura prædicit. Sciomantiam verò, cùm accerſita ſolùm vmbra de futuris interrogata, reſpondet. Vtrãque ſpeciem Necromantæ expurgati priùs, atque muniti, ne quid noxæ à Manibus accipiant, in tenebroſis ſyluis, in antris, & horrendis locis exercere conſueuerunt. Obſeruant dies, horas, tempora, & à Dæmone condocefacti adhibent mortuorum oſſa, menſtrua mulierum, fœtus imperfectos, monſtra, ſpumam rabidi canis, viſcera lyncis, oculos Draconum, herbarum genera varia, præſertim Oſiritem, res etiam ſacras, & alia multa inuentu difficilia, ſed ad rem nihil penitus facientia. Ad hæc Magica virga, circulo deſcripto, multis cerimoniis ſacrificium faciunt, idque frequenter humani ſanguinis, quo dæmones mirum in modum delectantur.

Necromãtiæ exercitatio qualis. Horat. ſat. 8. Seneca in Oedipo.

Oſirites herba Necromanticis familiaris. *Plin. lib. 30. cap. 2.*

Necromanticorum ſacrificia *Hugo de S. Vict. lib. 6. Didaſcal. cap. 5.*

Mox ſequitur Incantatio, quę fieri ſolet primùm vlulatu, deinde ſolemni carmine, ac demùm inſuſurratione. Carmẽ priùs deprecatorium eſt, poſt comminatorium. Deprecatorio aduocant Tartarum, Plutonem, Proſerpinam, Eumenidas, Acheronta, Stygem, Cocytum, Mortem, Cærberum, Eliſios, Chaos, aliaque plurima, quorum nominum vi MAnes, hoc eſt mortuorum animas ab inferis eruere, & ab eis reſponſa ſe accipere putant. Non aduentante autem animâ, & moram faciente, Necromantæ irati, & cunctationem ægrè ferentes, comminatorium adhibent carmen: quo abſoluto apparent vmbræ, quę quaſi trepidantes cadauer ſubire verentur. Necromantę autem partim minis, partim ſuaſionibus eas in corpus impellunt, atque de rebus variis, pręſertim occultis, atque fu-

Minæ.

Vmbrarum apparitio.

Interrogatio & reſponſio.

turis interrogant : illę verò reſponſis redditis, veniâque petitâ, in priſtinas ſedes concedunt. Hęc eſt Necromantia, quam Iamblicus, honeſti nominis pallio tegens, Theurgiam vocauit. Hęc eſt diuinatio illa, cui Vates Tyreſias, cæteris neglectis, præcipuè vacabat. Hac duce, Oſthanes apud Plinium quorumlibet mortuorum excitationes, & colloquia cum viuis promittebat. De hac Cicus Aſculanus ſcripſit, Cham, Noe filium, librum edidiſſe, totiuſque artis elementa præcipua, & praxim edocuiſſe. Hęc denique eſt illa peſtifera lues, dęmonumque impoſtura, quæ mortaliũ multos, diuitiarum cupidos, aliarumque rerum libidine effrænatos, malè perdidit. Porrò ad hanc artem euertendam non ſuaſoriis, ſed neceſſariis rationibus opus eſt, quæ ſaltem in eruditorum animos pene-

Aug. 10. de Ciu. cap. 9. Sen. & Plin. vbi ſuprà.

Cicus Aſcul. in com. ſuper ſphæram.

trent, eoſque in illius contemptum, & deteſtationem adducant. Id velim, Simon, in primis tibi perſuadeas, quod apud omnes Theologos in confeſſo eſt, Necromantas nullam vim Dæmonibus, aut quibuſcunque ſeparatis ſubſtantiis, niſi ex pacto, aut diuina permiſſione inferre poſſe; hincque cum Valeſio concludas, Necromantiam nil aliud eſſe, quàm Dæmonum illuſionem, hominumque infidelitatem, qui ſe illis quoquo modo deuouerunt. Et vt rem etiam intra Philoſophiæ cancellos pertractemus, quænã, obſecro, aut qualis lapidum, herbarum, animalium, characterum, verborum & carminum poteſt eſſe vis in mentes ſimpliciſſimas, corporis expertes, ab omníque materiæ contagione remotas? Quæ agunt, & patiuntur inuicem, communem materiam habere debent, vt Philoſophi tra-

Dæmones cogi non poſſunt D. Th. in quæſt Diſp. de potentia q. 6. art, 10.

Valeſius lib. de ſacra Philoſ. cap. 53.

Ratio euidens.

Ariſt. 1. de Gen. tex. 54.

dunt: ideò inter elementa, atque ex eis cócreta corpora mutua eſt actio, & paſſio, mutuus obnixus. Cæleſtia ſidera vim quidem ſuam rebus hiſce inferioribus inſtillant, quia nobiliora ſunt: ab his autem nihil perpeti, afficive poſſunt, quia materiâ carent. Si ergo res iſtæ inferiores, aut à natura editæ, aut hominis ingenio excogitatæ nullam vim in corpora cæleſtia habere poſſunt, quæ ſubſtantiæ ſenſibus obuiæ ſunt, quodnam erit, quæſo, ius in dæmonas, defunctorũque animas, cum quibus, tanquam genere diſiunctis, nulla affinitas, nulla cognatio, nulláque familiaritas intercedit? Obiiciet aliquis, dæmones ab hominibus religioſis exorciſmis pelli, quod certè non fieret, niſi in eos ſacrorum verborum prolatio aliquam efficacitatem haberet. Reſpondeo, dęmones pelli, non verborum vi, ſed Dei poteſtate in verbis

Obiectio. Solutio.

latente : quemadmodum & ſacramentis accidit, quorum operatio nõ ex verbis quidem, ſed ex pacto, diuináque inſtitutione robur & efficacitatem ſumit. Nulla ergo eſt naturalis facultas, quâ dæmones cogi poſſint ab hominibus vt accedant, aut reſpondeant, aut aliquid moliantur; ſed ſi interdum horũ aliquid faciant, id ex fœdere oritur, quod vel tacitè, vel expreſsè cum hominibus inierũt. Cùm enim ex animo aduocantur, perquam libenter accedunt, ſimulantque ſe capi, & vinci, vt alios capiant, & vinciant. An putas ſi verus, & non ſimulatus coactus eſſet, eos ipſos docturos eſſe modum, quo ſubditi, & vincti ab hominibus detinerentur? Angelus quidem ſuperioris ordinis, Deo permittente, imperare Dæmoni, illumque cogere poteſt, quinimmò id quoque facit ſuperioris ordinis Dæmon: cui tamen

Angelus & Dæmon ſuperioris ordinis inferiorem cogere poteſt. Delrius li. 2. Mag. Diſq. q. 30. Sect. 3.

non libenter, & tanquam Domino, ſed inuitus, & tanquam Tyrãno paret. Dæmones verò hominibus abblandiuntur, vt faciliùs credant ſe aliquam in ipſos vim & autoritatem habere, atque adeò fidentiùs maleficis artibus incumbant. Cæterũ, cùm defunctorum animæ eandem ferè naturam cum Dæmonibus habere videantur; (nam & ipſæ incorporeæ ſunt, & ſenſus effugiunt) probatúmque hactenus ſit, nullâ Necromantię arte Dæmona ab inferis euocari, aut ad aliquid faciẽdum cogi poſſe; hoc idem de ipſis etiam animabus me ſatis oſtendiſſe putato. Separata enim anima nec proprium corpus, quod reliquit, aſſumere, nec alteri cuipiam vitam impertire, in eodémque vitales operationes exercere naturaliter poteſt. Namque rationalis anima, vbi à corpore diſceſſit, aut ad Cœlũ aſcendit, aut in Purgatorio, vel in in-

Defunctorum animæ nulla arte ab inferis, nec ex alio quouis loco euocari poſſunt.

D. Tho. 1. p q. 117 ar. 4

Ratio efficax.

ferno detinetur, vt cum Theologis noſtris loquamur. Si in Cælum iuit, quid abſurdius audiri, cogitarívé poteſt, quàm eam beatorum ſedem relinquere, & in antris, tenebricoſisq; locis, magici carminis vi, rebus profanis atque deteſtabilibus intereſſe? Sanè ſi Deus illam deſcẽdere, & Necromanticis incãtationibus obtemperare permitteret, infamem hanc artem toties in ſacris literis reprobatam, confirmare, & fouere videretur. Si verò in Inferno, vel Purgatorio pœnas luit, iam ſub peculiari Dei poteſtate ac ditione reperitur: ecquis autem illam ex diuinæ iuſtitiæ manibus extorquere, & eripere audeat? Obtrudunt ſtatim Necromantæ Samuelis animam à Pythoniſſa euocatam, & perſuadere nituntur defunctorum animas, incantationũ vi, ſaltem aliquo temporis ſpatio è ſuis receptaculis exire, viuẽtibuſque

Leuit. 19. 20 Iſaiæ 8. & alibi ſæpè.

Obiectio de Samuelis anima.

hominibus apparere, vt cum illis loquãtur. Quod ad Samuelis animam attinet, vt Theologorum diſſidium nunc omittam, ſacri canones decreuêre illuſionem dæmonis illam fuiſſe, nec verè Samuelem, ſed laruatum dæmonem apparuiſſe: nam certè vir ſanctus & iuſtus latriæ cultum à Saule ſibi tanquam Deo exhibitum penitus renuiſſet. Licere autem interdum animabus, ſaltem per breue tẽpus, è ſuis locis exire, ſana mente intelligẽdum eſt: non enim id Necromantiæ arti, vt ipſi putant, ſed diuinæ permiſſioni adſcribitur. Sanctorum namque animæ, referente Auguſtino, aliquando Dei iuſſu, tanquã in ſubſidium miſſæ, hominibus apparuerũt: quemadmodum legimus de anima B. Felicis martyris, quæ Nolanis ciuibus, dum à Barbaris oppugnarẽtur, à ſpectabili forma preſto fuit. Quanquam frequenter An-

Solutio ex ſacr. can. 26. q. 5. cap. Nec mirum, Lege ep. ſuper

geli boni, defunctorum animas re-præſentantes, in aſſumptis corporibus conſpiciuntur. Animabus etiã, quæ ſunt in Purgatorio, interdum ante abſolutam pœnitentiam permittitur egreſſus, ad petenda ſuffragia: hincque malefici opportunam occaſionem nanciſci ſe putant, ad ſua explenda miniſteria. Omnis igitur animarum apparitio miraculoſa eſt, cùm nec vlla vi compelli, nec arbitratu ſuo è propriis locis egredi queant. Cur enim Epulonis anima non rediit, vt ſuos erudiret, atque ad diuina præcepta inſtitueret? Profectò ſi rebus viuentium intereſſent animæ, dicebat Aug. me pia mater nulla nocte desereret, quæ me terra, marique ſecuta eſt, vt mecum viueret. Hinc elici facilè poteſt, quàm futilis, atque flagitioſa ſit Necromantię ars, & vtrum Perſarum, vt Polydorus putauit, an Dęmonum

Animæ, quę ſunt in Purgat. interdũ exeunt ad petendá ſuffragia. Sybil. Dec. 1. cap. 4 q. 1.

S Tho. 1. p. q. 89. art 8. ad 2.

Aug. vbi ſup.

Polyd. Vir. lib. 1. de inuent. cap. 23.

potiùs inuentum cenſeri debeat. Infelices Necromantæ expectant videre vmbras, vel Genios, credunt ſe cum animabus loqui; & cum Pythonibus rem agunt, hoc eſt cum Dæmonibus, è profundo terrę ſpecu aduenientibus. Hos interrogant, tanquam vera loquentes, & tamen nemo non ſcit, eos patres eſſe mendaciorum, nec niſi obſcura, & ambigua reſponſa reddere, quæ ad oppoſitos ſenſus flecti poſſunt. An Necromantam quempiam, potentem, diuitem, aut honoribus auctum aliquando nouiſti? Iucunda, & vtilia nebulones iſti aliis pollicentur, & illi egent neceſſariis. In antris habitant, profitenturque ſe dæmonibus imperare, & vt plurimum de mente deturbantur, & interdum etiam, ita Deo volente, ab eiſdem vitâ priuantur. Quiſnam, obſecro, fuit Nerone in hac arte peri-

Pythones quinam ſint Vide Cæl. Rhod. lib. 5. cap. 10.

Necromantici paupe-res, & miſeri.

Cic. 1. de Diu.

Nero Necromãtiam exercuit, & falſam reperit. *Plin. lib.* 30.*cap.*2.

tior? Quis ei vnquam validiùs fauit? Quis illam promptiùs, & commodiùs exercuit? & tamen nihil veri vnquam reperit, ſed faſtidio tandem, & ſatietate confectus, eam tanquam falſam, mendacem, & vanam abiecit. At dæmones aliquando vera dicunt, & mirabilia faciunt. Non diffiteor: ſed ſi ſemel in veritatem incidunt, millies fraudulenti, atque mendaces deprehenduntur. Portentoſos autem effectus, & humani ingenij capacitatem excedentes non rarò edunt, nullâ aliâ, opinor, ratione, niſi vt nonnullorum temeritatem & petulantiam coarguant, qui elementorum, cæleſtiumque corporum viribus omninò addicti, nullas alias operatrices cauſas reperiri arbitrantur: quaſi mentes à materia ſecretæ, quę nulla vnquam laſſitudine fatigãtur, nihil agere queant. Dum ferrum à magnete pellici vident, effectum illum

lum latēti in ſaxo facultati audacter adſcribunt; nec qua ratione à re inanimata motus effici poſſit, vllo pacto mirantur. Dum verò ruſticum aliquem, & opicum de repente Latinè loquentem; deque rebus variis ad Mathematicam, Philoſophiam, & ſacram Theologiam pertinentibus, diſputantem audiunt; nullo modo credere poſſunt à Dæmone id fieri, ſed furori, & perturbatis humoribus in atram bilem conuerſis, effectum attribuunt. Bone Deus, ſi ſcire noſtrum non eſt reminiſci, vt Peripatetici autumant, quænam tanta eſſe poteſt illius humoris vis, vt concitatus, tàm breui temporis ſpatio, tot ſcientias in animam infundat? Velimus, nolimus, Simon, fateamur neceſſe eſt, nos plura ignorare, quàm ſcire. Concreta res, atque corporeæ multum quidem roboris, & facultatis habent: ſed certè plus

Lege Ariſt. 30. ſect. problem. q. 1.

i. Poſt.

Separatæ mẽtes magnam habent agendi vim, Deus autẽ omnium maximam, & infinitã.

virium in corporeis ineſt. An igitur propterea quod efficiendi modū nō aſſequimur, effectus ipſarum omninò negabimus? Magna profectò eſt dæmonum vis, quam Necromantæ ſatis cognouerunt; ſed longè maior eſt Dei poteſtas quam ſtultitia, errorumque caligine obcæcati non tenuerunt. Hic enim ſolus Rex & Dominus eſt, illi ſubditi, atque miniſtri: hic verè beneficia confert, illi ſimulatè. Quid autem ſtultius, & infantius quàm neglecto Domino, à ſubdolis miniſtris beneficia petere? Hęc dixiſſe ſatis erit ad Necromantarum vanitatem explodendam, & impietatem propalandam. Interim vale. Patauij Idib. Maij M. DCXII.

Aurelio Onico, Taruiſino, Philoſopho & Iuriſconſulto.

Epistola VIII.

De Hydromantia, aliiſque huius generis diuinationibus.

AN igitur, quia veneficæ mulieris opera, in vitrea phiala, aquæ plena, furis imaginem vidiſti, de Hydromantica ſuperſtitione, & vanitate addubitas? Rem tibi fortaſſe nouam, admirabilem, & humani ingenij captum excedentem vidiſti, fateor: ſed tamen quæ, cauſa cognita, nihil plus admirationis allatura ſit, quàm ſi currentem equum, aut volantem aquilam aſpiceres. Narrarunt mihi non ita pridem Matthias Herben Hungarus, & Ieremias Depſel Dacus, auditores mei, vidiſſe ſe alte- Hydromantiæ effectus varij.

rum in ciſterna, ſuper quam verba quædam immurmurata ſunt, alterum in catino, vbi aqua erat, paucis olei guttulis reſperſa, admiranda quædam, quæ certè nunquam crediſſent, niſi ipſimet teſtes oculati fuiſſent. Huic enim obiecta eſt imago fratris, graui vulnere exanimati: illi verò ſimulachrum amici, cum amaſia in lecto iacentis. Quæ ambo, re conquiſitâ, veriſſima eſſe compererunt. Auritus ego teſtis eſſe poſſum in multis, oculatus non item: nam etſi aliâs in hiſce rebus curioſus, multa tentauerim; euentus tamen nihil vnquam probauit, ſed alius ſemper, atque expectabatur, extitit. Id, quod imbecillitate fidei arbitror accidiſſe: nunquam enim viri alioquin eruditi perſuadere mihi potuerunt, huius generis portentoſos effectus ab aliqua aquæ, olei, aut verborum facultate naturaliter

Hydromãtici effectus à naturali, neceſſariaque cauſa non pendent.

proficiſci. Pueri, adoleſcentes, atque mulieres hiſce rebus facilè aſſentiuntur; & propterea mirum non eſt, ſi horum interuentu Hydromantiæ ars frequentiùs exerceatur, iidemque tanquam multorum euentuum veridici teſtes adhibeantur. Vis, vt vno verbo, quænam ſit princeps horum effectuum cauſa, tibi explicem? Sunt Dæmones ipſi. Hinc ſcitè admodum Auguſtinus Hydromantiam, quam Numa Pompilius, & Andronicus Imperator tanti fecerunt, nil aliud, quàm ludificationes Dęmonum eſſe definiuit. Optimè norunt Dæmones res occultas, quarum imagines, niſi Deus prohibeat, in aqua, tanquã in ſpeculo repræſentare facilè poſſunt; non coacti quidem, ſed volentes, & lubentes. Neque verò ſatis illis fuit, ſimplicibus, ac credulis hominibus perſuaſiſſe, ex aſtris, ex manuum lineis, ex characteribus frontis, ex fi-

Hydromãticorum effectuum cauſa præcipua quænam ſit.

Aug. lib. 7. de Ciu. c. 35.

guris in puluere deſcriptis, ex nominum literis, ex cadaueribus, defunctorumque animabus, futurarum rerum cognitionem elici poſſe: ſed, vt humanum genus arctioribus vinculis irretirent, ex ipſa etiam aqua, & ex aliis rebus vberem diuinãdi materiam eidem ſuppeditare conati ſunt.

Hydromãtia quid ſit, & quot modis exerceatur.

Mart. Delr. lib 4. Mag. Diſq. c. 2 q. 6. Sect. 3. Strabo li. 15. Spartian. in Iuliano.

Diuinationem igitur quæ fit per aquam, Græci Hydromantiam vocarunt, multiſque modis fieri, prętER illos quos ſuprà recenſui, ſcriptores varij tradiderunt. Quidam enim de filo annulum ſuſpendunt ſupra vaſculum, in qua aliqua portio aquæ continetur; certiſque obmurmuratis verbis, ictus annuli numerant ad vaſculi latera pulſantis. Alij coniectis in aquam ſtatiuam aliquot lapillis, gyros, & circumplicationes obſeruant. Alij ex varia pelagi agitatione vaticinantur. Alij ex aquæ colore, & imaginibus in ea apparenti-

Fons Aretinus olim celebris.

Scriptor vitæ D. Bern. cap. 40.

bus, idque in fontibus quibuſdam priuatis, qualis fuit ille Aretinus, quẽ D. Bernardinus Senenſis demolitus eſt. Alij ex ſono, vorticibus, & circumuolutionibus amnium. Alij ex ebulliente & erumpente aqua. Alij aliis modis, quos explicare non expedit. Eos igitur, qui Hydromanticis experimentis adſunt, imagines rerum, quas cupiunt, in aqua videre aiunt, & præterea voces audire, quę ad interrogata reſpondent. Pulcherrima quidem ars, & ſcitu digna, niſi res cum Dæmonibus eſſet. Obiicies, ſi in morbis curandis, futuris prædicendis, aliiſque rebus agendis, lapidum, herbarum, animalium, & aſtrorum vires adhibere licet; cur non etiam Dæmonum facultates, in rebus arduis, & cognitu difficillimis, experiri licebit? Reſponſio in difficili non eſt: namque ſi futurorum præſcientiam excludas, quæ, vt aliâs

Obiectio notabilis.

Solutio.

oſtendi, ne ex aſtris quidem certò haberi vlla ratione poteſt; in rebus cæteris, lapidum, herbarum, aliorũque miſtorum corporum viribus vti licet, quia naturalia ſunt, eaſque ad agendum facultates exhibent, quas ab autore Naturæ obtinuerunt. Dæmones verò non naturaliter agunt, ſed liberè, arbitratuque ſuo. Et quãuis carminibus, & incantationibus cogi ſe ſimulent; nihil tamen vnquã, niſi rogati, & precibus arcerſiti, in alicuius gratiam moliuntur. Aliquam igitur cum illis familiaritatẽ, atque neceſſitudinem contrahant neceſſe eſt, quicumque eorum operâ vtuntur. Iam verò ſi Dæmones falſi, mendaces, & ſubdoli ſunt, ſi perpetui hominum inſidiatores, ſi in Deum contumaces, eidemque acerrimi inimici, quis non videt, nemini citra grauiſſimum peccatum, inſignemque Dei iniuriam, ab illis auxi-

lium peti, eorum vires quem experiri, eiſdemque familiariter vti? An ignoras illud vulgare dictum, Amicus inimici mei eſt inimicus meus? Durum eſt, inquies, ſi cui torques, gemma, aut quiduis aliud furtim exceptum eſt, prohiberi illum, quo minus furtum, & furem inueniat, cùm præſtò ſit ars, qua id conſequi facillimè poſſit. Melius eſt, Aureli, torquē, gemmam, & alia quæcumque huius generis bona, quàm animam amittere, & in Deum peccare. Lenocinia ſunt hæc, aut veriùs laquei Dæmonum, quibus ſenſim homines prolectant, & ad ſeſe trahunt. Scito, Dæmonas operarios eſſe, qui ſine mercede nihil agunt; quique plus auferant, cùm plus afferre videntur. Sanè diſplicet, te iſti experimento interfuiſſe: quanquam certò ſcio, te & pietate, & philoſophicis rationibus ab Hydromantica ſuperſtitione, ſi

Vulgare dictum.

Obiectio altera.

Solutio.

Dæmones ſine mercede non operantur.

quid fortaſſe illi aſſentires, prorſus auocatum iri. Quod autem de Hydromantia ſcripſi, idem de cæteris eiuſdem farinæ diuinationibus intelligas velim: habet enim hęc ſuperſtitio plures alias, tanquam affines, quas omnes ad faciliorem ſimplicium hominum eruditionem Dæmones excogitarunt. In his præcipua eſt Pyromantia, quæ ex igne, & quorumdam ſeminum fumo diuinatio dicitur, Magiaque alba à nonnullis ſortilegis appellatur. Vt autem Hydromantæ Dęmonum vmbras in aqua conſiderant; ita Pyromantici phantaſticas flammæ figuras obſeruant in igne. Sic Tanaquil Tarquinij Priſci vxor, magni animi mulier, & Hetruſcę, vel Dęmoniacę potiùs diſciplinę peritiſſima, flammā vidēs, Seruij Tulli caput lambentem, illum Romanorum Regem fore prędixit. Sed aut caſu id contigit, aut Dæmo-

Pyromantia quid. Vide plures huius diuinationis ſpecies apud Mart. Delr. lib. 4. Mag. Diſq. cap. 2 q. 7. Sect. 1.

Val. Max. lib. 1. cap. 6. Lucius lib. 1. ab Vrb.

nis coniecturâ: & miror ſanè, recentiores nõnullos effectum illum Deo Opt. Max. temerè tribuiſſe. Fuerunt hæ duę ſuperſtitiones veteribus maximè in vſu. Varro enim, referente Auguſtino, ſcribit Pythagoram Hydromantam extitiſſe, & Numam Pompilium libros de Hydromantia conſcriptos occultaſſe, quos vbi Senatus reperit, tanquam mendaciis & vanitatibus plenos incendi iuſſit. Pyromantiâ vſi ſunt olim Chaldæi, Ægyptij, & Hebręi: nunc exercetur in India, in regione Sinarum; nec ab eadem ſuperſtitione Lituani, atque Germani cenſentur immunes. Poſt Pyromantiam innumera ſequuntur diuinationum genera, quæ variis modis fieri ſolent: Vt Axinomantia ſecuribus, & aliis dolabris. Lecanomantia peluibus: Coſcinomantia cribris: Gaſtromantia phialis: Catoptromantia ſpeculis: Dacty-

Cæſar Cræmoninus in orat. ad Ant. Priolum Venet. Ducem.

Aug. lib. 7. de Ciu. c. 35.

Anan lib. 3. de natur. Dæmon.

Diuinationum genera varia.

Delr. lib. 4. c. 2. q. 6. ſect. 4.

Bodin. lib. 2. Dæmon. cap. 1.

lomantia annulis: Onychomantia puerorum impollutorum vnguibus oleo illinitis: Cephalonomantia aſini capite, ſuper prunas aſſo: Clidomantia clauibus, & alia plura, quę ab autoribus variis explicata reperiuntur. Nemo hactenus diuinationes has reuocauit ad artem, ſicut olim Aſtromantia, Chiromantia, Phyſiognomia, Geomantia, Nomantia, & aliæ reuocatę fuerunt. Argumentum euidentiſſimum, mera eſſe Dæmonum commenta, & inanes hominum obſeruationes. Si enim diuinationes illę, quas artes, & ſcientias nominarunt, vanę ſunt, nulloque prorſus fundamento ſubnixę, vt aliâs memini, me ſatis ſuperque probaſſe; quid de his dicemus, quæ palam amentiam, & aniles ſuperſtitiones præ ſe ferunt? Tu velim, Aureli, vt graui, ac ſolidâ, & non adumbratâ gloriâ delecteris, ad

Lege epiſt. ſuperior.

eaque animum adiicias, quæ veris theſauris mentem tuam locupletare poſſunt. Iſthæc quidem initio leuia ſunt, ſed procedente tempore ingraueſcunt: propterea, iuxta Naſonis monitum, principiis obſtandum eſt, ne ſerò medicina paretur. Vale. Pataij Nonis Maij. M DC XIX. Ouid. I. de remed.

Andreæ Mauroceno, Veneto, Senatori Sapientiſſimo ac optimo.

Epistola IX.

De Auguriis.

SI fides vlla auguriis præſtanda eſſet, Senator ſapientiſſime, augurium mihi optimum fuiſſent literæ tuæ, ſuperioribus diebus Patauij datæ: quibus me à ruſticis voluptatibus auocaſti, atque ad inchoatum iam de Auguriis opuſculum abſol-

uendum ſatis blandè impuliſti. Patauium redij eo ipſo die quo tu Venetias profectus es ; doluíque non potuiſſe me ſaltem per horam tecũ eſſe, vt ex doctiſſimis tuis colloquiis fructum aliquem caperem. Quantũ enim in omni diſciplinarum genere excellas, quámque eruditus ſit animus tuus, qui ſemper aliquid ex ſe promit quod alios delectet, ignorare arbitror neminem. De auguriis leguntur multa apud priſcos autores, quæ omnia recenſere operoſum nimis eſſet, & fortaſsè ſuperuacaneũ. Ideóque vtiliora tantùm ſelegi, ſi quæ tamen in ea diſciplina vtilia nũcupari poſſunt: quorum aliqua mihi aliàs curis vexato exciderant; nunc autem omnia enucleatiùs, vacuóque animo elaborata, ſub tuis exeunt felicibus auſpiciis.

Augurium quid. Feſtus

Augurium, vt à nomine ordiar, ſi latè ſumatur, ex quacumque re præ-

ſagium ſignificat; ſi verò preſſiùs, ex auium garritu tantùm: ideò auguriũ quaſi auigarrium veteres dixêre. Differt ab Auſpicio, quòd hoc ex ſola auium inſpectione diuinatio ſit, dictum auſpicium quaſi auispeciũ. Sunt etiam alia quædam nomina his finitima, quæ tametſi ad inſtitutum meum non omninò pertineãt; operam tamen luſurus non ſim, ſi ad faciliorem intelligentiam ſingula breuiter explicaro.

Auſpicium. *Val. Max. li. 1. cap. 4.*

In his eſt Aruſpicium, quod diuinatio dicebatur ex victimis in ara inſpiciendis: dum enim hoſtiæ mactabantur, ex variis earum motibus, & geſtibus varia quoque ſigna, & indicia eliciebant. Extiſpicium, quod ab extis inſpiciendis non brutorum tantùm animalium, ſed interdum etiam hominum nomen accepit. Namque olim & Luſitani in Hiſpania, & Heluetij in Gallia, & He-

Aruſpicium

Extiſpicium

turum aliquid ſtatim oſtendit; vt cometæ, tonitrua ſereno tempore, mõſtra, & id genus alia. Portẽtum, quod itidem futurum aliquid, ſed cum tẽporis interuallo, denunciat: vt cùm acies in cælo videntur, pluuię ſanguinis, aliaque inſolita corpora apparẽt in aëre. Prodigium, quod idem ſignificat, ſed tamẽ ſemper mali quicquam portendit. Siue autem Oſtenta, Portenta, & Prodigia rem eandem, ſiue diuerſam ſignificẽt (quod parui omninò refert) de Auguriis præcipuè nobis ſermo futurus eſt, ad quæ omnes alias huius generis vaticinationes reuocare libet. Diſciplina hæc in vetuſtiſſimis numeratur: ſed de eius origine nulla eſt apud ſcriptores veteres conſtantia. Plinius ſcribit, auguria ex auibus Carem quendam, à quo Caria dicta eſt, primùm reperiſſe: ex cęteris verò animalibus Orpheum. Aruſpicia Del-

Portentum. Ioſeph lib. 2. de Bel. c. 44.

Prodigium. Iulius obſeq. lib. de Prodig.

Augurum diſciplina vetuſtiſſima. Plin lib. 7. cap. 56.

phum: Auſpicia Tyreſiam: Oſtenta Amphytrionem. Communior tamē ſententia eſt, vniuerſam augurandi artem in Aſia primùm, autore Zoroaſtre, originem cœpiſſe: eandem ex Aſia in Græciam Hoſthanem detuliſſe: integris ipſam voluminibus Democritum illuſtraſſe, ac demum à Græcis in Hetruriam, & ad Aborigines Latij, inde Romam perueniſſe. Nulla fortaſſe regio fuit, quæ magis hoc diuinandi genus excoluerit, quàm Hetruria: ad eam enim, tanquam ad Athenas, ex variis locis, ſed ex Latio potiſſimùm iuuenes mittebantur, vt tantam diſciplinam addiſcerent. Cùm præſertim gloriaretur, ſe à Tage Iouis nepote, inuſitato quodam modo, Aruſpicinam didiciſſe. Cicero namque ex Hetruſcorum monumentis ſcribit, aranti cuidam in agro Tarquinienſi, & ſulcum altiùs imprimenti, è terra ſubitò quē-

Communior ſententia de origine Augur. Pol. Verg. lib. 1. cap. 24 Iul. Siren. lib 9. de Fato. cap. 17.

Hetruria olim Aruſpicinæ magiſtra.

Cic. lib. 2. de Diuin.

dam extitiſſe, cui nomen erat Tages, facie quidem puerili, ſed prudentia ſenili, à quo vniuerſa Hetruria Aruſpicinam accepit. Floruerunt autem in augurandi arte variis in locis quã- plures, qui tantam fidem auguriis præſtiterunt, vt nihil prorſus inauſpicatò agerent. Namque præter ſupra nominatos commemorantur Poles, Melampus, Helenus, Calchas, Mopſus, Leucadius, Tiſameus, Vectius, Vmbritius, Theocritus, Amphiaraus, Tyburnus, Romulus, Tyberius Graccus, Q. Mutius Sceuola, Nero, Deiotarus Siciliæ Rex, & alij non pauci, quos recenſere nec vacat, nec expedit. Miror, multos etiam magni nominis Philoſophos hanc vanitatem comprobaſſe, vt Democritum, Chryſippum, Diogenem, Antipatrum, Poſſidonium, Platonem, &, vt nonnullis placuit, ipſum etiam Ariſtotelem. Sed certè quo-

Augures celeberrimi.
Cic. 2. de leg Sueſſan. in præf. ad opuſc. de augur.

Philoſophi, qui auguria probarunt.

Plato in Phædro.

Ariſt. lib. 9 de hiſt. ani

mal. cap 1. lege Mirād. lib. 29. euerſ. ſect. 10.

tieſcumque Ariſtoteles de Auguriis verba fecit, de iis præſertim, quæ non à natura, ſed ab hominum voluntate ſumuntur, nunquam ex ſua, ſed ſemper ex vulgi ſententia locutus eſt. Heſiodus quoque, Plutarchus, Plinius, Liuius auguria obſeruarunt, & noſtris etiam temporibus pauci ſunt, qui in huius generis ineptias non inclinent. Admirabile autem eſt, & explicari vix poteſt, quantum veteres Romani auguriis tribuerint, quantaque eadem apud ipſos in ve-

Augurum Collegium olim apud Rom. celeberrimum.

neratione fuerint. Eius rei fidem facit celeberrimum illud Augurum Collegium, ſanctum, & auguſtum ab illis vocatum, quòd Augures Iouis Optimi Maximi interpretes eſſe

Augurum ius maximū in Rom. Remp. Cic. 2. de leg.

cenſuerunt. Horum in Romanam Remp. maximum, & præſtantiſſimum erat ius: rata enim habebantur quæcunque ipſi probabant; irrita, quæ improbabant. A ſummis impe-

riis & poteſtatibus comitia tollere, concilia, vel inſtituta admittere, vel habita reſcindere poterant. Iis inconſultis neque expeditiones fiebāt, nec dies pugnæ decernebatur, capitaléque erat, ſi qui illis non paruiſſent. Tantáque eorum ratio habebatur, vt tametſi ſacerdotes alii in locum damnatorum ſufficerentur; ſoli tamen Augures, ob nullum patratum facinus, ſacerdotio priuarentur. Erāt eorum libri valdè reconditi, ſummâque religione colebantur: vtrum autem fictè, an verè, tuum ſit, vir illuſtriſſime, iudicium. Sed iam ad Auguriorum diſciplinam explicandam ſenſim accedamus. Vetuſtiſſimi Augures, ſiue Aruſpices, Arioli, Vates, Coniectores, aut quocūmque tandem nomine vocentur, ex quinque fontibus præcipuis diuinationes ſumere conſueuerant: ex cęlo, ex auiū volatu, vel garritu, ex pullorum tri-

Augurum exiſtimatio. Plut. probl. 99.

Augurales libri reconditi, Cic. pro Dom. Sen. ep. 108.

Auguriorū quinque fontes præcipui. *Feſtus*:

pudio,ex quadrupedibus, ex diris,atque portentis. Ex cælo, vt cùm ardẽtes faces videbantur, aut duo Soles apparebant, aut ex dextra, vel ſiniſtra parte tonitru, fulgur, vel fulmen erumpebat. Ab his, & huiuſmodi ſignis varia Augures, pro ſuo quique inſtituto, pręnunciabant: non enim omnium vna, eademque diſciplina erat. Hetruſi namque auguraturi faciem ad Occidentem: Romani cõtrà ad Orientem vertebant. Deiotarus etiam ex Cicerone, & Cicero viciſſim ex Deiotaro ſui augurii diſciplinam percontari ſolebat; quod planè indicat, vt in Philoſophia, ita in Augurum ſcientia opiniones varias extitiſſe. Auguria deinde petebant ex auibus, quas Deorum præcones, Euripides appellauit. Auium autem alię Oſcines, quæ cantu, alię præpetes, quæ volatu prædicere putabantur. Oſcines obſeruabant, vtrũ

Auguria ex cælo.

Augurum diſciplina varia.

Cic 2. de Diu.

Auguria ex auibus.

Aues Deorum præcones, Euripides apud Plut. de ſolert. animal.

plenam vocem, an duntaxat ex ſummo acumine ederent, vtrum continuatam, an interruptam, vtrum ſolitam, an inſolitam, & alias huiuſmodi differentias. Præpetes verò, vtrum ex hac, an ex illa cœli parte volarent, vtrum ſolę, an binæ, an aceruatim; vtrum tranſirent tantùm, an redirent, circumuolarent, deſcenderent, quieſcerent, & id genus alia. Porrò augurales aues erant apud ipſos Vultures, Aquilæ, Corui, Noctuę, Bubones, Pici, Cornices, Palumbi, Cygni, Gracculi, Milui, Galli, Apes, Locuſtę, omne denique accipitrum, & inſectorum genus. Non accipiebant autem in Auguria morbidas, aut vlceratas aues, quoniam augurium rem ſacram eſſe exiſtimabant: quam etiã ob cauſam Auguri, vlcus habenti, obſeruare aues interdictum erat. Huius generis auguriorum exempla varia apud ſcriptores veteres reperiun-

Augurales aues Lege Sueſſan. lib 1 de Augur.

Plutarchus Probl. 73.

Iul. Obſeq. Val. Max. Aul. Gell. & alij.

tur,quos te legiſſe certò ſcio,ac propterea in his immorandum non cenſeo. Ex pullorum tripudio ita vaticinabantur. Duos pullos ſeruabant in cauea, quibus mane, recluſa cauea, pultem,aut offam obiiciebant: ſiniſtrum erat auſpicium, ſi cibum negligerent: ſecundum verò, ſi auidè depaſcerentur, itavt portio aliqua ex roſtro in ſolum decideret. Sed & ex quadrupedibus præſagia illis erant, vt ex equorum hinnitu, vulpium latratu,luporum,& canum vlulatu, quod noſtrę etiam interdum mulieres in moribundis obſeruant.Multa etiam de capra, aſino,leone,muſtela, fele, apro, & aliis traduntur, quę lubens, & volens omitto. Non ſolùm autem ex terreſtribus,verùm etiam ex aquatilibus animalibus diuinationem haberi poſſe crediderunt, atque præſertim ex Crocodilo,quem antiqua Ægyptus,

Auguria ex pullorum tripudio. Cic 1. de Diu.

Auguria ex quadrupedibus Val Max: lib.1.

Piſcium diuinatio Lege Plut.li. de ſolert. animal.

quòd Sacerdotum vocem agnoſceret, ſacrum animal appellauit. Ex diris denique, atque portentis, veluti cùm ſerpens, aut immanis aliqua bellua præter conſuetudinem domum intrat; cum veſtimenta comburuntur, aut inopinatus ignis domum incendit; cùm mus aliquid corrodit, quod valdè iucundum eſt; cùm, nullo pulſante, ſonus aliquis domi auditur; cùm ſæpè candela, abſque vlla manifeſta cauſa, extinguitur; cùm in ingentem bufonem incidimus; cùm auis in domum decidit, ita, vt manibus capiatur; cùm ignis murmurat, vel ſcintillas proiicit; cùm vmbræ, imagines, phantaſmata, & id genus alia inopinatò apparent. Ex his omnibus antiqui Augures præſagire varia, & diuinare ſolebant. Poſteriores autem alia duo addiderunt, ex quibus vaticinia deſumebant, videlicet Sternutamenta, & cuiuſlibet corpo-

Auguria ex diris, atque portentis. Sueſſ. vbi ſuprà.

Auguria ex ſternutamentis. Theocritus in Thalys. Hom. odyſſ. 6. Ariſt. lib. 1. de hiſt. animal. ca. 11. Euſtath. Rhapſod. 7. Plut. de Homero. Rhodig. li. 13. c. 27.

ris particulæ palpitationem. Ex ſternutamentis prodeſſe nonnulla, ac ſignificare proſperiùs, alia verò ominoſa prorſus, & inauſpicata cenſeri docuit aliquando Theocritus. Et Homerus inter felicia ſigna ſternutamentum collocauit. Ariſtoteles ſignum eſſe augurale perhibuit, ex ſpirituum omnium generibus ſanctum, & ſacrum. Euſtathius, ſternutamentum à dextris boni quippiam portendere, affirmauit. Hinc pluribus ſuperſtitionibus patefactus eſt aditus. Dixerunt enim Ægyptij, ſi quis die lunæ ſummo mane è lecto ſurgens, ſemel ſternutauerit, proſperam ei totam hebdomadam futuram eſſe: ſi bis, aut quater, infelicem. Malum eſſe omen, ſi, dum calceus induitur, ſternutamentum obtigerit. Optimum eſſe augurium in rebus agendis, ſi duo ſimul bis, aut quater ſter-

Ægyptiorũ exempla varia. Sueſſanus.

nutauerint; malum autem, ſi ſemel, aut ter. Peregrinanti ſyluam bina ſternutamenta ſuperuenientia, euaſionem à latronibus nunciare; vnicum verò, periculum maximum indicare. Alia plurima effutiunt, quæ ſcribere piget, cùm hæc dicis gratia ſufficiant. Ex tremoribus autem, & particularum corporis palpitationibus varia ſimiliter auguria eliciunt. Vt exempli gratia, ſi caput concutiatur, aut capilli erecti fuerint, inimicorum inſidias, & ab amico, vel conſanguineo detrimentum portendunt: ſeruo autem ægritudinem, virgini ſtuprum, viduę iniuriã, pauperi bonum aliquid ominantur. Si dexter oculus ſalierit, ſubditos fore inimicos indicat; ſi verò ſiniſter, aduentum hoſpitis maximè dilecti. Aurium ſonitum, ac præſertim dextræ, in re aliqua gaudium; Dentes trementes diſcordiam;

Auguria ex particularũ corporis palpitationibus.

Cor palpitans bonum omnibus ſignificare. Apud Sueſſanum plura, qui ſingula, ad rem hanc attinentia, in tabellas redegit. Cæterum, vt has quoque ineptias ad methodum aliquam reuocarent, quatuor pręcipuè in Auguriis neceſſaria eſſe dixerunt, rem auſpicanti obiectam, perſonam auſpicantem, auſpicantis mentem, & tempus, quo res obiecta in auſpicium accipitur. Res obiecta eſſe poteſt aut auis, aut bellua, aut ſternutamentum, aut tremor, aut alia quæuis ex ſuperiùs nominatis. Perſona auſpicans non poteſt eſſe homo quilibet, ſed illuſtris, ac nobilis tantùm, qui virtutibus, ac diuitiis cæteris antecellat. Cùm enim auguria, tanquã à nobiliſſimo agente, à cælo ſint; par etiam eſt, inquiũt, vt non ab homine quocũq;, ſed à nobiliſſimo tãtũ obſeruẽtur. Põponatius diceret, à Cælo fieri, vt homo ſit Augur, ſicut & Me-

In Auguriis quatuor præcipuè conſiderãda.

Res auſpicanti obiecta.

Perſona auſpicans.

dicus, vel Propheta, quod à me aliàs tanquã falſum, & impium reiectum eſt. Sunt tamen qui cenſeant, omnes homines aptos eſſe ad augurandum; cùm frequentiùs contingat, vt pueri, mulieres, fatui, & inopes vera prę-nuntient. Mens prætereà, ſeu intentio auſpicantis neceſſaria iudicatur; quandoquidem augurium, ex eorũ ſententia nullum eſſet, niſi perſona auſpicans rem ſibi obiectam in auſpicium referret, & tanquam aliquid præſagientem conſideraret. Exemplum afferunt Deiotari regis, qui cùm aquilam declinantem in tectũ vidiſſet, id tanquam augurium accepit, atq; ab vſu tecti abſtinuit, quod ſequenti nocte corruit. Tempus denique attendunt, quo vel res auguralis obiicitur, vel interior impulſus, ſeu cogitationis motus percipitur: illud enim Aſtrologo maximè inſeruit ad ſtellam inueniendam, quæ im-

Intentio auſpicantis.

Tempus auſpicij.

De cauſa mouente auguria opiniones variæ.

pulſionis cauſa fuit. Quanquã de huiuſcemodi impulſionis cauſa haud parua inter ipſos controuerſia fuerit. Putarunt enim Theophraſtus, & Themiſtius, ab Intelligentia non errante, ſeu ab anima mundi auguria moueri; dixeruntque homines interdum futura loqui, etiamſi eorum, quæ dicunt, nihil prorſus intelligãt. Varro à Luna per duodecim ſigna cæleſtia: Auicenna ab intelligentia Lunæ, quam Cholchodæam appellauit, quæque ea omnia regit, quæ ſub Cęlo ſunt. Pythagorici ab ipſo Vno, vnde rerum omnium vita, & conſiſtentia dependet. Mercurius Triſmegiſtus à Dęmone. Porphyrius, Iamblicus, & Plotinus à bono Genio. Aſtrologi Ægyptij à ſtella errante, quę, auſpicationis hora in cęleſti figura, nonam domum, decimam, aut Aſcendens, ſimiliter ſeptimam, quartam, aut tertiam obtinue-

rit. Diligenter enim Cæli ſitum, & partes, vbi res auguralis quieſceret, obſeruabant, & quomodo ab vna parte ad aliam, vtrum à dextra ad ſiniſtram, an contrà moueretur, indéque varia ominabantur. Plutarchus tamen dextra omnia mala, ſiniſtra verò bona ſemper iudicauit: rationemque reddidit, quoniam quæ nobis dextra ſunt, cęlo ſiniſtra dicuntur, atque viciſſim, quæ autem à Deo dantur, dextra porriguntur. Hæc ſummatim ea ſunt, quę de Auguriis ex autoribus variis excerpſi, auribus tuis fortaſſe non indigna. Nunc autem totam diſciplinam paulò diligentiùs expendere, eandemque quaſi cribro purgare operæpretium eſt. Auguria itaque latiùs accepta, in tres claſſes diſtribuere libet: alia enim ſupra naturā ſunt, alia naturalia, alia artificioſa. Supra naturam voco illa, quę cau-

Plutar. problem. 78.

Auguriorũ genera tria.

ſam habent, humani ingenii captum excedentem. Naturalia, quæ rationibus à natura depromptis, probari poſſunt. Artificioſa, quæ ab hominibus temerè excogitata, & ad artem aliquam reuocata ſunt. Auguria, quæ ſupra naturam ſunt, ita ſubdiſtinguenda cenſeo, vt alia à Deo ſint, alia à Dæmonibus, qui Dei Simiæ nuncupantur. A Deo auguria multa, & portentoſi effectus proficiſcuntur, quibus interdùm, ſuæ ſapientiæ decreto, magnam aliquam in humanis rebus mutationem futuram, indicare ſolet. Velut cùm manus illa verba hæc in pariete ſcribere viſa eſt, *Mane, Thecel, Phares*, portentum fuit, à Daniele diuino ſpiritu explanatum, quo Aſſyriorum Imperij in Medos tranſlationem prænunciauit. Stella, quæ Magis apparuit, diuinum augurium fuit, tutum illis iter in Bethlehem præmonſtrans, ad recens natum humani

Auguria ſupra naturam duplicia.

Auguria diuina.

manimani generis redemptorem venerandum. Inſignis etiam eclipſis, quæ olim in plenilunio accidit, totique terrarum orbi tenebræ offuſę, diuinum portentum fuerunt, quo nunciatum eſt, Chriſtum, Dei filium, autoremque naturę mortuum eſſe, nouamque legem, quæ Gratiæ dicitur, incæpiſſe. Sed & à Dæmonibus interdum excitari auguria, manifeſtum eſt: qui coniecturâ quadam res futuras proſpicientes; variis ſignis eas mortalibus indicare conantur, dum vel tumultus in aëre cient; vel voces emittunt, vel ſpectra fingunt, vel alia huius generis moliuntur. Horum exempla multa in Romanorum monumentis leguntur. Vt paulò ante Cæſaris mortẽ, equorum armenta pabulo abſtinere, vbertimque flere comperta fuiſſe. Infantem ſemeſtrem in foro Boario C. Hoſtilio Mancino, in Hiſpaniam ituro,

Auguria Dæmoniaca.

Val Max Iul. obſeq.

triumphum proclamaſſe. Auem Romanos, vt à Gallis cauerent, clamore excitaſſe. Canem locutum eſſe, & ſerpentem latraſſe, cùm è Regno Tarquinius pelleretur. Ad varia etiam prænuncianda, lacte interdum, ſanguine, lanâ, & lapidibus pluiſſe; ſimulachra marmorea fleſſe, & riſiſſe; Solem noctu apparuiſſe, aliaque id genus prodigia viſa eſſe, quæ rudis antiquitas, ſummi, ac veri Dei ignara, diuina eſſe putauit, cùm tamen à Dæmonibus fierent, eorumque vim, & poteſtatem incredibilem declararent. Auguria naturalia ad Nautas, Agricolas, Medicos, & Philoſophos pertinent: qui non caſu, & temerè, ſed longa obſeruatione, naturalique ratiocinatione multa præſagiunt. Nautæ ex leui quadam nubecula indicium ſumunt tempeſtatis futuræ. Agricolæ pluuiam prænunciant, cùm ranæ

Auguria naturalia.

Nautarum.

Agricolarū.

ſolito vocaliores ſunt; cùm oues herbam nimis auidè carpunt; cùm muſcę, pulices, aliaque id genus inſecta aculeum altiùs intrudunt, & acutiùs feriunt. Medici ſternutamentum in grauiter ægrotante tanquam augurium accipiunt futuræ ſalutis, eoque magis, ſi binum, ternum, aut multiplex fuerit: virium enim conſtantiam, & robur indicat, quod ad vehementem illum motum edendum neceſſarium eſt. Philoſophi ex aquæ defectu in iugibus, puteis, magnos inſtare terræmotus coniiciunt: cauitates enim ſubterraneas, ne detur inane ſpatium, aut aëre, aut vaporibus plenas eſſe, neceſſe eſt; qui coacti, atque multiplicati, cùm liberum exitum non habeant, terram quatiunt, & impetu facto exiliunt. Ex inſolito etiam ranarum, murium, & reptilium prouentu

Medicorũ.

Philoſophorum.

peſtem prædicunt: quoniam anima-lia hæc ex putri materia gignuntur, atque adeò cùm præter modũ mul-tiplicantur, putredinem maximam indicant. Sunt qui putent, Vultures biduo, aut triduo in exercitu voli-tantes, naturale eſſe præſagium futu-ręinternecionis: quia Vultures, vt ſcribit Plinius, cadauera futura præ-ſentiunt. Ego verò crediderim, Vul-tures, aut naturali inſtinctu, aut ob-ſeruatione, ex tanta hominum, & equorum multitudine cadauera po-tiùs expectare, quàm præſentire; at-que adeò exercitum potius Vultu-rum aduentum, quàm horum auium volatum cadauera pręſagire. Augu-ria artificioſa ſunt ea, quæ natu-râ ſuâ nihil indicant, ſed duntaxat hominum inſtituto; ac propterea vana ſunt, & ſuperſtitionibus plena. Vt cùm aliquis ſibi malè ominatur, quòd manè inciderit in hominem,

Vulturum augurium. Plin. lib. 10. cap. 6.

Auguria artificioſa.

cineritio colore veſtitum. Aut cùm ſternutamentum, quod caſu contigit, tanquam augurium ſumit, ad ſignificandam veritatem eorum, quæ quiſpiam aſſeruit. Huc etiam pertinent auguria omnia, ex auium garritu, atque volatu, ex pullorum tripudio, ex tremore, extiſque deſumpta, quæ ſupra recenſuimus. Si de diuinis Auguriis ſermo ſit, quæ interdum portenta, atque prodigia nuncupantur, ea profectò nec vana, nec otioſa ſunt; ſed ſummâ Dei ſapientiâ fieri, vel ad inſigne aliquid ſignificandum, vel ad homines deterrendos, atque à vitiis auocandos, credendum eſt. Errant autem quicunque huius generis prodigia, ad fortuitos euentus certò prædicendos, curioſè obſeruant; cùm horum interpretatio à ſolo Deo petenda ſit, qui hominum mentes, ſi quando opus eſt, illuſtrat, & perficit. Sic legi-

Auguria diuina non ſunt vana, ſed eorum interpretatio à Deo pendet.

Danielis cap. 5.

mus Danielem, alioſque prophetas obſcurarum, ac difficillimarum rerum interpretationem diuinitùs accepiſſe. Naturalia etiam auguria, quę certis obſeruationibus, & naturalibus rationibus nituntur, contemnéda non ſunt: nam vt plurimum vera indicant, prudentéſque homines haud paruam ex iis vtilitaté capiunt.

Auguria naturalia non contemnenda.

Auguria verò artificioſa, hominum induſtriâ, aut veriùs dæmonum aſtu excogitata, vt fraudulenta, mẽdacia, & à vera religione aliena, penitus explodenda ſunt. Agã nunc tecũ philoſophicè, vir illuſtriſſime: velim enim, vt rem hãc intentâ mentis acie diſpiciamus. Diſcerem ego libenter ex iſtis, qui Augurum diſciplinam profitentur, vndenam habeãt Auguria, vel Auſpicia hanc ingenitam vim, futuros euentus enunciandi? Eorúmne ſigna tantùm, an etiam cauſæ dicuntur? Signa quidem eſſe non

Auguria artificioſa penitus explodenda.

poſſunt, quæ tanquam effectus proximi indicent effectus remotos, eo modo, quo bona, vel mala vrina, quæ à ſedatis, vel vitiatis humoribus, in ægrotantis corpore exiſtentibus proximè pendet, futuræ ſalutis, aut mortis indicium rectè cenſeri poteſt. Quemnam enim ordinem, aut quam rationem habent auium garritus, atque volatus, vel animalium viſcera ad futuram victoriam, ad interitum, aut ad alium quemuis proſperum, vel infelicem euentum? Si dicat quiſpiam, ſubitam auium formidinem, & improuiſum ex aliquo loco volatum latentes inſidias indicare, annuam: hic enim effectus, qui à nobis tanquam ſignum accipitur, proximam aliquam cauſam habet. Glocitantem autem coruum, cantantem bubonẽ, lupum beſtiam vorantem, aut murẽ quiduis gratum corrodentẽ, futurũ

Auguria non poſsũt eſſe ſigna futurorum euentuum.

morbum, ſanguinis effuſionem, amici mortem, & pecuniæ amiſſioné ſignificare, niſi aliqua inter hæc ipſa naturalis connexio aſſignetur, temerè id arbitror, & abſque ratione dictum eſſe. Sed neque etiam Auguria futurorum euentuum cauſæ dici poſſunt: quomodo enim Aquila, à Deiotaro viſa, in cauſa eſſe potuit, cur tectum caderet? Tantum ne poteſt Aquilæ volatus? At nocte ſequenti corruit. Quid inde? Somniáte me, vt ex itinere frater reuertatur, frater reuerſus eſt; ſomnium ne igitur reuerſionis cauſa fuit? Minimè verò, ſed accidit. Neque igitur Aquilæ volatus cauſa ruinæ fuit, ſed caſu contigit, vt paulò antè quàm tectum rueret, Aquila circa ipſum volitaret. Hincque ſequitur, vt Auguria nulla arte, nulla ratione, ſed caſu, & temerè futura denuncient. Dicunt hîc Augures, caſu quidem Auguria,

Auguria non poſſunt eſſe cauſæ futurorum euentuum.

Augurum reſponſio.

quatenus Auguria ſunt, venturum quippiam ſignificare: ſed quatenus à Luna diriguntur, eſſe effectus quoſdam, qui ſimul cum futuris rebus ab eademmet cauſa proficiſcuntur, quæ eſt motus ipſius Lunę. Eo modo, quo Medici docent, vrinam igneam, & febrem ardentem ab eademmet cauſa pendere, quæ eſt humor bilioſus. Quadraret huc optimè tritum illud Adagium, Quid Lunę cum Cancris? Humor bilioſus eſt quidem proxima cauſa incenſionis vrinę, &, ſi putreſcat, etiam ardentis febris: Luna verò quomodo auium volatus eſt cauſa? An non motus ille voluntarius dicitur? Præterea humor bilioſus, cùm redundat in venis, poteſt febrem ardentem gignere, & vrinam flammeo colore neceſſariò inficit: Luna verò quonam motu tectum demolitur (vt in exemplo Deiotari perſiſtam) aut Confutatio.

qua neceſſitate aquilam eò adducit? Inter corruens tectum, & volantem aquilam quæ affinitas, quæ connexio? Cur cùm Lunæ motus ad regulam factus ſit, non etiam aliæ ædes æquè infirmę, ſæpe corruunt, & ad ruinam prænunciandam aquilæ aduolant? Vehementem cogitationem perſonę auſpicantis, dicunt alij, qua rem ſibi obiectam in Augurium accipit, pręcipuam futuri euentus cauſam exiſtere. At hoc ridiculum, quãdoquidem cogitatio ex communi Philoſophorum conſenſione, extra eum, qui cogitat, nullam prorſus efficacitatem habet. Dum quis ambulat ſuper trabem, ſi cogitat, facilè cadit, quia cogitatio ambulanti intima eſt, in eóque timorem excitat, cui caſus adſcribitur. At verò ſi alicuipiam domo egredienti, ſerpens, aut coruus obuiam fiat, hiſque in augurium acceptis, cogitet ille, ſeà

Auguria non mouentur à cogitatione.

Lege epiſt. 13 lib. 4. huius.

latronibus, vel ab inimicis iniuriam accepturũ; intelligere certè nequeo, quonam pacto cogitationis vis, ab illis animalibus excitata, ad latrones, & inimicos peruenire poſſit. Multùm intereſt, inquiunt alij, vtrum res auguralis à dextra Cæli parte ſit, an à ſiniſtra. Sed hoc modo ſolâ mutatione ſitus, ventura incommoda declinare facillimum eſſet: quod enim tibi nunc dextrum eſt, ſi te vertas, fiet ſtatim ſiniſtrum. Huc accedit, quòd dextrum, & ſiniſtrum apud Philoſophos reſpect⁹ quidã ſunt, ſeu, vt ipſi vocant, relationes, in quibus nulla prorſus ineſt efficiendi vis. At ſi nulla eſt vis, aiunt Aſtrologi, in relationibus iſtis, maxima tamen ineſt in beneficis, aut maleficis ſtellis, quæ Augurij tempore in dextra, vel ſiniſtra Cæli parte reperiuntur. Quid? Continet-ne Cælum beneficas, & maleficas ſtellas? Somniant profectò

Dextrum, & ſiniſtrum in Auguriis nullam habent vim.

Auguria nõ mouentur à Stellis.

Aſtrologi, dum Iouem, & Venerem benigna ſidera vocant; Saturnum, & Martem immania, & importuna. Aſtra enim omnia, vt aliâs cumulatiſſimè patefeci, duntaxat vt vniuerſalia quædam agentia ad totius mundi procreationem, & conſeruationẽ concurrunt: nihil tamen habent, quod ſingularibus rebus, ac præſertim hominibus, qui in agendo liberi ſunt, priuatim inſtillent. Sed fac habere, contingentes nihilominus ſunt in humanis rebus eorum actiones; ac propterea ſi quid virium ab illis Auguria accipiunt, nihil ex eis certò prædici poterit, ſed ſolùm caſu, temerè, & contingenter. Quid ſi à Geniis excitentur Auguria? Non eſt hoc philoſophicè dictum; cùm nondum conſtet, Genios exſtare, immò grauiſſimi Philoſophi cenſuerunt, cuiuſcunque genium nihil aliud eſſe, quàm ipſammet animam rationa-

Lib. 4. huius epiſt. 1.

D. Tho. opuſcul. de ſortibus.

Auguriā nō mouentur à Geniis.

lem, ad rem quampiam propenſionem habentem. Ab Angelis fortaſſe id fiet? Multò minus: Ecquis enim credat, Angelorum miniſteria in hiſce ſuperſtitionibus adhiberi? Non deſunt certè alij modi, quibus longè aptiùs hominum mentes illuſtrent. A Deo igitur. At nimis otioſum, & puſillæ rei miniſtrum illum facimus, ait Seneca, ſi aliis ſomnia, aliis exta diſponat. Vel, vt ait Varro, ſi ſua conſilia Corniculæ credat, hominibus indicanda. Sed præterea etiam ſordidum, ſi in iecorum, & viſcerum ſterquiliniis mentis ſuæ rationes occultet. Quid aliud ergo reſtat, niſi, vt concludamus, huius generis Auguria Dæmonum eſſe inuenta, hominumque cum ipſis fœdera, & ſocietates præ ſe ferre? Præſentiunt enim Dæmones nonnulla, cùm ex magna rerum experientia, tùm ex naturalium corporum peritia: ſique

Auguria nõ mouentur ab Angelis.

Auguria nõ mouentur à Deo.

Seneca lib. 2. Nat. Quæſt. c. 32.

Auguria artificioſa à Dæmonib⁹ inuenta.

Aug. lib. 2. de Doct. Chriſt.

Poſſeu. lib. 10. Biblioт. c. 5.

ſors tulerit, vt aliquando diuinent, opportunam tunc occaſionem nanciſcuntur hominibus ſuadendi, ſe rerum omnium futurarum conſcios eſſe; cùm tamen ea tantùm præcognoſcant, quæ naturalibus coniecturis ſciri, vel ab homine poſſunt. Qui igitur ex ligneis, vel marmoreis ſimulachris, ex puteis, profundiſque ſpeciebus reſponſa dare conſueuerunt; iidem auium garritu, atque volatu, pullorum tripudio, ſternutamentis, partium corporis palpitationibus, beſtiarum occurſu, variiſque extorum mutationibus, conceptiones animi ſui iam condocefactis hominibus manifeſtant. Notum erat Dæmoni coniuratorum aduerſus Cæſarem conſilium: propterea mirum non fuit, ſi eo ipſo die, quo interfectus eſt, ad eius necem indicandam, cor bis in opimis bobus defecerit. Nempe ipſemet ſubtraxerat, &

Dæmonum verſutia in Auguriis.

Iul. Obſeq. de Prodig.

occultauerat: qui enim boues ſine corde vixiſſent? Caſu præterea volauit aquila ſupra tectum Deiotari; idque Rex, iam ſatis eruditus, in Augurium accepit: Dæmon autem ad eius fidem augendam, & roborandam, ſpontè, opinor, propriaque vi tectũ decuſſit, & ſolo æquauit. Coruus etiã ille, qui in Ciceronis conſpectu, cùm in Villa Caietana eſſet, horologij ferrum, loco motum, excuſſit, protinuſque ad ipſum tetendit, quid aliud, quàm Dæmon fuit, qui imminentẽ ei mortem Auſpicio prædici curauit? Sexcenta adderem exempla, Dæmonum verſutiam in hiſce Auguriis oſtendentia, niſi ad virum ſcriberem, cui vel pauca ſufficiunt. Romanorum plebs vana hac religione adeò imbuta erat, vt nihil publicè ſine auſpiciis, nec domi, nec militię gereretur: quinimmò auſpicia ſpernere, peccatum grauiſſimũ cenſebatur.

Val. Max. lib. 1.

Romanorum plebs Auguriis dedita.

Graues tamen, ſapienteſque Senatores ea ipſa omninò ridebant, & ſimulata duntaxat veneratione colebant: expediebat enim Reipublicæ, ad vulgi opinionem multà facere, ne patrius mos repudiari, contemnique religio videretur. Cicero ex Augurum collegio fuit; Auguriorum tamen, vt ex iis, quæ ſcripſit, elicitur, acerrimum inimicum ſe præbuit. Inuehens enim contra præcipuum eorum autorem, Quiſnam erat, inquit, Tages ille, qui primus Hetruſcos Aruſpicinam docuit, Deus ne quiſpiam, an homo? Si Deus, cur ſe contra naturam in terram abdiderat, vt bubulci patefactus aratro, è terra prodierit? Nonne è ſuperiore loco diſciplinam Deus hominibus tradere potuit? Si homo, quonam modo terra oppreſſus viuere potuit? Vel vnde potuit illa, quæ alios doceat, didiciſſe? Rurſus Nonio cuidã, optimam

Cicero Augur fuit, ſed auguria contempſit. *Lege lib. de Diuin.*

optimam ſpem ex ſeptem Aquilis in Caſtris Pompeij captis auguranti, Cicero deridendo dixit, rectè moneres; ſi aduerſus picas nobis pugnãdum foret. Ex gallorum etiam gallinaceorum cantu vates alius augurium acceperat, quo Thebanis victoriam prædixerat. Magnum certè oſtentum, ait Cicero, quaſi piſces, & non galli cecinerint. Huic non abſimilis fuit reſponſio cuiuſdam portentorum interpretis, cui cùm tanquam oſtentum relatum eſſet, quòd anguis domi vectem circumuectus fuiſſet; tunc eſſet, inquit, oſtentum, ſi anguem vectis circumplicaſſet. Publius Claudius, cùm prælium nauale committere vellet, auſpiciaque more maiorum petiiſſet, & pullarius non exire pullos cauea nunciaſſet, abiici eos in mare iuſſit, dicens, Quia eſſe nolunt, bibant. Epaminondas, cùm eo ipſo die, quo caſtra motu-

Val. Max. lib. 1. cap. 4.

Plut. in Apophte.

rus eſſet, contraria auguria apparuiſſent, quorum alterum cladem, alterum victoriam denunciabat, ſuſpẽſóque animo milites vidiſſet, auguria ſpernens, ait, Bono animo, milites, victoria in manibus eſt, ſi hoſtem fortiter aggrediemini: deſperata autem res, niſi ordinem in acie tenueritis, ducibuſque obtemperaueritis. Si igitur vel gentiles ipſi, quibus nõdum vera religio nota erat, Auguria tanquam vana, & anilia contempſerunt, nec vnquam portenti loco acceperunt, ſi id factum eſt, quod fieri poterat; quantò magis nos eadem deteſtari debebimus, quibus Dęmonum fallaciæ iam ſatis exploratæ ſunt, atque per Chriſtum Seruatorem noſtrum lux ipſa veritatis affulſit? Miror ſanè, ex noſtris hominibus multos, alioquin prudentes, tantam hiſce ineptiis fidem habere, vt interdum aurium tinnitui, & fulmi-

Multorum leuitas.

nis ictui, ad eorum ſenſum quippiā indicanti, quàm rationi, & amicorum conſilio, in aduerſam partem trahenti, plus credant. Quidni credendum, dicet aliquis, ſi quæ Auguriis præſentiuntur, diuturna obſeruatione notantur? Heu infelices, quotnam à veteribus ſcriptoribus commemorantur, qui cùm Auguriis paruiſſent, miſerè perierunt? Q. Mutius Scęuola, Augur eminentiſſimus, nonne, pręter ſpem, quam ipſe de ſuis Auguriis habebat, in templo Veſtę à Syllę carnificibus interfectus eſt? Quem finem ſortitus eſt Nero, qui tot, tantaque ſibimetipſi ex Auguriis pollicebatur? Apparuit noctu phantaſma, dicet alius, Luna exiſtente in Tauro, & proximo die, iuxta Augurum monita, pecunias exegi. Sed quoties, cùm nullum apparuiſſet phantaſma, pecunias exegiſti, aut quoties phantaſma apparuit,

Auguriorū fūdamētū ex obſeruatione ſumptū deſtruitur.

cùm pecunias non exegeris? Infantia certè eſt, &, vt Cicero ait, magna ſtultitia, rerum cauſa non quærere, & multos effectus ignotis, aut fictis autoribus adſcribere. Duo autem ſapientes ſunt, qui morbum optimè curare valent, Philoſophus, & Theologus: ille caſu, hic Dæmonum vi. In mactatis hoſtiis reperta ſunt viſcera putrida, volauit Aquila, crocitauit Coruus, obuiam factus eſt ſerpens, fulmen deiectum eſt: hinc nullum Augurium, diceret Philoſophus, ſed omnia caſu. At extra omnia penitus defecerunt, cotem nouacula ſcidit, Virgo Veſtalis in ſuæ pudicitiæ teſtimonium, cribro aquam ex Tyberi hauſit; bruta animantia, & ſtatuę locutæ ſunt: nullum hinc præſagiũ, diceret Theologus, ſed omnia à Dæmonibus, qui, Dei gloriæ ęmulis, illuſionibus variis mortalium mentes irretiunt. Deus antem cùm Dæ-

Philoſophi, & Theologi Auguriis fidem abrogant.

Aug. 10 *de Ciu. cap.* 16.

Auguriorũ vſus inter-

monum aſtutiam, tùm hominum imbecillitatem, atque ad mala procliuitatem pręcognoſcens, haud ſemel in veteri teſtamento Auguriorum vſum, & obſeruationem vetuit. Quem poſtea Romanorum Pontificum, atque Imperatorum leges, grauiſſima ſupplicia in reos decernentes, interdixerunt. At enim nobis hîc aliquis inſtabit cur Auguriorum vſus interdictus dicetur, cùm in ſacris literis legamus, Ioſeph in ſcypho, in quo bibebat, augurari ſolitum eſſe, atque adeò ipſummet fratribus dixiſſe, *An ignoratis, quòd non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?* Nonne etiam Augurio vſus eſt Eliſęus, qui cùm grauius ęgrotaret, Ioe, Regi Iſrael, prænunciauit futurum, vt ter Syriam vinceret, eò quòd terram ter iaculo percuſſiſſet. Quêadmodum ergo Calchas Agamemnoni, ex paſſerum numero anno-

dictus. Leu. 19. Deut. 18. c ſi quis. c auguriis 26 q. 5. l. nullus. l. nemo C. de mal. & Math.

Inſtantiæ pro Auguriis.

Geneſ. c. 44.

Lib. 4. Reg. cap. 13.

rum belli Troiani numerum prędixit; ita Eliſæus Regi Iſraël, ex iaculationum numero victoriarum numerum præmonſtrauit. Hæc diluere perquam facile eſt. Non enim Ioſeph Augur re vera fuit, ſed prophetiæ donum à Deo accepit, Augurque ab Ægyptiis credebatur: fratribus autem ſimulanter dixit, ſe peritum augurij, vt eos magis terreret, ac alium ſeſe eſſe fingeret. Eliſæus verò nullum certè ex iaculorum numero Augurium accepit: ſed diuino præmonitu toties Regem victurum eſſe prædixit, quoties terram iaculo percuſſiſſet. De Auguriis plura quidem in præſens non ſuppetunt. Vale interim, vir illuſtriſſime, meque in numero tuorum habere perge. Patauij, VII. Kalendas Nouembris. M. DC XVII.

Solutio. *Lege Valeſium. lib. de ſacr. Phil. cap. 30.*

Franciſco Soncino, Canonico Patauino.

EPISTOLA X.

De Somniis.

GEORGIVS GENNARVS Brixienſis, pernecesſarius noſter, cænauit mecum ſuperioribus diebus, in ſuburbano, quod non ita pridem animi relaxandi gratiâ conduxi. Poſt cœnam in varios ſermones incidimus, & colloquiorum ſuauitate perfuſi, ad multam noctem vigilauimus. Tandem cubitum iuimus, manéque poſt Solis exortum ſimul experrecti, quæ per ſomnium vidimus viciſſim narrare cæpimus. Horrenda ille, & terribilia monſtra videre ſibi viſus eſt: rugientes prætereà leones, tigridéſque ſæuiſſimas,

Mandriola Suburbanū Patauinum, vbi Autor varia ſcripſit.

Diuerſi generis ſomnia.

agnos, & vitulos dilaniantes; ſauciatos homines, grauibuſque vulneribus exanimatos. Mihi placida, & iucunda apparuerunt multa: vineta, horti, viridaria prata, in quincuncem diſpoſitæ arbores, ſtillantes è fontibus aquæ, & id genus alia. Ex me autem illi de horum ſomniorum varietatis cauſa percontanti, cibos eſſe reſpondi, aut alicuius humoris redundantiam, aut frequentem interdiu de re aliqua meditationem. Ego nunc rebus ruſticis plane ſum addictus; ſecundum ſtudia, prope nihil aliud tracto: quid mirum, ſi dormienti mihi illarum rerum obuerſentur imagines, de quibus ſæpè vigilans cogitaui? In eo fortaſſe flauæ, vel atræ bilis exceſſus aliquis inerat; propterea eius generis ſomniis ſtimulatus eſt. Næ, inquit, admirabilis eſt Somniorum contemplatio, quippe quæ animi noſtri immorta-

Somnia vnde oriantur.

Somniorũ admirabilis contemplatio.

litatis, & cuiuſdam quaſi diuinitatis certiſſima ſint indicia. Vtinam nobis alicuius coniectoris copia fieret, vt ſomniorum noſtrorum interpretationem intelligeremus. Tum ego, Nimium ſibi ipſis applauderent Atheis, ſi ex ſomniis animus noſter immortalitatis ſuæ, atque diuinitatis argumentum peteret, cùm bruta quoque animantia, prçſertim equos, canes, boues, capras, oues, & omne genus viuiparum ſomniare, manifeſtum ſit. Somniorum autem coniectores tantum apud me fidei, atque autoritatis habent, quantum Aſtrologi, Phyſiognomi, Chiromãtę, Geomantæ, aliique huius generis nebulones, vt illorum interpretationibus omnino non ſit opus. Ego verò, ſubdit ille, ſomniorum interpretationem, velut diuinitus conceſſam, & pervtilem, atque inter cætera diuinationum genera admirandam

Non ſolùm homines, verùm etiã bruta quçdam animãtia ſomniant.

Ariſt lib. 4. de Hiſt. an. cap. 10.

Somniorũ coniectores, vt cæteros vates parui æſtimat Autor.

ſemper exiſtimaui, maximè cum in Lege Dei, & in Philoſophorum ſcholis, celeberrima ſit. In veteri nãque teſtamento Ioſephum, & Danielem efferunt, tanquam ſomniorum interpretes præclariſſimos. Magi etiam Euangelici ſomnio moniti, Herodis vim effugerunt, & Chriſtus in Ægyptum tranſlatus eſt. Romani, vt ex eorum monumentis paſſim cõſtat, ſomniorum obſeruationem, vt religioſam coluerunt. Apud Chaldæos, Arabes, & Ægyptios maximè in vſu fuit. Sed & Braſilienſes Indi in expeditionibus ſomnia diligenter obſeruant: Si enim hoſtium carnes ſe torrere ſomniarint, proſpera cuncta; ſin contrà ſuas ab hoſtibus, aduerſa ſibi futura prænunciant. Philoſophi denique omnes, Pythagorici, Academici, Stoïci, Peripatetici, qui in rebus cęteris adeò diſcordes ſunt, ne de hoc vno conſentiunt eſſe quã-

Rationes pro Somniis infra diluendæ.

Cardanus lib. 1. Somn. Syneſ. cap. 1.

Val. Max. lib. 1. cap. 7.

Braſilienſium ſomnia.

Io. Stadius lib. 2. Hiſt. Braſil. c. 27.

Epicurus, Metrodorus, Xenophanes, quibus Cic. ſomniis nihil tribuerunt.

Perer. de obſeruat. Somn. 99.

dam per ſomnium diuinationẽ? Animaduerti ſtatim eius propoſitũ: agnoui quid exigeret tantus rationum apparatus: ſed res tractatu difficillima non erat curſim abſoluenda. Diuinationem eſſe aliquam in ſomno, vt Ariſtoteles ait, neque pertinaciter eſt negandum, neque temerè aſſentiendũ: varia tamen ſomnia ſunt atque interpretationes, vt lõga meditatione, acrique diſquiſitione ei opus ſit, qui hac de re ſubtiliter, & enucleatè velit dicere. Ideo ſermone hoc, in quem incideramus, intermiſſo, pollicitus ſum, maiore otio, me in eius gratiam totam ſomniorum quæſtionem breui commentatione concluſurum: quò faciliùs, & vno intuitu, quid veri, aut falſi ab autoribus variis ſcriptum eſſet, intelligeret. Arriſit illi meũ hoc inſtitutum, ob eam præcipuè rationem, vt commodam hinc occaſionem captaret, de ſomniis

Ariſt. lib. de diuin. per ſomn.

tecum, vir humaniſſime, atque religioſiſſime diſſerendi: quarum diſſertationum te valdè ſtudioſum eſſe cognouit. Gratã præterea rẽ me tibi facturum ſignificauit, ſi quæ de sõniis ſcribere decreui, ad te primùm miſiſſem. Mihi autem quid iucũdius vnquam accidere potuit, quàm tecum per literas colloqui, & ſingularem meam in te beneuolentiam hoc munuſculo patefacere? Hilaris igitur ad opus aggredior, rem ſanè arduam atque difficilem, ſed tamen vtilem, & oblectationis plenam, paucis explicaturus. Homo (vt hinc ſumam huiuſce tractationis exordium) rationis, conſiliique particeps, ad mundi contemplationem, & Dei conditoris ſui imitationem natus eſt: ideò feriatur nunquam, ſed totus in actione, aut in contemplatione poſitus, vitam traducit. Animal tamen eſt, ſenſibus præditum, & naturam patibilem ha-

Somniorũ materia difficilis, ſed tamen vtilis, & oblectationis plena.

Lege Epiſt. 1. lib. 1. Moral.

bens: quo fit, vt ſine cura, atque aſſiduo labore nihil agere queat. Perfugium autem omnium laborum, & ſolicitudinum ſomnus eſt: qui vitæ, & animę otium, tàm ſtudioſę, quàm vitioſę ab Ariſtotele nuncupatur. Obrepit hîc, vaporibus à corde ad cerebrum ſublatis, atque ab eodem refrigeratis; tuncque animus curis vacuus, ſi ſomnus eſt grauis, ex Zenonis ſententia, contrahitur, & quaſi labitur, atque concidit. Sin minus, vacant quidem ab opere exteriores ſenſus, interiores non item: tunc enim comminiſcimur, & ſpectra varia inuicem copulamus; quinimmò interdum etiam ratiocinamur, ab idolis percita intellectus facultate. Hinc ſomnium oritur, ideo à natura datum, quia vt mens per diem veris viſionibus auocatur, ne obdormiat; ita noctu falſis arcetur, ne excitari celeriùs queat. Id ſi latè accipia-

Somnus omnium laborum perfugium, & vitæ otiū.
Cic. de Diu.
Ariſt. 1. *Mor. Nicom. cap.* 13.

Somnus vnde oriatur.
Ariſt. lib. de Somno, & vigil. cap. 5.

Somnium cur à natura datum.
Rhodig. lib. 4. *cap.* 40.

Somnii ſpecies variæ. tur,in Somnium, viſum, oraculum, inſomnium,&ſpectrum à Macrobio diſtinguitur. *Macrob. lib 1. de Somn. Scipio.* Artemidorus verò has quinque ſpecies ad duas tantùm, videlicet ad inſomnium, & ſomnium reuocauit. *Artem lib 1. c. 2.* Sub inſomnio ſpectrum, ſub ſomnio viſum, & oraculum cõprehendit. Somnium futura, inſomniũ præſentia ſignificare perhibuit. Inſomnium, & Spectrum, ait Macrobius, falſa cùm ſint, interpretatione non egent: tria reliqua Vates interpretantur. Oraculum. Oraculum appellat, cùm in Somniis aliquid nobis denunciat. Somnium. Somnium, quod figuris tegitur, & velatur ambagibus, nõniſi interpretationibus intelligendum. Viſum. Viſum, cùm id quis videt, quod eodem modo, quo apparuerat, euenit. Inſomnium. Inſomnium, cùm aut inediâ feſſi, aut ciborum onere ſtimulati, aut curis, vel morbo vexati, in varias chimæras incidimus. Spectrum. Spectrum quod partus

quidam eſt facultatis fictricis, dum ſuopte impetu in ea fertur, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt. Non expedit nobis rem adeò minutè concidere: ſatis erit, ſi de Somniis vniuersè diſputauerimus, atque eorum cauſas, &, ſi quæ ſunt, ſignificationes exprompſerimus. Dum corpus dormit, anima vigilat, dicebat olim Hippocrates; propterea ſæpè accidit, vt cœpta interdiu de rebus agendis cogitatio per ſomnum continuetur, animáque in ſomniis diuerſarum rerum imagines tractet, iis ſimillimas, quæ in nubibus figurantur, quæque citò ob variam mutationem euaneſcunt. Hinc perbellè Gregorius Nyſſenus ſomnia Cytharæ comparauit, cuius fides, ceſſante manus impulſu, adhuc modicum extrema motione trepidant, ac tinniunt. Somnium igitur ab Artemidoro, aliiſque huius claſſis auto-

Hippocrates lib. de inſomniis.

Somnia ſimillima Cytharę.

Greg. Nyſſ. lib. de homini. opific.

Somnii definitio.

ribus, ita definitur, vt ſit motus animæ varius, bonum, aut malum futurum prenuncians. Locus, vbi ſomnia fiunt, memoria eſt: nam omne ſomnium recordatio eſt. Materia ſunt ſpecies variæ rerum ſenſibiliũ; in memoria conſeruatæ. Forma eſt illa, quæ ex multiplici ſpecierum copulatione conſurgit. Efficiens proximum facultas fictrix. Inſtrumentum præcipuum moderatus ſpirituum motus: *Somnus* enim eſt quies ſpirituum, vigilia motus vehemens, *Somnium* motus leuis. Efficiens remotum, à quo videlicet impelluntur ſpiritus, & fictrix facultas excitatur, aut intimum eſt ſomnianti, aut extimum. Intimum eſt multiplex: nam & aſſumpti cibi, & prædominantes humores, & animi affectus, & diurnæ cogitationes id muneris obire poſſunt. Extimum aut corporeum eſt, aut incorporeũ.

Somniorũ locus, & cauſæ.

Corporeum

Corporeum ambientem aërem, & cæleſtia corpora comprehendit. Incorporeum Deum, Angelos, & Dæmones. Somniorum finis, vt eiſdem autoribus placuit, eſt bonorum, aut malorum euentuum indicatio. Has puto ſomniorum cauſas eſſe per ſe: quamuis eorum multa pariat fortuitus in quiete phantaſmatum motus, & temeraria imaginum concurſatio. Cibos eſſe quoſdam, qui vim habent excitandi ſomnia, arbitror te non latere: in his cæpe, caput polypi, caules, ozimum, coriandrum, mandragora, vinum craſſum, & copioſum, leguminum omne genus, & fabæ præſertim, aliique huiuſcemodi numerantur, qui ſomnum prouocant, & atram bilem generant. Ideò monet Plutarchus, autumnalibus ſomniis nullam fidem habendam eſſe: quoniam recentes, & humore turgidi, qui eo tempore comeduntur, vt

Somnia à cibis. *Lege Plut. lib. de aud. Poe.*

Somniis autumnalibus nulla fides habenda. *Plut Sympoſ 8. 9. 10.*

Ariſtoteles docet, multum, turbulentumque ſpiritum in corpore gignunt. De humoribus perſpicua res eſt: namque ſanguinei hortos, conuiuia, choræas, complexus, & læta omnia ſomniāt. Phlegmatici aquas, nauigationes, ſubmerſiones, grauātia onera. Bilioſi rixas, pugnas, incendia. Melancholici fumos, caliginem, tenebras. His frequentia viſa, & ſomnia offeruntur, atque vt plurimum veracia, ob frequentem vſum facultatis cogitatricis, atque ad ſpectra varia conuerſionem. Hinc vetus illud adagiū, Si ſæpè iactaueris, quādoq; Venerem iacies. Differunt autem sōnia, quæ à cibis, & ſomnia, quę ab humoribus oriuntur: hæc enim minùs perturbata ſunt, minore impetu fiūt, & ſpecies habent magis conſtantes: illa verò confuſa, imperfecta, varia, & turbulenta. Sed & ab affectibus vehementibus ſomnia gignūtur, ſunt-

Somnia ab humoribus.

Mart. Delr. lib. 4 cap. 3. q. 6.

Plut. lib. de Orat. def.

Vetus adagium.

Somnia ab affectibus.

Card. lib. 1. de Somn. c. 3.

que ſeptem præcipui, ad quos cæteri reuocantur, timor, ſpes, lætitia, triſtitia, ira, odium, & amor. Diurnas cogitationes, & conſeruatas imagines ſomnia quamplurima parere, notius eſt, quã vt probatione indigeat: quoties enim interdiu acta negotia noctu in sõniis repetuntur? quoties tibi dormiẽti ea ipſa occurrerũt, quæ vigilans dieb⁹ pluribus cõcupiſti? Porrò & ab ambiẽte aëre, & à cęleſtibus corporibus sõnia effici, nõ eſt probatu difficile. Nãq; in aëre ſunt ſpecies impreſſę, à quib⁹ cogitandi facultas, organo affixa corporeo affici facilè poteſt. Mitto hîc Platonicorũ ſentẽtiã, dicẽtiũ circunſtantẽ aërẽ immortalium animorum plenũ eſſe, à quibus animus noſter in sõno de rebus futuris multis modis inſtruitur: immortales autem animos Dæmones eſſe, ad quos animus noſter, tanquã ad ſui generis ſimiles egreditur:

Somnia à diurnis cogitationibus. *Eccl. cap. 5.*

Somnia ab ambiente aëre.

Platonicorũ opinio. *Lege Sirenitũ. lib. 9. de Fato. cap. 26.*

Somnia à corporibus cæleſtibus. *Rhodig lib. 14. cap. 40.*

nam de his paulò infra. Cæleſtia verò corpora vt vim habent in præparatam materiam formas varias, lapidũ, metallorum, herbarum, & aliarum rerum imprimendi; ita dum ſuo influxu fictricem facultatem attingunt, ſpectra varia effingere, debitamque ſomniis materiam ſuppeditare dicuntur. A Deo ſomnia vlla eſſe Ariſtoteles negauit; alij tamen Philoſophi apertiſſimè conceſſerunt, prȩſertim Triſmegiſtus: qui docuit, Deum noctu per ſomnia, & interdiu crebrius per portenta cum probis hominibus congredi, vt futura prȩnuncient. Et hȩc fortaſſe ratio fuit, cur Homerus ſomnium Iouis nuncium appellauerit. Hoc idem teſtantur Sacræ literȩ: Deus enim loquens cum populo ſuo ait: *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores ſomnia ſomniabunt.*

Somnia à Deo. *Triſmeg. in Pimand.*

Ioel. 2 Act. 2.

Rurſus ait Deus: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, apparebo illi in viſione, aut per ſomnium loquar ad illum.* Legimus præterea, interdum ſolam viſionem datam eſſe, vt Pharaoni, aliquando ſolam interpretationem, vt Ioſepho, nonnunquam vtramque, vt Danieli. Somnia enim à Deo tàm probis, quàm improbis hominibus, vt plurimum clara, ſed aliquando etiam obſcura mittuntur, prout diuinæ eius ſapientiæ magis opportunum videtur. Salomon etiã prȩcepit, ne ſomniis omnibus indiſcriminatim crederemus, dum ait: *Niſi à Domino miſſa fuerit viſitatio, ne des in ſomniis cor tuum.* Quibus verbis nonne apertè ſignificauit, aliqua ſaltem ſomnia à Deo hominibus dari, eorum animos mirabiliter viſitante? Ab Angelis denique tàm bonis, quàm malis, ſomnia frequenter induci, nemo eſt, qui ambigat: cùm

Num. 12.

Somnia modò clara, modò obſcura tã probis, quã improbis hominibus à Deo mittuntur.

Eccleſiaſt. 34.

Somnia ab Angelis, atque Dæmonibus.

genera, vt totã eorum materiam ad præcipua capita redigamus, Naturalia, Diuina, & Dæmoniaca, de quibus ſingillatim diſſerendum eſt. Illud autem præcipuè excutiendum, vtilisne eorum obſeruatio ſit, adeò vt quippiam ex eis coniectare, aut prædicere liceat? Gennarus noſter omnes adducebat Philoſophos, tanquam pro ſe loquentes, & diuinationem per ſomnium admittentes: ego verò in diuerſam illos abire ſententiam reperio. Namque Protagoras, & Stoici ferè omnes, quibus Artemidorus, Cardanus, & alij recentiores ſubſcripſerunt, neceſſariò aliquid ſignificare ſomnia exiſtimarunt. Contrà verò Xenophanes Colophonius, & Epicurei ſomnia penitus contempſerunt, nihilque ex eis certò prædici poſſe cenſuerunt. Eorum autem argu-

Somniorũ genera tria. *D. Gregor. 8. Mor. cap. 13. & 4. Dial. cap. 48.*

Stoicorum & Epicureorum ſentẽtiæ diuerſæ de ſomniorum ſignificationibus.

Epicureorũ argumentũ præcipuum contra Sõnia.

Perer. de Somn. obſer. q.1.

mentum prçcipuum illud erat, ſi quædam ſunt vera ſomnia; habere illa certas cauſas neceſſe eſt: aut ergo naturam, aut Deum. Non Deum, quia indignum videtur, Deum obire lectos dormientium, & ſtertentibus potiùs, quàm vigilantibus viſa dare, ſuaque conſilia aperire. Neque naturam, quia natura amica eſt ordinis, in ſomniis autem nullus eſt ordo, ſed incerta omnia & indigeſta. Dicam liberè quid ſentiam. Neque omnibus ſomniis eſt fides præſtanda, neque omnibus abroganda, ſed aliquis eorum delectus habendus.

Naturalium quorumdã Somniorũ obſeruatio vtilis.

Etenim Somniorum, quç ab interiore cauſa proficiſcuntur, & illa quidem non animali, ſed naturali, non inanis ſolet eſſe diuinatio, quemadmodum quotidiana experientia docet. Namque Medici frequenter ex ægrotantium ſomniis indicium ſumunt redundantis humoris: &

quemadmodum ex floribus, tanquam ex ſimulachris fore fructus coniicimus; ita ex quibuſdam imaginibus, ab exiſtentibus cauſis impreſſis, res aliquas futuras prænunciamus. Scribit Galenus, quendam, cũ alterum crus lapideum ſibi factum ſomniaſſet, mox ea corporis parte paralyticum extitiſſe. Et Plinius narrat, Cornelium Ruffum dormientem, oculorum viſum amiſiſſe, cùm id ſibi accidere ſomniaret. Nonne iis etiam, qui ſemine abundant, dum dormiunt, ſpectra varia obiiciuntur, mulieres, actuſque venereos repræſentantia? Aut qui turgidam habent veſicam, mingere ſe ſomniant? Interiores quædam motiones ſunt iſtę, quas animæ in res corporeas dominatus excitat, & rurſus cognatio illa, atque conſenſus, qui inter cogitandi vim, cæteraſque animę facultates intercedit. At verò ſi ſomniorum cau-

Galenus lib. de præſag. ex ſomniis.

Plin lib. 7. cap 50.

Naturaliũ quorumdã Somniorũ obſeruatio inutilis. *Ariſt. lib. de Diuin. per ſomn.*

ſa dormienti quidem intima ſit, ſed tamen animalis; cùm huiuſmodi ſomnia, teſte Ariſtotele, cogitationum, locutionum, & cupiditatum præcedentium veluti reliquiæ ſint, eorum obſeruatio inanis omninò cenſetur: & de his fortaſsè dictum illud Catoni adſcriptum intelligendum eſt, *Somnia ne cures.* Hæc enim futurarum rerum neque cauſæ, neque ſigna ſunt, ſed ſi veri quippiam accidit, hoc & caſu contigit, veluti cùm quis ſomniat ſe in inimicum incidere, & incidit. Idem dicendum puto de ſomniis illis, quæ ab exteriore cauſa proficiſcuntur, ſiue imagines in dormientis memoriam ab ambiente aëre inferantur, ſiue eædem à corporibus cæleſtibus quoquo modo imprimãtur. Nulla enim certa diuinatio hinc ſumi poteſt, ſed argumentum duntaxat aliquod firmitatis facultatis fictricis, quæ ne in

Somniorũ quæ ab ambiente aëre, vel à cæleſtibus corporibus fiũt, nulla certa diuinatio.

ſomno quidem feriatur, ſed extrinſecus excitata, res interdum admirabiles effingit. Huius generis fortaſſe fuit ſomnium illud Aſtyagis Medorum Regis, qui ſomniauit, vrinam Mandanæ filiæ ſuæ totam Aſiam inundare; & ex muliebribus eiuſdem vites naſci, quæ latis diffuſæ ramis Aſiam itidem obumbrarent. Coniectores dicerent, ſomnium hoc Cyri natiuitatem prænunciaſſe: at certè nullo fundamento ſubnixi, nec vlla naturali ratione adducti. Sed Cyrus nihilominus ex ea natus eſt, qui totam Aſiam occupauit. Fateor id quidem, non tamen vi ſomnij, ſed peritiâ, induſtriâ, fortunâ. Huic haud abſimile fuit Iulij Cæſaris ſomnium, qui cùm apud Alexandri Macedonis ſtatuam ingemuiſſet, quaſi ea ætate nihil adhuc inſigne feciſſet,

Somnium Aſtyagis. *Lege Sirenīū vbi ſupra.*

Somnium Iulij Cæſaris. *Card. lib. 4. Somn. cap. 3.*

quæ Alexander Orbis imperio potitus erat; ſequenti nocte ſomniauit, ſe matri ſtuprum intuliſſe: quo ſomnio interpretes, terram omnium parentem, ſubiectam illi fore ſignificarũt. Equidem niſi cum ſpiritu illo phantaſtico, animæ idolo, quem Syneſius Platonicus ingenioſè magis, quàm verè commentus eſt, coniectores illi, familiaritatem aliquam habuerint, neſcio vndenam eiuſmodi interpretationem elicuerint: cùm aliis quoque idem fortaſſe ſomnium accidere potuerit, qui nunquam tamen imperarint. Sed hac de re cumulatiùs infra. Optanda nobis eſſet gemma illa, Eumetris appellata, apud Bactros naſcens, ſilici perſimilis, quæ capiti ſuppoſita, vt autor eſt Plinius, nocturna viſa ad oraculi ſimilitudinem reddit. Non enim ſatis capio, quonam pacto fortuitus ille phantaſmatum concurſus à prædictis cau-

Eumetris gemma vera ſomnia oſtendens. *Plin. lib. 37. cap. 12. Card. lib. 1. cap. 9.*

ſis excitatus, natura ſua in huiuſcemodi futurorum, contingentium notitiam nos deducere poſſit. Cardanus iactat ſe ſe illam gemmam habuiſſe, quę læta ſibi ſomnia frequenter oſtenderit: ego autem id tum credam, cùm expertus fuero. Interim Homero aſſentior, qui naturalium ſomniorum quædam vera, quædam falſa eſſe perhibuit: his eburneam, illis corneam portam aſſignauit, fortaſſe quia cornu arte perlucidum reddi poteſt, itaut per illud res commodè videantur, ebur non item. Somnia verò diuina, quæ bonorum Angelorum miniſterio nobis ſuggeruntur, dummodo diuina eſſe conſtet, non ſolùm obſeruare licet, ſed expedit. Ideo enim à Deo mittuntur, vt iis nos moneat, doceat, à malo auocet, atque ad bonum alliciat. *Horum autem interpretatio non omnibus conceſſa eſt, ſed iis tã-

Duæ portæ Somno adſcriptæ. *Homer. 19. Odyſſ. Virg. 6. Aeneid. explicationẽ lege apud Macrob. lib. 1. de ſomn. ſcip.*

Somnia diuina diligenter obſeruanda.

*Somniorũ diuinorum interpretes quinã ſint.

tùm, qui diuino ſpiritu afflati ſunt: Deus enim ipſe eſt, qui myſteria detegit. Plenæ ſunt ſacrę literæ Somniorum, quæ hominibus variis diuinitùs immiſſa ſunt, vt Abrahæ, Abimelech, Iacobo, Laban, Ioſepho, Pharaoni, Salomoni, Nabuchodonoſor, Danieli, Mardochęo, Iudæ Machabæo, Sancto Ioſepho, Magis, vxori Pilati, & D. Paulo, in quibus arcana multa, atque myſteria continentur. Non eſt autem curioſè quærenda ſomniorum diſtinctio, quoniam ſi à Deo immiſſa ſunt, Deus etiam hominem certiorem reddit. Si quæras, cùr dormientes potiùs, quàm vigilantes edoceat? Reſpondeo, quia in ſomno vacuus, & liber animus eſt, & ad intelligendum promptior: nihil enim tunc anxiè diſquirit, ſed quæ cælitùs data ſunt, placidè recipit. Vt hinc intelligamus, præter natura-

Sõniorum diuinorum exempla varia.
Perer. de ſom obſeru. q. 1.

Dan. cap 2.

Cur Deus myſteria dormientibus indicet.
Hip. lib. de inſomn.

Nota hoc diligenter.

lem ſcientiam, quę ſenſibus opem ferentibus, magno temporis decurſu acquiritur, dari etiam ſcientiam ſupernaturalem, quæ citra ſenſuum adminicula, ſolo diuinæ bonitatis affluxu momento comparatur. Quot enim Adam in ſopore illo à Deo didicit? Quot Salomon, quot Prophetę ab eodem per quietem receperunt? Ariſtoteles naturalibus rebus totus addictus, arbitratus eſt, Somniorum diuinationem à legibus introductam eſſe, quò faciliùs earum obſeruantia populis ſuaderetur; oſtendendo ſcilicet, ea, quæ in ſomnio videntur, à Deo, ſuperiſque mentibus immitti. Abſurdū tamen cum Epicuro putauit, Deum fieri ſomniorum autorē: cur enim, inquit, non ſapiētibus potiùs, cum quibus maiorem ſimilitudinem habet, quorumque conſuetudine gaudet, quàm fatuis,

Ariſt. argumentum cōtra Somniorum diuinatione.

Solutio. & imperitis hominibus iſtiuſmodi viſa dantur? Efficax fortaſſe argumentum Gentilibus, quorum Dij Dæmones erant: qui, ne eorum verſutia, & prædictionum vanitas à viris doctis deprehenderetur, indoctis, credulis, & ſuperſtitioni deditis, ſimulacha varia per quietem obiiciẽtes, illudebant, vt nunc etiam frequenter facere ſolent. Nobis autem, qui verum Deum colimus, nihil obeſt Ariſtotelis ratio: fatemur enim, diuina ſomnia vt plurimùm viris doctrina, pietate, & ſanctitate præditis, obuenire. Quanquam non negamus, impiis interdum, atque flagitioſis hominibus dari, vt à viris ſanctis interpretationem petentes, tandem reſipiſcant, & Deum agnoſcãt.

Somnia Pharaoni, & Nabuchodonoſor à Deo data.

Verùm, quid erit dicendum de Somniis Dæmoniacis? eſt ne ab illis vlla diuinatio petenda? Abſit: diuina enim lege cautum eſt, ne huiuſmodi

Somniorũ Dæmoniacorum obſeruatio perhibita.

di

di sõnia obſeruentur. *Non augurabimini, neq; obſeruabitis ſomnia.* Id quod certè non de Naturalibus, neque Diuinis, ſed de Dæmoniacis intelligendum eſt; cùm preſertim huius generis ſomnia, vt diuina teſtatur ſcriptura, multos in fędos, ac pudendos errores adduxerint. Etenim percallidi Dęmones quicquid naturæ ordine frequenter fit, aut interdum à Deo factum eſſe piè credimus, id ipſum, vt nos faciliùs decipiant, tentare ſæpè non deſinunt. Plerunque igitur ſe ſomniis immiſcent, hominumque animos variis perturbationibus ciẽt, vt irâ, libidine, odio, deſperatione, & huius generis aliis. Interdum etiam occultarum, futurarumque rerum ſignificatione deludunt, obſcuriſq; ſomniis, quæ in vtramque partẽ deflecti poſſunt, dormientium mentes perturbant. Notum illis eſt, quod ipſimet facturi ſunt, quodque etiam ex

Leuit. 19.

Eccleſiaſt. 34.

Dæmonum aſtus, & illuſiones per ſomnia. *Greg. lib.* 4. *Dial. cap* 48.

Dæmones in ſomniis res occultas indicare poſſunt, futura contingentia nequaqu...

naturalibus cauſis oriri neceſſariò debet: notæ ſunt etiam res multæ, quę ſenſus noſtros, & aciem intellectus effugiunt. Indicare hæc, (niſi Deus vetet) variorum ſimulachrorum obiectu, per quietem hominibus poſſunt: quæ verò contingenter futura ſunt, quorumque certa cognitio ſolius Dei propria eſt, nunciare nullo modo poſſunt. Hinc orti ſunt Gentilium errores, qui cùm iſtiuſmodi ſomnia diligenter obſeruarent, & caſu quandoque in veritatem inciderent, ea ipſa tanquam cælitus miſſa crediderunt, Dæmoneſque (qui ipſorum erat ſcopus) tanquam diuina numina coluerunt. Scribit Iamblicus, in templo Æſculapij, quod in Epidauro eſt, ſomnia ægrotos captare ſolitos, quibus bonam valetudinem à Diis oſtenſam, coniectarent. Et Pauſanias ait, Amphiaraum optimum ſomniorum in-

Gentilium error de ſomn. obſeru. vnde ortus.

Iamblicus lib. de Myſt.

Pauſanias lib.1.

terpretem extitiſſe: ad cuius oraculum qui accedebant, ſacrificiis primùm purgabantur, mox mactati arietis pellem ſubſternebant, atque ita dormientes ſomniorum ſignificationes accipiebant. Ad quod Virgilius alludens, ſic cecinit,

Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petiuit. *Virg lib.7. Aeneid.*

Ex hoc ſomniorum genere puto ea omnia ferè eſſe, quæ Valerius Maximus, & Hieronymus Cardanus copiosè recenſent, ad quos adi ſi lubet: nolo enim in aliorum dictis referendis nimius eſſe. Multa ibi reperies admiratione digna, quæque captum ingenij noſtri excedere videantur. *Valerius Max. lib. 1. cap. 7. Cardan. lib. 4. de Somn.*

Ideò Lucullus, qui magnam iis fidẽ habebat, dicere conſueuerat, nil certiùs, nil credi dignius, quàm quod per ſomnium prænunciatum fuerit. *Plut. in vita Luculli.*

Nimia hæc credulitas, quæ in multorum mentes iam diu irrepſit, conie- Somniorũ diſciplinæ origo.

ctationem illam ex ſomniis peperit, quam Græci ὀνειροπολίαν appellant, quamque ſceleſti quidam, & impij homines, quos ſibi Dæmones, tanquam ſuarum fallaciarum, atque præſtigiarum miniſtros elegerunt, ad artem reuocare conati ſunt. Statuũt Somniorum diſciplinam in genere coniecturalium, vt Medicinam, Agriculturam, & Nauigandi artem; eamque omnibus diuinationibus preferunt, quia de omnibus diuinare docet. Quò autem faciliùs peſtem hanc, atque perniciem diſſeminarent, tanquam præcipuum artis fundamentum ſumpſerunt, immiſſam eſſe à Diis immortalibus per ſomnia futurorum cognitionem, & rationalem animam neſcio quid diuinitatis habere. Ideò callidi nebulones dixerunt, dari certam ſomniorum artem, & coniectores prudentes, ſed quoſdam etiam vanos, & falſos,

Somniorũ diſcip ina coniecturalis.

Cardanus lib.1 de Som- cap.1.

qui ſine arte prædicunt. Ac propterea vt ſolis Medicis mederi, & legisperitis iudicare, & ſacerdotibus diuina tractare; ita ſolis ſapientibus ſomnia interpretari licet: ne res alioqui laudatiſſima ludibrio ſit, ſi ab omnibus nullo delectu tractetur, quemadmodum Medicis, & Aſtrologis accidit. Hinc aſtutè aiunt, Moſem non omnium ſomniorum vſum, ſed vulgarem tantùm, tanquam periculoſum interdixiſſe. Afferunt in teſtimonium libros antiquorum, præſertim Chaldæorum, Ægyptiorum, Indorum, quaſi magnæ, ac reconditæ ſcientiæ libros: ſpeciatim verò libellos quoſdam, Abrahæ, Salomoni, & Danieli falsò adſcriptos. Non defuerunt autem, qui verè de ſomniis commentarios ediderint, vt Chryſippus, Antipater, Dionyſius Heracleotes, Nicephorus,

Libri de ſomniis adulterini.

Autores præcipui, qui verè de Somniis commentarios ediderunt.

Salomon Iudæus, non ille Rex, ſed longè poſterior, qui fortaſſe Clauiculam compoſuit, Sciruachan Indus, Syneſius, Apomaſar Arabs, Nicoſtratus Epheſius, Panaſus Halicarnaſeus, Artemones Mileſius, Phœbus Antiochenus, Artemidorus Daldianus, Iunianus Maius, atque ex recentioribus Conradus Vuimpina, & Hieronymus Cardanus. Artemidorus, quem Martinus Delrio delirum ſenem appellat, gloriatur, ſe libros omnes, ad ſomnia pertinentes, legiſſe, multis in locis fuiſſe, & vera quamplurima ex ſomniis vaticinatum eſſe. Scripſit de Somniorum interpretatione libros quinque, ſed ſine vlla arte, vt Cardanus ait: qui poſtea rem totam quatuor libris ſatis quidem prolixè, atque inaniter complexus eſt. Quot ineptias ambo docuerint, puto iis omnibus manifeſtum eſſe, qui libros illos perlege-

Artemidorus delirus ſenex.

Cardanus prolixus, & inanis Autor.

runt. Afferam ego paucis totius rei ſummam, vt quàm vana, & ſuperſtitionis plena eorum doctrina ſit, ex iis ipſis intelligere poſſis. Somnia primùm in theorematica, & allegorica diuidunt. Theorematica illa ſunt, quæ ſuæ viſioni reſpondent: vt cùm nauigans naufragium ſomniat, & naufragio perit: aut cùm quis ſomnians, ſe ab aliquo vulnus, vel pecuniam accepturum, & manè accepit. Allegorica verò appellant ea, quibus animæ obſcurum quippiam oſtenditur, adeòut ex vna re alterius ſignificatio eliciatur. Afferam exemplum ex Cicerone. Ad Coniectorem detulit quidam, ſomniaſſe ſe, ouum ex lecti ſui cubicularis faſcia pendere. Reſpondit is, infoſſum theſaurum ſub lecto latêre. Fodit, auri aliquantulum inuenit, idque argento circundatum. Coniectori miſit de argento quantum eſt viſum. Tũ

Somnia theorematica, & allegorica.

Artemid. lib. 1. cap. 2.

Cicero lib. 2. de Diuin.

Somniorũ allegorico-rum diuiſio.

ille, Nihil ne, inquit, de vitello? Allegorica ſubdiuidunt in propria, quibus aliquis ſibi ipſi agere, aut pati videtur, & aliena, quæ aliorum operationes repræſentant. Horum rurſus quędam communia, ſeu publica dicunt, quibus nimirum aliquid in foro, in platea, vel in templo fieri videtur: quædam verò mundana, quæ res aliquas exprimunt vel ad mundum, vel ad partes eius pręcipuas, cuiuſmodi ſunt cælum, & quatuor elementa, pertinentes. Duplex deinde huiuſce prædictionis fundamentum ſtatuunt, videlicet experientiam, & proportionem quandam ſimilitudinis rei per ſomnium viſæ ad euentum. Experientiam vocant, ſi plures, idem ſomniantes, in eandem fortunam inciderint. Proportionem verò ſimilitudinis ex variis rebus eliciunt, quemadmodum ex ſomniis ab eiſdem

Somniorũ diſciplinæ fundamentum duplex

propoſitis coniicere licet. Vidit quidam montem in ſe ruentem, Depreſſionem id ſignificare aiunt: mons enim magna res eſt, magna ſunt Magiſtratus, & viri potentes; ruunt qui cadunt, qui ſuccumbunt, qui iniuriam patiuntur, qui dignitate excidunt. Somniauit alius, cæcum ſe factum eſſe: filios amiſit, nam oculi, inquiunt, filios ſignificant. Vidit Cardanus per quietem ſtellam cadentem in atrium ſuum, & ſtatim extinctam: declarabat id Principis gratiam, inquit, ſed parum duraturam. Obſeruant igitur in ſuis præſagiis huiuſcemodi proportiones, quò artem faciliùs vulgaribus hominibus perſuadeant. Caput docent Regem, patremque familias ſignificare, capillos tegulas domus, & decorem, brachia fratres, pedes ſeruos, innumeraſque afferunt ſingularum rerum ſignificationes, quas

Cardanus lib. 1. cap. 15.

Artemid. lib. 1. cap. 2.

Cardan. lib. 4 cap. 4.

ſcribere piget. Addunt præterea, ad veritatem ſomniorum cognoſcendam eſſe ſomniantis naturam, ætatem, actiones, mores, conſuetudinem, corporis habitum, anni conſtitutionem, ſomnij modum, cauſam, & horam. Namque ſomnia, iiſdem autoribus, ante Solis ortum futura, in ortu pręſentia, poſt ortum pręterita indicant. Ridiculum autem eſt id, quod de diebus Natiuitatis Domini, & Annunciationis B. Virginis ſcribunt: aiunt enim, ex ſomniis, quæ hiſce diebus accidunt, res magnas, admirandas, & ſtabiles prædici ſolere, quia nimirum feſta hæc ſtabilia ſunt. Secus verò, ſi ſomnia fiant ſub feſtis mobilibus: nam illa quidem admiranda portendunt, ſed tamen quæ variis mutationibus ſint obnoxia. Regula eſt apud nonnullos ferè vniuerſalis, ſomnia ad contrarium ſenſum interpretari: ide ò,

Idem lib. I. cap. 8.

Regula vniuerſalis ſomnia interpretandi.

inquiunt,ſi ſomnians ridebis, angor te premet;ſed ſi fleas,repleberis tunc gaudiis. Tradiderunt alij modum interpretandi faciliorem, ſed tamen qui ipſamet leuitate ſit leuior, quique vix citra cachinnum exprimi poſſit. Cùm manè, inquiunt, experrectus es,pſalterium aperi, & prima litera,quam in folii ſummitate reperies, quid tibi euenturum ſit,ſtatim oſtendes. A. dilectionem ſignificat. B. poteſtatem in bello. C. & D. mœrorem,& mortem. E. & F. progeniem nobilem. G. caſum vitioſum. H. amorem mulierum. I. bonam vitam. K. ſtultitiam,&iucunditatem,cæteriſque literis ſuam cuique ſignificationem attribuunt. Hinc monuit Synesius, vt quiſque ſibi ex iis,quæ ſomniat,diuinandi artem cõficiat: nullus enim melior eſſe poteſt ſomniorum coniector, vt Cardanus ait,quàm ipſemet, ſi artem nouerit

Modus alius interpret. facilior.

Lege Barthol. Cocle. in Introd. ad Phyſiog.

Syneſii monitum.

diuinandi. Nimius eſſem, ſi reliquas ineptias recenſerem. Id velim tibi perſuadeas, huius generis ſomnia, quæ artificioſa dicuntur, mera eſſe circulatorum commenta, nec ad vllam diſciplinam propriè pertinere. Medici, Agricolę, & Nautæ multa quidem coniectura aſſequuntur, quoniam eorum cognitio ab humoribus, ab humani corporis partibus, à terræ qualitatibus, à ſideribus, & vẽtis originẽ ducit. Hæc verò ſomniorum diſciplina à ſimulachris, & idolis, in memoria temerè coaceruatis, quæ nullam habent ſignificandi, nec extrinſecùs agendi vim, ſua primordia ſumit. Fateor humanam animam cuiuſdam quaſi diuinitatis participem eſſe, & quæ ventura ſunt, Deum aliquando per quietem hominibus indicare: nego tamen, vllam eſſe artem, qua immiſſas à Deo viſiones naturaliter interpretari poſſimus.

Somnia artificioſa ad nullam pertinent diſciplinã, ſed pura ſunt Circulatorum commenta.

Nulla eſt humana ars, quæ diuinas viſiones interpretari doceat.

Hinc ſomniorum coniectores omnes, non ſecus ac Geomantas, Pyromantas, Augures, alioſque eiuſdem farinæ artifices, fatuos, & amẽtes exiſtimo, quippe qui ab inconſtãtibus, & breuè tranſeuntibus rebus diuinãdi rationem accipiunt. Miror, cur nõ etiam ex animalibus illis, & ſpectris variis, quæ in nubibus frequenter effingimus, artem aliquam diuinandi confecerint. Hos ipſos Moſes, tanquam fraudulentos, impios, & cum Dæmonibus ſocietatem habentes, reprobauit, hos Eccleſia iure optimo condemnauit. Somnia illa, quę theorematica dicunt, ſi quandoque vera ſunt, id caſu accidit, non vi ſomnij: ego enim haud ſemel obſeruaui, me manè in eum ipſum hominem incidiſſe, quem nocte ſomniaueram: ſed ſæpè etiam non incidiſſe: Allegorica verò, ſiue publica, ſiue priuata, ſiue alterius

Somnia theorematica, caſu aliquando vera ſunt, allegorica verò prorſus inania.

cuiuſuis ſpeciei fuerint, pueriles iocos, aut aniles fabulas exiſtimo, tantùm abeſt, vt veri quippiam indicet, quod arte ab interpretibus deprehendatur. At res, inquiunt, experientiâ comprobatur. Mulieribus fortaſſe, & credulis hominibus, ad artem extollendam, hoc dicent, non certè cordatis, & ſapientibus. Tradunt, malum eſſe omen, ſi quis columbas viderit. Ego identidem per ſomnium columbas vidi, nec mali quicquam mihi vnquam accidit. Dicunt etiam, viſum cadauer grauem necem indicare. Familiare eſt mihi ſomnium hoc, & ſemper comperi falſum. Sexcenta addere poſſem ſomniorum exempla, quibus cùm artis, tùm artificum falſitatem, & leuitatem oſtenderem: ſed valdè piget, in re tàm futili tantum temporis conterere. Conſideremus nunc proportionem illam ſimilitudinis

Fundamẽtũ diſciplinæ Somniorũ ab experiẽtia ſumptũ deſtruitur.

Proportionem ſimilitudinis nihil ad ſomniorum veritatem efficere.

rei obiectæ ad euentum, videamuſque, num in ea ſit vlla vis, qua futurum effectum aut pręmonſtrare, aut producere naturaliter queat? Caput Regem, & patremfamilias ſignificare aiunt, oculos filios, brachia fratres, pedes ſeruos. Rhetores fortaſſe hanc analogiam admitterent, tanquam eam, qua in orationibus ſatis lepidè vtuntur. Philoſophi verò, qui intimas naturæ vires perſcrutantur, eam omninò negligerent; cùm iſtarum partium nomina nihil ex rei natura, ſed cuncta ex inſtituto ſignificent. Cur enim pedes, qui totum animal ſuſtinent, non potiùs dominum, quã ſeruos deſignant? Cur Regem magis caput, quàm cor? Pendent hæc omnia ex hominum arbitrio, non ex natura, quemadmodum etiam Geomanticæ figuræ, & Chiromantici characteres. Quanam igitur ratione, dum quis cęcum factum ſe

Somnia nõ poſſunt eſſe cauſæ rerũ futurarum.

eſſe ſomniat, filiorum mortem expectare debet? An ſomnium iſtud, ceu qualitas quędam noxia, vim habet filios interficiendi, & citra contactũ in exteriorem materiam agendi? Si tanta eſt eius vis, cur nõ ſtatim ſomniantem ipſum interimit? Non eſt, inquiunt, cauſa, ſed ſignum. Inauditum profectò diuinandi genus; ex ſignis ergo, in patre repertis, filiorum mortem præſagire licebit? Naturalia ſigna ſemper habent cauſas coniunctas, earumque tanquam partus quidam exiſtunt. Cur enim matutinus rubor in cælo aquam denunciat? Quia indicat, aërem plenum eſſe vaporibus, ex quibus, in nubes coactis, pluuia gignitur. Medici ex facie, oculis, pulſu, vrina, variiſque accidentibus imminentem mortem cognoſcunt. Quid ita? Quia natiui caloris extinctionem, viriumque defectum ſignificant, vnde oritur

Somnia nõ poſſunt eſſe naturalia ſigna rerum futurarum.

tur

tur mors. Somnia verò indicia quidem eſſe poſſunt illarum cauſarum, à quibus proficiſcuntur: futuros autem euentus, ad quos nullam omninò rationem habent, vt mortem patris, fratrum, filiorum, vxoris infirmitatem, naufragium, theſauri inuentionem, dignitatis adeptionem, & id genus alios, ſignificare certè non poſſunt. Somnia igitur illa, de quibus modò diſſerimus, eorum, quæ ventura ſunt, neque cauſæ, neque naturalia ſigna dicuntur, ſed meræ nugæ, impiorumque hominum impoſturæ; & ſi quæ interdum ſignificant, hoc eſt ex inſtituto, & Dæmonum pactione, vt explicatum eſt ante. Reliqua, quæ Coniectores iſti ad artem confirmandam ſomniarunt, tanquam ex ſe falſa, & indigna, quæ recenſeantur, lubens, & volens omitto: iam enim artificioſorum ſomniorum fundamenta præcipua

me ſatis arbitror demolitum eſſe. Vale. ex Mandriola, Patauino ſuburbio, IX. Kal. Nouembris. MDCXIX.

Flauio Quærengo, Canonico Patauino.

EPISTOLA XI.

De Oraculis.

SI apud me Oraculi nomen quicquam dignitatis haberet, te ipſum potiùs, Quærenge eruditiſſime, Oraculum appellarem: qui omnia velut ex oraculo dicis, cui nodus inſolubilis nullꝰ eſt, à quo magna, prudentiæque plena conſilia proficiſcuntur. Non erat certè, cur ex me Oraculorum vim tanto verborum apparatu ſciſcitareris, mihique doctiſſimi Panegyrici dono quaſi litares. Id ipſum ex te longè meliùs, atq; commodiùs ſciuiſſes, ſi rem paululum meditatus eſſes, celeriſque inge-

nij tui habenas aliquantulũ remiſiſſes. Superioribus diebus cùm eſſem Patauij apud Octauium Liuellum, virum, vt ſcis, & doctiſſimum, & vtriuſque noſtrum amantiſſimum, inſperãti mihi cecidit, vt in ſermonem de Oraculis, atque Sibyllis delaberer. Sermo vtrinque benè longus fuit, quemadmodum ex eo te arbitror intelligere potuiſſe. Quæ mihi exciderint, libẽter hac epiſtolâ repetam, &, vt ſpero, non citra compendium, ſi fors tulerit, vt limato, politoque iudicio tuo aliqua ſaltem ex parte reſpondeat. Oraculum, de quo nunc ad te ſcribere inſtitui, non eſt nocturnũ ſomnium; quo res aliqua nobis denunciatur: (id ipſum enim Oraculi nomine quandoque nuncupari ſolet) ſed, vt Ciceroni placuit, eſt Deorũ reſpõſũ, ſiue oratio. Credidit nãq; ſuperſtitioſa Antiquitas, è ſpecubus quibuſdam, atq; cauernis, inſtinctu,

Oraculum. quid.
Cic in Top.

afflatuque diuino Oracula fundi. Et Græcia potiſſimùm inter cæteras gẽtes ad horum venerationem procliuis fuit: quippe quæ, iis inconſultis, nihil decernere, aut moliri conſueuerat. Hinc apud ipſos Oracula varia, vt Iouis Dodonæi, Ammonis, Trophonij, Clarij, & alia complura.

Græcia ad Oraculorũ venerationem procliuis.

Cic. de diuin.

Oracula varia.

In ſacris literis Oraculum pro Templi parte ſecretiore accipitur, quæ & propitiatorium appellatur: pro conſulente verò, & vaticinante vnà cum cæteris diuinationibus exploditur.

Oraculum in ſacris literis.

Exo. 25. Leu. 20. Deut. 18.

Ex Philoſophis Oracula Platonici maximè coluerunt. Epicurei, Cynici, & Peripatetici omninò ſpreuerunt. Ariſtoteles Oraculorum aliquando meminit, non tamen vt quippiam ex ſe promens, ſed vt aliorum dicta recenſens. Inter omnes id conuenit, famoſas quaſdam olim ſpeluncas fuiſſe, Diis gentium conſecratas: vbi à certis hominibus, ar-

Philoſophorum de Oraculis opin. diuerſæ.

Ariſt. 3. de Hiſt. animal. cap. 20. & 7. Pol. cap. 16.

Oraculorũ ſpecus.

que etiam mulieribus furore inflammatis, ac mente permotis, vel ab æneis, ligneis, aut marmoreis ſimulachris obſcura, perplexaque Oracula, nunc ſoluta, nunc aſtricta numeris oratione reddebantur. Putabāt ſtulti, ac inepti homines, loca illa ſedes, & habitacula eſſe Deorum; ac propterea ſcire aliquid cupientes, peractis primùm ſacris, ac ſceleribus expiatis, incredibili cum reuerentia Oracula adibant: &, ne gratis inſanire viderentur, magna, opimáque munera eiſdem offerebant. Poſt longam autem ſolemnium ſeriem, quā Hieronymus Cardanus in Trophonij antro obſeruaſſe ſe ſcribit, cùm ab Idolis, tùm à Sacerdotibus, vel Præſidibus, qui ibi vaticinabantur, reſponſa accipiebant, ſed eiuſmodi, vt pro eorum interpretatione alterius Oraculi opus deſideraretur. Trita ſunt hæc apud Hiſtoricos, vt ea re-

Plut. lib de Pyth. Orac. & lib. de Iſi. & Oſir. Cælius Calcagn. lib. de Orac.

Cardan. lib. 19. de ſubt.

Strabo lib. 9. Geogr. Pauſanias lib. 9. re. Græc.

cenſere, ſit operam ludere. Maiora moliamur, & Oraculorum cauſam, de qua tanta eſt inter viros doctos controuerſia, omni contentione animi perſcrutemur. Cumque Oracula duplicia ſint, alia, quæ ex terræ cauernis prodeunt, alia verò quæ ab Idolis, & ſimulachris redduntur; ne quid erroris contingat in verbo, de vtriſque ſingillatim diſſerendum eſt. Et vt à prioribus exordiar, vulgaris opinio fuit, Oraculorum eorum, quæ ex terræ viſceribus funduntur, autorem præcipuum Deum eſſe; hominumque mentes in abditis illis, obſcuriſque locis, ab aliarum rerum contemplatione remotas, furore quodam diuino inflammari, atque ad res futuras præſagiendas aptas, idoneaſque reddi. Quæ ſententia perbellè reiicitur à Plutarcho, qui ait, ſtultum, & puerile eſſe opinari, Deum ipſum in antris illis, ſer-

Oracula duplicis generis.

Vulgaris opin. de Orac. cauſa.

Cõfutatio. *Lege Plut. li de Orat. def.*

pentum potiùs, quàm numinum habitationi deſtinatis, vatum corpora quodammodo ingredi, & illorum ore, ceu inſtrumento, ad loquendum vti. Et Cicero, quaſi admiratione obſtupefactus, Quid habet, inquit, furor iſte, quem diuinum vocant, vt quæ ſapiens non videat, ea videat inſanus; & is, qui humanos ſenſus amiſerat, diuinos aſſecutus ſit? Profectò ipſamet oraculorum reſponſa, ſemper ambigua, quandoque inepta, & ſępiſſimè falſa, apertè indicant, furorem illum ab aliis omnibus, præterquam ab ſummo, præpotentique Deo proficiſci. Ideò Platonici nonnulli, Oraculorum cauſam paulò diligentiùs conſiderantes, non à Deo, ſed à Dæmonibus exhiberi Oracula tradiderunt. Quanquam de eorum gradibus, & ordine inter ſe diſcordes ſunt: quidam enim ſupremis, ac ſapientioribus, alij

Cic. 2. de Diu.

Platonicorum quorundam opinio. *Vide Iambl. lib. de myſt. cap 21 & 26 & Porph. lib. de Dæmon.*

verò infimis tantùm, qui ſubdoli, ac verſatiles ſunt, vaticinandi vim, & facultatem adſcripſerunt. At ſtolidum eſt, ait Plutarchus, admirabiles omnes effectus, & humani ingenij captum paululum excedentes, Dæmonibus ſtatim addicere; cùm præſertim naturales adſunt cauſæ, ex quibus iidem elici nullo negotio poſſunt. Hinc Pomponatius, traiectionum cæleſtium diligentiſſimus obſeruator, & cultor, eâ potiſſimùm ratione quoſdam in antris vaticinari perhibuit, quia talem vim à corporibus cæleſtibus, eorumque motricibus mentibus acceperunt. Huius autem rei argumentum præcipuum inde ſumpſit, quòd Aſtrologi, eorum natalitia ſidera inſpicientes, in Vates, & Prophetas illos euaſuros, ex iiſdem ſæpè prenunciant. Miror ſanè, Pomponatium, Philoſophum alioquin eruditum, corporibus cæleſtibus tá-

Confutatio.

Opinio Petri Pompon. lib. de Incant. cap. 10.

Cófutatio. *Lege Epiſtolas lib. 4. huius.*

rùm tribuiſſe, vt vim etiam habere crediderit Vates procreandi. An non ex Philoſophorum decreto, eorum facultas vniuerſalis eſt, ſpeciebus gignendis, & conſeruandis tantummodo deſignata? Quid igitur illis cum priuatis hominibus? Fortaſſe beneuolo aliquo aſpectu illis naſcẽtibus pręſtò erant? At Aſtrologorum commentum hoc eſt, non minùs vanum, quàm ſint eorum prędictiones: quibus quantum fidei præſtandum ſit, ex iis, quę aliâs viciſſim diſſeruimus, iam tibi ſatis arbitror exploratum. Non defuerunt, qui vaticinandi vim in atram bilem, ſeu melancholicum humorem retulerint: eâ potiſſimùm ratione ducti, quia cùm melancholici ſuapte natura ingenioſi ſint, quò magis nigra bilis in eiſdem redundat, eò perſpicaciores euadunt, atque interdum acri hoc vapore ſtimulati incredibi-

Peripateticorum multorũ opin. *Lege Tho. Gian. lib. 2 de Damon. c. 5. & Ariſt. 30. ſect. probl. 1. & lib. de Phyſiogn.*

les operationes edunt. Non ergo mirum, inquiunt, ſi, ob adauctam in antris melancholiam, iſtorum excitata ingenia, quaſi è propriis finibus egreſſa, ita ſupra ſuas vires eleuentur, vt non ſolùm ea intelligant, quæ nunquam didicerunt, ſed quæ futura etiam ſunt, multò antè præſentiant. Scribit Petrus Aponenſis, mulierem quandam Patauij ſua tempeſtate illiteratiſſimam fuiſſe, quæ cùm melancholiâ laboraret, Latino ſermone quàm decentiſſimè loqueretur: atra autem bile purgata, nullum amplius verbum Latini ſermonis protuliſſe, immò ne nouiſſe quidem. Et Pomponatius narrat, vxorem cuiuſdam ſutoris Mantuæ extitiſſe, quæ eodem morbo vexata, linguis variis animi ſui conceptiones exprimebat, cùm tamen vix vrbe egreſſa eſſet. Pythiam quoque tradidit Plato, cùm ne legere quidem

Pet. Apon. in com. 30. ſect. probl. 1.

Pompon. lib. de incant. c. 10.

Plato in Epinom. & Memnone.

aliena ſciret, hexametro carmine multa dixiſſe, vaticinatamque eſſe: nulla re alia, dicerēt iſti, pręterquam furore melancholico incitatam. Vt enim ſtirpes quædam nullum ex ſe odorem diffundunt, nec aliquid ſuaueolentiæ expirant, niſi ſubinde cōmoueas, manuque demulceas; ſic nō proferunt ſe ingenitæ animi facultates, ac vires, niſi excitentur, atque vt aurum in cote, lapidéque Lydio, explorentur. Hîc velim, Querenge, vt ingenij tui aciem pauliſper exacuas, & eâ, qua ſoles, ratiocinandi ſubtilitate, rem tanti ponderis mecum diſpicias. Putaſne, vilem hanc humani corporis fæcem, tot, tātiſque viribus pręditam eſſe, vt breuiſſimo temporis ſpatio id pręſtare poſſit, quod ars, imitatio, & exercitatio vix longo interuallo efficiūt? Fateor ego quidē, atratum illum humorem ingenia alioquin exhilarata contrahere, ad res

Leuin. Lemon. lib. 2. de occul. nat. mir. cap. 2.

Confutatio huius opinionis.

difficiles intelligendas promptiora reddere,& quaſi viribus aucta ad ardua quæcunque opera promouere; ita tamen vt propriæ naturæ limites non tranſcendant. Succinum, manibus contrectatum, & leui quodam calore, ceu inſtrumento excitatum, feſtucas quidem, paleas, aliaque venti ludibria allicit; ferrum non item. Quid ita? Quia non agit vltra ſuas vires: ſuccinum enim eſt, non magnes. An illud poterit inſtrumentum, quod nequit principale agens? Fac igitur, Philoſophum aliquem, aut Oratorem, aut Poëtam atra bile tentari, ita vt vapores affatim cerebrum petant; ſi dixerint Peripatetici, quibus hæc opinio paſſim adſcribitur, Philoſophum de rebus magnis, ac variis acriùs diſputare, Oratorem pleniùs, atque ornatiùs loqui, Poëtam promptiùs, & alacriùs carmina texere, dabo libenter: hacte-

Nihil agit vltra ſuas vires.

nus enim melancholicus humor extra illos cancellos non egreditur, quos ei natura circundedit. Aſſerere autem, hunc ipſum humorem quandoque in cauſa eſſe, cur rudis, & imperitus homo profundè philoſophetur; cur ruſticus, qui vix loqui didicit, variis linguis eloquatur; cur mulier, artis poeticæ prorſus ignara, pentametro, aut hexametro carmine vaticinetur: neſcio, quantum philoſophicæ grauitati conueniat. Illud memini me ex Peripatetica ſchola didiciſſe, nullius rei humanum animum ingenitam notionem habere, ſed eſſe initiò tanquam nudam tabellam, in qua nihil deſcriptum ſit, omnem deinceps cognitionem à ſenſibus hauſturum. Poterunt igitur ſpectra omnia, quæ iam in memoria impreſſa ſunt, atri humoris fuligine concitari, & intellectum ad varia intelligenda promouere: noua-

Omnis noſtra cognitio ortum ducit à ſenſu.

Ariſt. 1. poſt 3 de Ani. & lib. de ſenſ. & ſenſ.

rum autem rerum intellectiones, inſciis ſenſibus; ſolo fuliginis impetu ſuſcitari; vt à ratione ipſa, ita à recto philoſophandi genere omninò arbitror abhorrere. Ecquis obſecro deſipere non optet, vt ſapiat, ſi tanta eſt huius humoris vis? Nolo pluribus hanc opinionem inceſſere: vtrum Philoſophorum, an inſanientium potius eſſe videatur, tuum erit iudicare. Audi nunc aliorum ſententiam, qui ex Lyceo in Academiam profecti, præcipuam Oraculorum cauſam animę Mundi ſpiritum eſſe dixerunt. Etenim cum Platone, Mundum æternum animal, omnia in ſe animalium genera, & ſpecies complectens, præterea beatum, omnia videns, omnia audiens, rationali animâ, diuinaque mente præditum ſtatuerunt. A Mundi autem anima phantaſticum quendam, ſeu animalem ſpiri-

Opinio Leonici Thomæi in Trophonio.

tum oriri dixerunt, qui per omnia permeans, cuncta tuetur, & fouet. Dumque terrę cauernas, & adyta loca blando calore afficit, vapores quoſdam, & halitus inde elicit, qui ſi in alicuius cerebrum intrudantur, dummodo ne temperies aliqua obſiſtat, furorem primùm, mox diuinationem excitant. Non enim abſurdum putant, humanum animum, qui ab omni temporum æternitate vixerit, & cum innumerabilibus animis verſatus ſit, omniaque inſuper, quę in rerum natura ſunt, iampridem nouerit, ſignis quibuſdam conſequentia declarantibus, futuros euentus præſentire poſſe. Porrò terreſtres illas exhalationes non proximè animum, ſed phantaſticum ſpiritum afficere aiunt: in quem poſteà, tanquam in ſpeculum animus

Noſtrum ſcire Platonicis eſt quoddam reminiſci.

De ſpiritu phantaſtico

Lege Syneſ. lib. de inſomn.

inſpiciens, ratione cuiuſdam affinitatis, & cognationis, variarum inde

Cic.lib.1 de Diu.

rerum cognitiones haurit. Hoc eſt, inquiunt, illud naturale diuinationis genus; quod furorem, & inſaniam veteres appellarunt, cùm ſcilicet animorum ius, atque poteſtas ſine ratione, & ſcientia, motu ipſi ſuo ſoluto, & libero concitari, & futura prædicere videntur. Hæc ſententia iis

Sententia hæc tanquā nullo fundamento innixa, reiicitur.

fortaſſe placebit, qui Platonicorum doctrinam magnifaciunt. Mihi verò, vt ingenuè fatear, pulchra quidē, & ingenioſa videtur, ſed tamen quæ ab erudito aliquo viro ornatis verbis explicata, audientium tantummodo aures demulcere, non etiam intellectui ſatisfacere poſſit. Haberem aliquid, quod contra eam ſcriberem, ſed inermem inuadere non decet; nec tempus conterendum in ea ſententia expugnanda, quę omni prorſus eſt rationum munimine deſtituta.

ſtituta. Appellant Mundum æternũ animal, beatum, ratione atque diuinitate præditum: æternum item humanum animum, omnia ſcientem, & diuinandi vires ſecum afferentem, quem peculiaris quædam, proportionataque aëris, & ſpiritus animæ Mundi temperies ad diſſerendum, & diuinandum excitet. Nullam autem iſtarum rerum rationem adducunt, ac ſi communes quædam eſſent animi conceptiones: propterea ſi omnia hæc ſponte ab ipſis efficta, & à veritate aliena eſſe dixerimus, eorum opinio ſtatim eneruata iacebit. Alij denique, partim Platonici, partim Peripatetici non ab vna, ſimplicique re pendere Oracula ſtatuerunt; ſed eorum cauſam miſtum quoddam eſſe ex halitu terreſtri, ex facultate cæleſti, ex vaticinantis, ſeu conſulentis temperatione dixerunt. Hinc Apollini, & Terræ commune Oracu-

Opinio Plut. lib de Orac. def. Sirenii lib. 9. de Fato c. 6. & ſeq. & Cardani lib. 19 de re. var. cap. 68.

lum veteres adſcripſere; arbitrati, Solem terræ affectionem illam ingenerare, vt ab ea vapores quidam exhalent, qui elati, atque in corpus benè affectum admiſſi, vim admirabilem animis impertiant, qua ipſi, iam à natura edocti, ad futurorum diuinationem excitentur. Neque verò à tepore tantùm cæleſti agente, ſoloque terreno teporem hunc recipiente, ſuſcitari Oracula crediderunt: ſed præterea ſympathiam quandam inter Vatem, & halitum neceſſariam eſſe putarunt, qua deficiente, aut antipathia oborta, enecari, & ſtrangulari Vatem periculum ſit. Non enim omnium mentes, inquiunt, diuino illo halitu æquè concitari, inflammarìve poſſe, neque corporis cuiuſque habitum ingruentis ſpiritus vim facilè ſuſtinere. Addiderunt etiam præparationes quaſdam, & expiationes, conſulenti

Sympathia neceſſaria inter Vatē, & halitum.

Lege Pauſan. lib. 9.

neceſſarias, priuſquam Oraculum ingrediatur: vt inedias, ablutiones, vnctiones, aquarum quarundam epotationes, noua quædam veſtimenta, & id genus alia, quę apud Pauſaniam legere tibi poſſibile eſt. Ideo referunt, ſatellitem quendam Demetrij, qui, ſpreto numinis cultu, expilandi tantummodo templi cauſa, ad Oraculum acceſſerat, repentina morte ſublatum eſſe. Porrò Solem, & aſtra reliqua, traiectionibus variis, facultatem illam in terræ cauernis imprimere poſſe, inde eliciunt, quòd & in aërem, & in aquam, pro varia eorum conſtitutione, diuerſi generis affectiones inducunt. Namque in aëre, cæleſtium corporum vi, omnes meteorologicæ impreſſiones ex variis terræ halitibus generantur, immò etiam interdum noxia, & peſtifera qualitas excitatur.

No. de Satellite Demetrij.

Variæ aëris affectiones, à cæleſtibus corporibus ortæ.

Aquarum vis admirabilis.

Lege Senec. lib. 3. nat. q. cap. 25. & ep. 12. lib. 3. huius.

In aqua à naturalium rerum ſcrutatoribus proprietates admirabiles, indidem ortæ deprehenduntur. Quorundam enim fontium aquæ ſunt, quæ vim habent tertianas febres curandi, & calculos expellendi: aliæ fœcunditatem, ſterilitatem, memoriam, & obliuionem inducendi: aliæ in gypſum viſcera, & quodcunque tetigerint, in lapides conuertendi. Aliæ verò aliis facultatibus præditæ, vt omnes nunc recenſere ſuperuacaneum omnino ſit. Sed & in terræ viſceribus, prȩter varia metallorum genera, quæ fumoſæ illius exhalationis tanquam partus quidam exiſtunt, quot vires, quot facultates experimur? Exeunt ab antris quibuſdam fragrantes odores: ab aliis ſaluberrimi halitus, qui leproſos quàm maximè iuuant: ab aliis peſtilentes exhalationes, tremorem, palpitationem, ac denique

mortem afferentes. Quid mirum igitur, inquiunt, cùm tot, tamque multiplices ſint terrarum exhalationes, locaque tàm diuerſa, tamque inter ſe ſitu ſuo, ac cæli poſitura diſtantia; ſi ex ſpeluncis aliquibus tales reſpirationes emanent, quibus animi hominum, ad futurorum pręſagia propenſi, & ad diuinum furorem procliues, magno quodam impetu concitentur, & quaſi diuinitus inflammentur? Duobus autem argumentis præcipuis hanc ipſam animorum procliuitatem, ad futura præſagienda, oſtendere nituntur. Altero, ex moribundis deſumpto, quorum animi, iam penè vinculis ſoluti, è carceribus tandem diſceſſuri, vires ſuas ſenſim exerere incipiunt, & vera frequenter vaticinantur. Altero, ex vini facultate, quod liberaliùs epotum, pro varietate corporei habitus, varios quoque, ac diſpares effectus in

Sirenius lib. 9. de Fato. c. 6

Argumenta probantia, habere animum præſagiendi vim.

Ariſt. 30. ſect. probl. 1.

bibentibus gignit. Hunc enim ad furorem prouocat, illum ad libidinem; hunc lætum efficit, illum triſtem; hunc taciturnum; garrulum illum, hunc miſericordem, illum barbarum, atque immanem. Hos igitur, alioſque huius generis affectus excitat vini feruor: quod certè non fieret, niſi animus noſter ad illos natiuam propenſionem haberet. Vt par ſit, ex terræ quoque hiatibus certos quoſdam vapores interdum exhalare, à quibus humana mens, iamdiu ex ſe habilis, & accommodata, ad futurorum præſenſionem concitetur. Quemadmodum autem multis in locis metalla defecerunt, & amnes nunc exſiccantur, nunc in alium curſum deflectuntur; ita vapores, & exhalationes, vnde Oracula originem ducebant, defeciſſe penitus, ac vetuſtate euanuiſſe, contendunt: vt hinc etiam ad ſuam ſententiam

Cic. lib. 2. de Diu. Plut. de orac. def.

roborandam argumentum aliquod ducant. Miſta hæc, atque ex diuerſorum Autorum placitis collecta ſententia, præ ſe quidem probabilitatem aliquam fert; nonnulla tamen continet, à vera, ſolidaque Philoſophia penitus aliena: quæ refellere operępretium eſt, priuſquam de Oraculorum cauſis quid ſentiam, in mediũ afferam. Illud in primis valdè abſurdum, & abſonũ exiſtimo, humanum animum ingenitam facultatem habere, qua futura prę ſentiat; cùm, hanc ſolius Dei pręrogatiuam eſſe, apertis verbis diuina Scriptura teſtetur. At in animo radij quidã diuinitatis refulgent. Fateor, non tamen animus ipſa diuinitas eſt. Intelligit quidẽ, contemplatur, proſpicit, multarũ rerũ eſt artifex, mouet, regit, gubernat, atq; ob hanc diuinitatem participatam, idipſum eſt in paruo mundo, vt ait Philo, quod De⁹ in magno.

Confutatio huius opin.

Nullam habet animus ingenitã diuinandi facultatem, cũ id ſolius Dei propriũ ſit.

Iſaiæ 41.
Ierem. 10.

Philonis dictum.

Eius tamen cùm agendi, tùm intelligendi vis eſt limitibus circunſcripta; & propterea nec aliquid ex nihilo condere, nec certò futura prædicere poteſt. An id poterit Animus, quod neque Dęmones, neque Angeli, naturę viribus longè præſtantiores, efficere queunt? Cur ergo, inquiunt, moribundi, cur ebrij interdum diuinare dicuntur? De ebriis quæſtio facilè ſoluitur, de moribundis autem difficiliores explicatus habet. Ideo ebrij quandoque diuinant, quia vini vapores magno impetu ad cerebrũ elati, innumeras rerum imagines, inibi latentes, perturbant, & excitant; hincque animus, diuerſorum ſimulachrorum obiectu, ad varia intelligenda incitatur, vt mirandum non ſit, ſi multa loquentes, caſu quandoque in veritatem incurrant. Moribundi verò, & animam agentes nonnunquam vaticinantur, quoniam, vt

Cur ebrij quandoque diuinent.

Moribundi cur interdũ vaticinentur.

Ratio prima.

autor eſt Ariſtoteles, effectus quidā illis accidit, quem ſyncopem, & extaſim appellare poſſumus: propterea cùm multæ rerum ſpecies eorum facultati fictrici tunc temporis obuerſentur, quaſi ſomniantes, in ea, quæ ventura ſunt, temerè incidunt. Solēt etiam poſtrema verba illorum, qui morti proximi ſunt, à conſanguineis, & aſtantibus diligenter cuſtodiri, atque ab eiſdem crebris ſermonibus, iucundaque recordatione commemorari. Si fortè autem in rem aliquampiam quadrent, quę interiecto temporis interuallo accidat, ſtatim defunctum vaticinatum eſſe aſſeuerant, cùm tamen eius verba aliò ſpectarent. Moribundi pręterea, immutata interdum à Dæmone phantaſia, aut occulta detegunt, aut quæ ipſemet Dæmon paulò poſt facturus eſt, prædicunt. Tunc enim diſceſſurus à corpore animus viſis quamplu-

Lege Ariſt. lib. de Somn. & vig.

Ratio ſecunda.

Ratio tertia

rimis agitatur, quibus ſe Dæmon libenter immiſcet, opportunam inde occaſionem nactus illam vulgi opinionem corroborandi, poſſe videlicet vmbras, ſeu defunctorum animas (id, quod Necromantæ facere ſe putant) ad abſtruſum quippiam intelligendum, ab inferis euocari. Neq; omittendum illud cenſeo, permiſſu quandoque Dei, & bonorum Angelorum miniſterio fieri, vt in aliquorũ vtilitatem, & commodum, moribũdi, priuſquam è vita decedant, aliqua indicent, aut prænũcient. His iam videor ſat cõmodè causã aperuiſſe, cur moribundi aliquando vaticinentur; atq; adeò fundamẽtũ præcipuũ prædictæ opinionis euertiſſe, quod quidẽ erat, humanum animum ingenitã diuinãdi facultatẽ habere. Sed alterum præterea eſt, quod à propoſita ſententia me auocat, nullam ſcilicet ab eius autoribus ſatis validam ratio-

Ratio quarta.

Non habet animus ingenitam vim carmina conficiendi.

nem allatam eſſe, cur Pythia, illiterata mulier, hexametro carmine Oracula reddiderit. Scio, illos terreſtri exhalationi, tanquam excitanti cauſæ, portentoſum iſtum effectum adſcripſiſſe: quæro tamen ex eis, ingenitam ne habeat humanus animus, vt vaticinandi, ita conficiendi carmina facultatem, nec ne? Si nõ habet, quid igitur poterunt terreſtres halitus? extincti enim, aut nondum accenſi carbones non indigent excitante. Si habet, mirum certè, cur eam in ſpeluncis tantùm exerceat? Cur perturbatus potius, atq. confuſus, quàm integer, & quietus? An non, præter ſpeluncas, ſunt etiã atra, & ſolitaria loca, vbi animus à ſenſibus abduci, & ad meditationem erigi facilè poteſt? At non eſt vbiq; halitus, inquiũt, & ſympathia illa. Bone Deus, nõ agit halit⁹ proximè in animum, vt ipſi quoque fatẽtur, ſed corpus tãtũmodo vexat,

Sirenius lib. 9. cap. 6. in extremo.

humores ciet, ſpiritus excitat. Cur igitur, ſi tanta eſt animi ingenita vis, non aliquando ipſe per ſe, aut ſciendi libidine, aut glorię cupiditate inflammatus, cùm ad vaticinandum, tùm ad fundenda carmina promouetur? Cur quod impetus efficit exterior, non idem poterit impulſus interior? De Plutarcho, Cardano, aliiſque huius claſſis autoribus, qui huic opinioni ſubſcripſerunt, nihil heic dico: miror tamen, & obſtupeſco, Iulium Sirenium, virum alioquin doctiſſimum, & Theologum præſtantiſſimum, vt ſe magnum Philoſophum præberet, hanc eandem in foueam cecidiſſe. Quęnam igitur, dices, Oraculorum cauſa cenſeri debet, ſi illa nec à DEO, nec à Dæmonibus, nec à cæleſtibus corporibus, nec ab atra bili, nec à ſpiritu animæ mundi, nec à terreſtri halitu proficiſcuntur? Rem, opinor, acu

Autoris opinio de Oraculorũ vi.

tangemus, ſi nullis autoribus, nulliſque ſententiis addicti, liberè philoſophari, veritatemque ipſam hinc inde expiſcari voluerimus. Aliorum enim errores, in hac difficultate elucidanda, niſi meum me fallit iudicium, inde emerſerunt, quòd res illas, quæ tanquam partes quædam ad effectum gignendum concurrunt, totas, integraſque cauſas eſſe putarunt. Nos igitur ſcopulum euitabimus, ſi, in hoc pangendo fœtu, ſingulis illis rebus ſuam cuique efficientiæ partem dederimus. Oraculorum itaque cauſam triplicem eſſe exiſtimo, naturalem, artificioſam, & ſupernaturalem. Cauſa naturalis eſt exhalatio tenuis non quidem ab animæ Mundi ſpiritu, aut à cæleſtibus corporibus excitata, ſed vi ſua ex terræ viſceribus erumpens. Non ſunt autem vbique locorum expirationes eædem, ſed pro latentium metallorum varieta-

Aliorum errores de re propoſita, vnde orti

Oraculorũ cauſa triplex.

Oraculorũ cauſa naturalis.

te diſſimiles, atq. adeò diuerſis qualitatibus præditæ, quẽadmodũ etiam aquarum calidarum fontes; quos thermas appellant. Nonnullos enim homines videas, ob hauſtum, & abſorptum vaporem, ſtatim exultare, atque geſtire, alios in rabiem, & furorẽ agi, alios ſtupidos, & ſtolidos reddi, alios tabe cõſumi, ſanari alios, alios prorſus enecari, alios ad loquendum, canendum, diſputandum, & vaticinandum promptos, & alacres fieri. Ex varia namque eorum, qui ſpecus ingrediuntur, affectione, varij quoq; oriuntur effectus, vt nulla alia ſympathia aut antipathia quęrẽda ſit. Scito tamen, vaporẽ illũ terreſtrẽ neq. à cæleſtibus corporibus, neque ab elementis, neque ab alia quacunque re vllam obtinuiſſe vim, qua rudes, & imperitos homines Philoſophos, Poëtas, aut Vates efficere poſſit. Sed duntaxat natura ſua, ad cerebrum

Terreſtriũ exhalationum effectus varij.

elatum, ita ſpiritus excitare, & commouere, vt qui Philoſophiã iam didicit, ſubtiliùs philoſophetur, qui Poëſim, liberaliùs carmina fundat, qui ad loquendum procliuis eſt, tam multa loquatur, vt caſu aliqua prænunciet, quę ventura ſunt, hincque fatidicus cenſeatur. Id, quod interdum etiam generoſi vini exhalationes efficiunt; quinimmò, vt nonnullis placuit, Hederæ commanducata folia, ebrietatis quandam ſpeciem referentia, & mentes ad furorem procliues, mirum in modum incitantia. Hincque fortaſſe Poëtis hederaceæ coronæ dabantur, vt earum vapores, in cerebrum ſenſim penetrantes, nonnihil furoris inducerent: nam, vt Democritus, & Plato aiunt, ſine furore Poëtę magni eſſe non poſſunt. Terreſtris igitur expiratio, ex adytis locis euadens, prima Oraculorum origo, aut veriùs occaſio fuit, vt de

Hederæ facultas inſignis.

Lege Plut. in quaſt. Rom. 9. 112. Oppoſitum ſymp. 3. q. 1. Solue ex Gal. 7 ſimpl & Dioſc. lib. 2. cap. 170.

Lege Pauſan. lib. 9. & 10. Diodor. li. 16.

Trophonio, & Delphico Hiſtorici tradidere, ne multa modò recenſeam. Auxit deinde eorum facultatem, & vim hominum induſtria, aut, quod magis crediderim; calliditas, atque verſutia. Ex multis enim, qui ſpeluncas ingrediebantur, locorum præſides, & ſacerdotes illos precipuè obſeruabant, qui ad inſaniam procliuiores erant, eoſque ipſos, tanquã magis idoneos ad vaticinandum deligebant. Cumque fama percrebeſceret, alicubi Vates eſſe, qui conſulerent, & futura prædicerent; multi largis muneribus eò aduolabant, vt Oracula peterent. Reſponſa accipiebant, ambigua, obſcura, perplexa, cuiuſmodi ſunt Aſtrologorum prædictiones, quæ aliquando probabantur euentu. Hinc pietas, religio, cultus: hinc præclara, & magnifica templa: hinc grandia, & copioſa dona, ſacerdotibus oblata, quorum vi plerumque

Oraculorũ cauſa artificioſa.

Oraculorũ reſponſa ambigua.

rumque

rùmque pro conſulentium votis Oracula dabantur. Nonne Pythia, vt Demoſthenes ſcribit, à Philippo corrupta, Oracula fudit? Nonne item Delphica Vates, Pauſania teſte, à Cleomene muneribus laceſſita eſt, vt quod ipſe præſcriberet, Lacedemoniis conſulentibus reſponderet? Hęc igitur eſt ſympathia illa, quam inter halitum, & Vatem deſiderari dicebant. Hic eſt purior, & acrior ille ſpiritus, qui ex terræ viſceribus, aut potius ex conſulentium crumenis egrediebatur. Vt iam intelligas, Oracula illa, quæ à natura ipſa primordia quædam acceperunt, hominum deinde commenta fuiſſe, aſtu, & fraude in antris, obſcuriſque locis reddita, &, ſi quid Peripateticis credimus, ad turpes quæſtus excogitata. Cæterùm vt maiorem adhuc fidem acquirerent, atque ad ſummum tandem faſtigium euaderent, naturæ

Oracula muneribus corrupta. *Pauſan. lib. 3*

Oraculorũ fraus. *Lege Euſeb. lib. 4. de præp. c. 7. & Rhodig. li. 1. c. 33.*

Oraculorũ cauſa ſupernaturalis.

viribus, hominumque ſolertię Dæmonum malitia, incredibiliſque poteſtas addita eſt. Cùm enim in ſpeluncis, fœdiſque locis libenter inhabitent, atque terreſtris vaporis facultatem, ſimplicium hominum credulitatem, ſagacium aſtutiam, & auaritiam, omniumque futura, & occulta ſciendi natiuam libidinē animaduertiſſent; opportunam inde occaſionem nacti, ſeſe operationibus illis immiſcuerunt, & Oraculorum autoritatem ita auxerūt, vt eorum reſpōſa non humanitùs, ſed diuinitùs reddita crederentur. Quod ſanè illis perquam facilè fuit, aut Vatis cogitationem mouendo, aut modis aliis innumeris, conſulentibus incognitis, reſpōdendo. Qui enim ex puteis, peluibus, phialis, cribris, ſpeculis, annulis, vmbris reſponſa dare ſoliti ſunt, iidē quoque ex antris, & ſpecubus, immò verò ex hominibus animi ſenſus aperire facillimè potuerunt. Vt miran-

dum minimè ſit, rudes, & ineptos homines, non minus Dæmoniaco, quã terreſtri ſpiritu impulſos, & linguis peregrinis locutos, & carminibus vaticinatos eſſe. Vix appellem Philoſophos, qui non intelligũt, huiuſmodi operationes naturæ vires excedere; & aliis cauſis, prçterquã humoribus, & expirationibus, eſſe tribuendas. An Grçca illa mulier, vix domo egreſſa, quam ſcribit Pſellus Armenicâ linguâ expeditiſſimè locutam eſſe, naturæ id viribus facere potuit? Profectò ſi vlla eſt Philoſophia, quæ id doceat, me in Philoſophia parũ profeciſſe profiteor; cũ ab hoc ipſo naturalis ratio me omninò reuocet, atque abducat. At id docet, inquies, Ariſtotelis Philoſophia. Ariſtotelem ego reuereor, obſeruo, ſuſpicio; ei tamen nihil plus arbitror, quàm homini tribuendũ. Non crederem Euangelio, ſcripſit aliquãdo D. Auguſtinus, niſi

Pſellus de Dæmonibus.

Ariſtoteli quantum tribuendũ.

Auguſt. dictum cõtra Epiſt. fund. Manich. c 5

Eccleſiæ Catholicæ autoritas me ad illi aſſentiendum commoneret. Non credam Ariſtoteli, inquam ego, niſi ad illius dicta comprobanda naturalis ratio me coegerit. Nulla autem eſt naturalis ratio, quæ mihi ſuadeat, ignarum hominem, atri humoris, aut terreſtris exhalationis vi, doctum; & variis linguis eruditum euadere poſſe. Ariſtoteles, qui omnem ſuam Philoſophiam deprompſit à ſenſibus, aut negauit Dæmones, aut eos eſſe confiteri noluit, quia eorum operationes naturali ratione aſſequi non potuit: ac propterea rebus corporeis admirabiles quoſdam effectus adſcribere coactus eſt, quos, vt agãt omni conatu, nunquam propriis viribus attingent. Ego verò, qui mihi non adeò anguſtos philoſophandi limites circumſcripſi, minus abſurdum puto, Dæmones concedere, eoſque multarum rerum autores fa-

Ariſt. cur Dæmones eſſe confiteri noluerit.

Ant. Bern. Mirand. lib. 19 euerſ. ſing. cert. ſect. 10. in extremo.

Autor quid de Dæmonibus philoſophicè ſenſerit.

cere, quàm à natura id petere, quod dare nulla ratione poteſt. Æquo igitur animo Peripatetici ferant, ſi ad difficultates quamplurimas, & illas quidem inextricabiles euitandas, Dæmonibus etiam ipſis ſuam in fũdendis Oraculis partem dederimus, atque id, quod iam experientiâ comprobatum eſt, rotundo ore affirmauerimus. Noui ego Venetiis pauperem quandam mulierem à Dæmonibus obſeſſam, quæ interdum ſtolida erat, interdum verò linguis variis loquebatur, atque de rebus multis ad Mathematicam, Philoſophiam, & ſacram etiam Theologiam pertinentibus, diſſerebat. Quod ego certè ab aliis non audiui, ſed ipſemet cum eadem ſemel, & iterum diſputaui. Eruntne igitur tàm portentoſi effectus humori melancholico tribuendi? At inquiunt, cur ergo ſæpè, atrâ bili expurgatâ, magna hæc, & admi-

Nota de muliere à Dæmonibus obſeſſa. *Lege Fernel. lib. 2. de abdit. rer. cauſ. cap. 6.*

Obiectio, & ſolutio. *Mart Delr. lib. 4. Magodiſq. c. 2. q. 6.*

randa ſtatim euaneſcunt? Reſponſio eſt facilis, quia frequenter vnà cum atrabili Dæmones etiam exeunt; cùm in expurgatis corporibus non amplius ſibi amicas affectiones reperiant. Hincq; fit, vt mulieres frequẽtiùs, quàm viri, & illæ præſertim, quibus menſtrua ſubſtiterunt, à Dæmonibus obſideãtur. Gaudẽt enim fœda illa colluuie, & atro quocunque vapore, vt mirum nemini videri debeat, ſi ſpeluncas, & adyta loca frequentent, atq. ex eis Oracula reddãt. Amabo te, Querenge, vnctiones illę, expiationes, ſacrificia, oblationes, & alia plura, quæ à conſulẽtibus, priuſquam ad Oraculum accederẽt, præſtabantur, nonne apertiſſima erant indicia Dæmonolatriæ? Quid tanto rerũ apparatu opus erat, ſi ſolius naturæ opera Oracula putabantur? Tãtum de vaticinio ex antris. De Oraculis verò, quæ ex ſtatuis, aliiſq. rebus inanimatis reddebantur, haud multa

Cur mulieres frequẽtiùs, quàm viri à Dæmonibus obſideãtur.

Ratio ſuadens, Oracula à ſupernaturali cauſa pendere.

Oracula ex ſtatuis, aliiſque rebus inanimatis reddita qualia fuerint.

dicturus ſum, cùm paucos eſſe mihi perſuadeã, qui nõ intelligant, ea ipſa aut latentium hominum, aut illudẽtiũ Dæmonum impoſturas fuiſſe. Eſt ne quiſquam Philoſophi nomine dign⁹, qui affirmare audeat, ligna, marmora, aquam, & id genus alia, tot, tãtiſque à natura facultatibus inſignita eſſe, vt & intelligere, & loqui, & reſponſa conſulentibus dare poſſint? Fuit olim in Epiro, nemori cuidam proximũ, Dodonis Oraculũ, vbi fama eſt, vocales quercus creuiſſe, & reſpõſa interrogãtibus tradidiſſe. Aliud erat Argis, vbi ſtatis diebus, agni epoto sãguine, viri neſcia mulier futuros præcinebat euentus. In agro etiam Patauino, ne longè ab hiſce regionibus recedamus, iuxta Montagnoni collem, aliquando fuiſſe legimus Oraculum Gerionis, vbi, in aquã iactis talis, reſponſa dabãtur. Ecquis, obſecro, hęc referat in cauſas

Oraculum Dodonis.
Strabo lib. 7.

Oraculum Argiuum.

Oraculum Gerionis olim in agro Patauino.
Scardeon. lib. 1. *claſſ.* 3. *in praef.*

Exempla multa. *Lege apud Siren. lib. 9. cap 12.*

naturales? Nonne incerta illa, & interdum etiam immania reſponſa, quibus ad obtinenda vota, placandaque numina, mactari iuuenes, & virgines præcipiebantur, apertiſſimè indicabant, non aliunde, quàm à ſubdolis hominibus, & ab humani generis acerrimis hoſtibus, hoc eſt à Dæmonibus ipſis oracula proficiſci? Vafri, & malitioſi homines ex certis quibuſdam lignis, humore plurimo refertis, vt ex Lauro, Cedro, Ebeno, Pino, Cupreſſo, Quercu, Buxo, Olea, Vite, & id genus aliis, ſimulachra fingebant, eademque in delubris magna cum veneratione collocabant. Ad hæc tanquam ad diuina numina ſimplices homines, magna fiducia, auxilij cauſa confugiebant. Orabant, rogabant, quod animo cōceperant, exprimebant: dumque ab Idolis reſponſa ſe accipere arbitrabantur, ipſi illi homines latenter, &

Ligna varia, ex quibus antiquitas ſimulachra fingebat. *Leonic. lib. 1. de var. hiſt. cap. 65.*

artificioſè Oracula reddebant. Interdum autem contingebat, vt tenuis quidam humor, quaſi ros, ex ligni meatibus excideret; tuncque ſtatim vulgus ſudaſſe Apollinem, Iouem, aut aliud quoduis ſimulachrum exiſtimabat. Dum verò pinguis humor exibat, & fortè fortuna in reſinam coactus alicui parti corporis adhærebat; tanquam miraculum maximum, fataléque portentum id accipiebat, & magnum aliquod inde facinus à numine expectabat. Cæterùm vt cordati quoque & ſapientes viri, qui ſimulata duntaxat religione Oraculorum templa adibant, aliquã de Diis opinionem haberent, & ad colenda Idola quibuſdam quaſi prodigiis allicerentur, Dæmonum etiam facultas adhibita eſt. Qui ſimulachra hinc inde voluentes, reſponſa ex illis reddentes, occulta denunciantes, & futura temerè prædi-

Cur interdum Deorum ſimulachra ſudarunt.

Cal. Calcagn. lib. de citr. ced. & cit.

Dæmonum vis ſimulachris adhibita.

centes, tantam admirationem mouerunt, vt Philoſophos etiam quãplurimos in aliquam numinis ſuſpicionem traduxerint. Vtrum autem ſpontè an accerſiti accederent, aliò pertinet. Scio, exiſtimaſſe Ægyptios, Magicæ artis beneficio, Dæmones in ſtatuas introduci facilè poſſe, ſi illæ videlicet ex certis lignis, lapidibus, aut alia materia, certis Dæmonibus deſignata, ritè compoſitæ fuerint; quaſi eis ſtatim dare animam cogerentur. Sed profectò nulla eſt naturalis Magia, quæ id doceat, ſed ſuperſtitioſa tantùm, quæ tacitam, vel expreſſam continet cum Dęmonibus pactionem. Nimis enim libenter, ad decipiendos homines, & ad latriam aucupandam Dæmones accedunt: quorum poteſtas, orto iam veritatis lumine, ſatis, ſuperque debilitata eſt, vt tot Idola, & Oracula indicant,

Dæmones an arte Magica in ſtatuas poſſint introduci.

Mercur. Triſm. in Aſclep. cap. 9.

quæ penitus euanuerunt. Maligni ergo ſpiritus ij ſunt, qui ſub ſtatuis, & conſecratis imaginibus delitеſcunt, quique afflatu ſuo, vt D. Cyprianus ait, Vatum pectora inſpirant, extorum fibras animant, auium volatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt, & falſa veris ſemper inuoluunt. Ab horum execrando cultu, quemadmodum ex multis Sacræ Scripturæ locis elicere eſt, nos ſemper Eccleſia abduxit & reuocauit. Cuius ſola autoritas (ne te pluribus morer) ſatis arguit, oraculorum vim rebus naturalibus minimè accerſeri. Vale. Ex Pernumia, Patauini agri Vico, VI. Idus Octobris. M DC XVI.

Cyprian. lib. de Idol. vanit.

Leuit. 20. 26 Deut. 7. 18. Sap. 14. 4. lib. 1. Reg. 28. Iſaia 74.

Octauio Liuello, Iuriſconſulto Patauino, in Patrio Gymnaſio Iuris Ciuilis Interpreti primario.

Epistola XII.

De Sibyllarum furore.

De Sibyllarum origine, & numero legendus eſt *M. Varro lib. rer. diu. ad C. Cæſarem. Lact. lib. 1. de falſ. rel. c. 6. Hieron. lib. 1. contra Iouin. & Panuin. lib. de Sibyllis.*

PVLCHERRIMÆ illi diſputationi, quam ſuperioribus diebus domi tuæ inuicem de Sibyllis habuimus, & ob temporis anguſtiam abſoluere non potuimus, pauca omninò deeſſe mihi perſuadeo. Quęcunque enim de illarum origine, nominibus, numero, locis, atque vaticinationibus dici poſſunt, tanta eruditione, & eloquentia à te explicata fuerunt, vt haud ſatis capiam, quid illi eſſe poſſit ſatis, cui illa non ſunt ſatis. Exigua quædam ſupererant, à me

propoſita, de earum furore, & vaticinationis qualitate dicenda: quę, ne imperfecta diſputatio maneat, hac epiſtola ad te mittere, & prope ſingulari iudicio tuo ſubiicere decreui. Mulieres quaſdam fuiſſe, rerum futurarum præſcias, & diuinorum cõſiliorum interpretes, ac internuncias, Sibyllarum nomine nuncupatas, tot iam Poëtarum, Hiſtoricorum, Philoſophorum, Theologorum, & veterum quorumcunque ſcriptorum teſtimoniis receptum eſt, vt è viris doctis neminem arbitrer eſſe, qui hac de re vel ambigat quidem. De Chriſto etiam, Seruatore noſtro, multa prænunciaſſe, vt aduentum, dolores, cruciatus, mortem, & alia complura, concors eſt Sanctorum Patrum ſententia, à quorum autoritate recedere nefas eſſet. Vtrum autem caſtę, & virgines illę fuerint, an corruptæ, & vitiatæ; vtrum probæ,

Sibyllas fuiſſe teſtantur *Virg. lib. 3. Aen. Ouid. 14. Met. Iuuen. Saty. 3. Diod. lib 4. Biblioth. Plin. lib. 2. cap. 33. Tacit. lib. 4. Annal. Pauſan. in Phoci. Strabo lib. 14 Plat. in Theag. & [illegible]ad: Ariſt. 30. ſect. Probl. 1. Cic. de diu. Plut. de Pyth. Orac.*

Sibylla multa de Chriſto pręnunciarunt. *Clem lib. 6. Strom. Aug. 18. de Ciu. c. 23. Iuſt. lib. admonit. ad gent. Iſid. lib. 8. orig. cap. 8.*

Sibyllæ qualesnam fuerint.

an improbæ; vtrum vero Deo, an Diis gentium, hoc eſt Dæmonibus conſecratæ, incertum omninò eſt apud autores varios, varia ſcribentes. Nolo te aliorum commentis obtundere: quid ipſe ſentiam, explicabo paucis. Sibyllas omnes mulieres arbitror fanaticas, furentes, fatuas, atque deliras extitiſſe; eaſq; partim atro humore percitas, partim Dæmoniaco furore incitatas vt plurimum vaticinatas eſſe. Loca, vbi oracula fundebant, vaticinandi ratio, moduſque, oraculorum genus, & quędã ab ipſis geſta, idipſum planè commonſtrant: Si loca ſpectes, antra erant, ſpeluncæ, & tẽpla Dæmonibus dedicata, quos antiquitas Deos eſſe putabat. Sibylla Delphica Tireſiæ filia, quę, teſte Varrone, omnium antiquiſſima fuit, & à Chryſippo in eo libro, quem de Diuinatione compoſuit, celebrata, in templo Apollinis vaticinata eſt. Cu-

Autoris opinio.

Sibyllarum loca vaticinationibus deſtinata.

mæa in antro Cumano, prope Puteolos, quod ego vidi, & ſcio etiam, te illuc adiuiſſe. Aliæ verò in aliis ſpecubus, obſcuriſque locis, magis certè ad Dæmoniacum, quàm ad diuinũ ſpiritum accipiendũ accõmodatis. Audi nunc modum, quo vaticinabãtur. Narrat Iuſtinus, Sibyllam Cumæam, quam Ariſtoteles Erythræam etiam, & Melanchrænã appellauit, (vt hinc etiam pateat, quàm temerè multi de earum numero, atque nominibus effutiuerint) priùs quàm ad vaticinandum accederet, aquâ in vaſis quibuſdam cõtẽtâ, lauari ſolitã: quæ poſtmodum, acceptâ ſtolâ, in abditiſſimã tẽpli partem ſeſe includens, & throno conſidens oracula reddebat. Et Plutarchus ex Heracleto ſcribit, primã Sibyllã furente ore, atq; ſpumãte reſpõſa dediſſe: eãq; ne morte quidẽ vaticinandi finem ſe facturum dixiſſe, ſed ex ea, quæ in Luna apparet,

Sibyllarum vaticinandi modus.

Ariſt. lib. de admir. audit.

Plut. lib. de Pyth. orac.

facie, futura hominibus pręmonſtraturam. Elicere ne quiſquam poteſt ex hoc vaticinandi modo, diuino eas ſpiritu repletas fuiſſe? Legimus quidem, Prophetas multa per quietem vidiſſe, & modis variis ſupernas illuminationes accepiſſe; nũquam tamen furentes, & fatuos, totque cerimoniis adhibitis, vaticinatos eſſe. Quid dicam de Oraculorum genere? diuinitatem ne pręfert vaticinium illud, ex libris Sibyllinis deſumptum, quo Romani ad auertenda pericula, quæ ſibi, ob vitiatas Veſtales virgines, Æmiliam, Liciniam, & Martiam, imminebant, peregrinis quibuſdam, & alienis geniis duos Gręcos, totidémque Gallos homines in foro boario viuos defodere iubebantur? Illud autem Cumanę Sibyllę facinus, tantopere celebratum, dum coram Tarquinio Priſco, Romanorum Rege, ob pretij

Sibyllarum Oraculum. *Plut. in quæſt. Rom. q. 83.*

Res geſta à Sibylla Cumana coram Tarquinio Priſco reprehenſione potiùs, quã commendatione digna.

magnitudinem,

magnitudinem, eius oracula recuſánte, tres primùm libros, deinde verò tres alios tantâ indignatione, aut veriùs immanitate combuſſit, quis obſecro ſanę mentis non deteſtetur? Tantáne erat in religioſa muliere pecuniarum auiditas? Itáne diuina monita, atque præcepta cuſtodiebantur? Si Dei afflatu, ad ſalutem humani generis compoſita fuerant volumina illa, cur eadem furens, & irata Sibylla igni donauit? Aut ego vehementer erro, aut id genus mulierum nullam vnquam cum Deo, vel cum bonis ſpiritibus iniit ſocietatem. Errare autem libet cum Ambroſio, qui mundi ſpiritum eum vocauit, per quem fanatici arripiuntur, qui ſine Deo ſunt. Hic eſt, inquit, qui per veriſimilia fallitur, & fallit: hic eſt, qui per Sibyllam locutus eſt, ſenſus noſtros ſecutus, locum volens inter cæleſtes habere. Quod

Ambroſ. in com. 1 ad Corinth. c. II.

igitur de oraculis aſſeruimus, idipſum arbitror de Sibyllis dicendum: earum videlicet vaticinia miſta quodammodo eſſe, nec ab vna tantùm, ſimplicíque cauſa, ſed à pluribus proficiſci. Plato de Sibyllis verba faciens, ipſarum vaticinia ſuſpexiſſe potiùs, atque obſtupuiſſe viſus eſt, quàm propriam vllam eorum rationem reddidiſſe. Fatidicos tamen diuinos appellare voluit, quòd ſcilicet ignari eorum, quæ proferebant, & magna, & multa verè pronunciarint. Scripſit etiam, eoſdem per furorem, diuino quodam munere conceſſum, maiora beneficia in Grçciam contuliſſe, quàm mentis compotes; quaſi ſolo diuino impulſu, citra vllam interiorem vim, aut alterius facultatis appulſum vaticinati fuerint. Ariſtoteles Sibyllas putauit atrę bilis ęſtu, circa mentis ſedem exagitatas, ora-

Plato in Memnō. & Phæd.

Ariſt. 30. ſect. probl. 1.

cula fudiſſe. Pomponatius à dupli-ci cauſa pendere Sibyllarum oracu-la exiſtimauit ; à corporibus cæle-ſtibus, affectionem quandam, & promptitudinem ad vaticinandum inducentibus ; & à Deo, furorem immittente, atque Sibyllas ad va-ticinandi actum reuocante : niſi enim Deo implerentur, & fure-rent, reſponſa non dabant. Marſi-lius Ficinus Sibyllarum vaticinatio-nes in magnam animi à ſuis operi-bus vacationem retulit. Sibyllæ enim, & Pythiæ ſacerdotes, inquit, cùm in Iouis, aut Apollinis antrum ſecederent, vbi numen ipſum adeſ-ſe credebant, tantâ admiratione, at-que ſtupore de maieſtate numinis cogitabant, vt ſenſus omnes tàm interiores, quàm exteriores, actus ſuos illicò prætermitterent ; tum-que mens ſola expoſita numini, ſi-ue Deus ille fuerit, ſiue Dæmon,

Pompon. de incant. cap. 12.

Marſil Ficin. lib. 3. de immor. anim. cap. 2.

ſupernos nutus, atque afflatus perſentiebat. Ego verò Sibyllarum vaticinia tribus præcipuè cauſis adſcribenda cenſeo, naturę, arti, & Dæmoni, quemadmodum iam à nobis de oraculis concluſum eſt.

Natura. Natura eſt ater humor, vt rectè Ariſtoteles docuit: ideò mirum non eſt, ſi aliquæ mulieres, humore illo affatim repletæ, & loci etiam obſcuritate permotę, interdum præter conſuetudinem locutæ fuerint, & furore incitatæ, quaſi ebriæ, caſu aliquid veri prædixerint.

Ars. Artem dixerim, aut doctrinam, aut aſtutiam: vel enim eruditæ mulieres vaticinabantur: vel latentes homines pro iis reſponſa reddebant.

Cic. lib. 2. de Diuin. Cicero namque ipſarum eloquia aliquando admiratus, attenti illa potiùs, quàm furentis animi ſigna eſſe perhibuit.

Dæmon. Dæmon autem vaticinia perfecit, ſi quando è Sibyllis

quippiam effluxit, quod ſexus imbecillitati minimè reſponderet; immò verò quod longè humanas vires excederet. Huiuſmodi fuerunt Sibyllarum oracula multa, ac Delphicæ præſertim, ex cuius verſibus Homerum tradunt non pauca ad ſui poëmatis ornatum tranſtuliſſe. Furere eos ſemper, & inſanire arbitrabor, qui tantam vim aut humoribus, aut cæleſtibus corporibus, aut aliis quibuſlibet naturalibus cauſis adſcribere nituntur. Tales igitur cenſeo veteres fuiſſe Sibyllas, ſiue quatuor, ſiue decem, ſiue plures extiterint. Earumque carmina, & oracula non ea certè fuiſſe, quæ nunc vulgò circunferuntur, ſed ea fortaſſe, quæ à Romanis tanto in honore habebantur, quæ à Sibyllinis Sacerdotibus cuſtodiebantur, quæ Auguſtus ex variis hinc inde locis ad vrbem de-

Panuinus de Sibylla Delphica.

Cornelius Tacitus.

ferri iuſſit, quæ tandem Stilico, ſeditionem in Honorium Cæſarem concitaturus, igni cremari, penituſque aboleri curauit. Carmina verò illa, octo libris contenta, atque Sibyllis adſcripta, quæ Græcè, & Latinè edita paſſim leguntur, ab erudito potiùs, & ingenioſo aliquo viro, quàm ab illis mulieribus arbitror effluxiſſe. Namque & tempus, & ordo, & dictio, & res ipſæ fidem illis omnem penitus abrogare videntur. Leguntur ibi vaticinia multa de Moſe, de Lege Diuina in monte Sinai tradita, de ductu Iſraëliticæ gentis per deſertum, de ignita columna: multa de Noetico diluuio, de quiete Arcæ ſuper montes Armeniæ, de ſexta ætate: multa de Mundi, & primi hominis creatione, de eius lapſu, atque calliditate ſerpentis: cùm tamen inter viros doctos, & Sanctos Patres planè con-

Lege præfat. ad Oracula Sibyllina.

Nulla Sibylla fuit Moſe prior.

ſtet, nullam Sibyllam Moſe fuiſſe priorem. Quid? Nonne artificioſa illa ſcribendi methodus, qua de Deo, de Creatione, de Mundi regionibus, de Sanctis, de Chriſto, Antichriſto, finali Iudicio, aliiſque huius generis pluribus diſſeritur, apertè indicat, libros illos non à Sibyllis editos, ſed ex ſacris voluminibus decerptos fuiſſe? Id, quod etiam dicendi ſtylus, & carminum illa ſtructura patefacit: quæ non obſcura, & mutilata ſunt, qualia Sibyllina fuiſſe dicuntur; ſed perſpicua, concinna, & vt plurimum diſtincta, atque ornata: vt arte potiùs, & ſtudio, quàm furore, & impetu exarata videantur. Artem porrò detegit quindecim illa Romanorum Imperatorum deſcriptio, nominum expreſſio, rerumque geſtarum expoſitio. Hiſtorias hæc veriùs, quàm oracula dixeris. Quonam enim furore, aut ſpiritu incitatæ Sibyllæ in-

Iuſt. mart. Clem. Alex. Euſeb.

Lib. 5. Sibyll. Orac.

eorum vaticinationem incurrerunt, Dæmoniacóne, an Diuino? Non Dæmoniaco, quia ne Dæmones quidem ipſi certò futura prædicere queunt. At ſi Diuino, cedo, ob quem finem, ob quam vtilitatem? Quod autem vaticiniorum limites tranſcendit, Sibyllarumque autoritates quàmmaximè imminuit, eſt nimis aperta Chriſti Seruatoris prædictio: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, ait Iſaias. Ecce virgo Maria pariet puerum Ieſum in Bethlehem cecinit Sibylla. Ingenium quidem autoris, qui Sibyllina oracula edidit, laudo: libros verò illos à Sibyllis conſcriptos fuiſſe, non credo. Niſi fortaſſe vel preteritorum narratio ad Sibyllinos libros pertineret: ſed tunc Sibyllarum numerus longè denarium excederet. Inſtabis autem mihi, ſi tales fuerunt Sibyllæ, quales tu deſcripſiſti, cur ergo tanquam

Sibyllinorũ oraculorum fraus detegitur.

Obiectio notabilis.

diuinæ vates in ſacris ędibus pinguntur, earumque teſtimoniis, ad diuina myſteria firmanda, Sancti Patres frequenter vtuntur? Vtrum in iis, quæ ad fidem pertinent, rata ſit Sibyllarum autoritas, decernere non audeo. Hoc certò ſcio, earum vaticinia ſacris voluminibus non acceſeri. Sancti Patres Sibyllarum oracula, tanquam ab aliis tradita referunt; ratáne, an irrita ſint, non definiunt. Clemens Alexandrinus ſcribit, Paulum Apoſtolum diſcipulos ſuos ad Sibyllinorum voluminum lectionem hortatum eſſe: autorem citat, locum tamen non affert, ſed ait, in recondita quadam ſcriptura id reperiri, de qua fortaſſe dubitare quiſpiam poterit, an ſit Pauli. D. Auguſtinus ex aliorum dictis teſtatur, Sibyllam Erithræam eo tempore vaticinatam eſſe, quo Roma condita eſt, quo regnum Aſſyriorum inter-

Solutio.

Clem. Alex. lib. Strom. 6.

Aug. lib. 18. de Ciuit. c. 23

cidit, quo Ezechias in Iudæa regnauit. Lactantius quędam de Chriſto Sibyllę vaticinia operi ſuo inſeruit: Sibyllæ autem nomen non expreſſit. Ioſephus itidem, ſuppreſſo nomine, de turri Babel, deque variis hominum linguis, quaſi narrantem hiſtoriam, Sibyllam inducit. Vt hinc iam intelligas, ſcriptores veteres, ſanctoſque Patres valdè ambiguè de Sibyllinis oraculis fuiſſe locutos. Neque verò, propterea quod Sibyllarum imagines, & ſimulachra exhibentur in templis, mulieres illas fateri cogimur ſanctas, & Deo charas extitiſſe: ornatus enim gratia plerunque id fit, & quatenus etiam de Chriſto eædem oracula non pauca fudiſſe creduntur. At quomodo, inquies, fatuę, deliręque mulieres tàm profunda myſteria prædicere potuerunt? Ne mireris, Liuelle; Prophetiæ namque, ſeu vaticinationis do-

Lactant. lib. 1 de falſa relig. cap. 9.

Ioſeph. l. 1. Antiq. c. 9.

Sibyllarum imagines cur in ſacris ædibus pingantur.

Prophetia eſt donum gratis datũ, & fortaſſe Sibyllis cõceſſum.

Lege Delr. lib. 4. Mag. Diſq. cap. 1. q. 1.

num,ex communi Doctorum ſententia,gratis datum eſt, atque adeò iuxta probis,ac improbis Dei arbitratu conceſſum. Sic legimus, Saulem, Balaamum, & Caipham, viros impios,diuinæ virtutis appulſu, vaticinatos eſſe: Probabile igitur eſt, occulto aliquo Dei conſilio,hoc ipſum vaticinationis donum,ipſis etiam Sibyllis, vt Chriſti aduentum multò ante prædicerent, datum eſſe. Hæc mihi ſupererant de Sibyllis dicenda, quarum teſtimonia, quod ad Chriſtum Seruatorem attinet, nec approbo, nec reſpuo. Tu velim quid de illis ſentias mihi quamprimùm ſignifices. Vale. Ex Pernumia Patauini agri vico, IX. Kal. Nouembris. M DC XVI.

1.Reg. 10. *Num.* 22. 23. *Ioan.* 11.

GEORGII RAGVSEII,

VENETI THEOLOGI,

Medici, & Patauinæ Scholæ Philoſophi ordinarij,

DE PVERO, ET PVELLA, qui ad D. Antonii Confessoris altare delati, reuixiſſe putantur, diſputatio.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM D. D. FEDERICVM BORROMÆVM, Mediolani Archiepiſcopum, & S. R. E. Cardinalem Ampliſſimum.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D. FEDERICO BORROMEO, Mediolani Archiepiſcopo, & S. R. E. Cardinali Ampliſſimo,

GEORGIVS RAGVSEIVS, ſeruus addictiſſimus

S. P. D.

EX eo tempore, cùm Mediolano tranſiens, ad te acceſſi, ſacras veſtes oſculaturus, nulla oblata eſt occaſio meam in te obſeruãtiam ſummam, & incredibilem voluntatis inclinationem ſignificandi. Obijt, elapſis menſibus, aut verius abijt Reuerendiſſi-

mus Jo. Baptiſta Milanus, olim Bergomi Epiſcopus, patruus meus: qui quanto te amore proſequeretur, quàm altè de heroicis tuis virtutibus ſentiret, eaſdemque magnificentiſſimè celebraret, quotque arctis beneficiorum vinculis tibi eſſet obſtrictus, vel tacente me omnibus arbitror compertiſſimum eſſe. Pallida mors, quę æqua falce nemini parcit, hæc omnia præcidit, quorum tamen ad me nonnulla quaſi hęreditario quodam iure pertinere videntur, ſed præ cæteris vinculum ſeruitutis. Ne timerem, vt locorum interuallo diſiunctus tibi aliquando exciderem, niſi tua ſingularis humanitas, & conſtans erga ſeruos beneuolentia mihi perſpectiſſima eſſet. Principes vt manus longas, ita voces acutas habent, quę in quantacunque diſtantia exaudiuntur: ſeruo autem benè affecto facillimum eſt, vel abſentis domini ſui iuſſa capeſſere. Mihi autem quid dulcius, atque iucundius eſſet, quàm tua exhaurire, & conſi-

cere mandata? Quod vt ex voto accidat, breui hac epiſtola, mei apud te memoriam excitare decreui; atque ſimul diſputationem quandam, grauem illam quidem, & fortaſſe non iniucundam ad te mittere. Hanc quæſo accipe, tanquam leue quoddam meę in te obſeruantiæ pignus, méque in eorum numerum, qui tibi addictiſſimi ſunt, habere ne dedigneris. Vale. Patauij XVIII. *Kal. Septembris.* M DC XVII.

ANNO MDCXVII: menſe Maio, pridie illius diei quo feſtum corporis D. N. Ieſu Chriſti celebratur, circiter horam decimam inopinatus ignis turriculam irruit, vbi puluis bellicis tormentis præparatus, iuſſu Principis conſeruatur. Illicò ſtrepitus ingens, quaſi bombardæ auditus eſt, non Patauij ſolùm, ſed Viceſiæ, Taruiſij, & aliis multis in locis, plus triginta millibus paſſuum Patauio diſtantibus. Totius ferè ciuitatis domus contremuerunt: apertæ ſunt portæ, & feneſtræ multæ, vel fortiſſimis vectibus clauſæ: fracta ſunt vitra, ceciderunt tegulæ, camini, trabes: omnes hoc velut panico terrore attoniti cogitare cæperunt, cuinam rei tantos, ac tam repentinos motus aſſignandos putarent. Nonnulli tremere terram arbitrabantur, indéque breui fore vt vniuerſa ciuitas labefa-

ctata

ctata conciderent. Timebant alij, ne immani telluris hiatu deuorarentur. Alij, admotis machinis, ciuitatem ab hoſtibus expugnari putabant. Alij in actis cuniculis accenſo igne, eandem euerti ſuſpicabantur. Nec defuerunt, qui terrore perculſi, ſeneſcentem iamdiu Mundum tandem interire crediderint. Erectis autem ad cœlum oculis, vbi denſiſſima nube obſcurari Solem deprehenſum eſt, & in ea ſtridor quidam, & ſonus quaſi exſibilantis Draconis auditus, quidnam res ipſa eſſet, omnes facilè intellexerunt. Eò ſtatim conuolant illuſtriſſimi ciuitatis Præſides, & cum illis multitudo maxima nobilium virorum, & omnis ordinis gentium; quinimmò & illuſtriſſimus ac reuerendiſſimus Epiſcopus, vt rem diligentiùs ſcrutarentur, &, vbi opus eſſet, ſua præſentia, conſilio, & autoritate iuuarent. Sed heu miſerum, at-

que horrendum ſpectaculum: ſcena mutata eſt; non agnoſcitur amplius locus: domus omnes, quæ ibi erant, vehementi aëris motu conquaſſatæ, ceciderunt: quæ non longè diſtant, ardenti impulſu concuſſæ, ruinoſæ ſtare vix poſſe videntur. Volantes hinc inde tegulas, & lapides vidiſſes: lapides autem? immò verò & caminos integros, & ingentes trabes, & frumentarias molas, quarum aliquæ ducentis plus paſſibus ab eo loco diſtantes repertæ ſunt. Eò vis, & impetus tormentarij pulueris erupit, vt vitreas ferè omnes feneſtras Eccleſiarum ſanctæ Iuſtinæ, & ſancti Antonij eliſerit, huiuſque monaſterij partem, pulchriorem illam quidem, atque nobiliorem diruerit. Ipſe quoque paulò poſt, incredibili re, atque atroci percitus, locum adij, quamuis inuitus: audiueram multa, maiora reperi. Dirutas, & concrematas ædes

video innumeras, fumantibus adhuc lapidibus, & ſulphur olentibus. Feretra hinc inde, cadauera paſſim, lamentabiles voces multæ, partim eorum, qui ruinis obruti erant, partim aliorum, qui excidio aſtabant. Rectorum vrbis mandatum vrgebat maximè: concurrunt baiuli, cæmentarij, fabrorum omne genus, foſſores, & ruſticorum agmina, ligonibus, palis, ſcalpris, aliiſque huius generis inſtrumentis, & quàm citiſſimè qui ſepulti erant, eruuntur, mortui nonnulli, viui alij, ſemiuiui quamplures. Hic fracto capite, ille brachiis, alius cruribus, ſanguine conſperſi multi, vix ſpirantes, & exanimati alij, omnibus pro ſua quiſque facultate ſuccurrit, ſed multi, paucis poſt diebus, aut horis, doloribus, & cruciatibus perierunt. Interim puerorum, & virorum gemitus, mulierumque eiulatus quamplurimi. Deflet hęc filium

ſuum, ille patrem, vxorē alius. Quid quæris? Multi, qui domo aberant, audito ſtrepitu, ad ſuos redeuntes, inſolenti caſu obſtupefacti, nimióque dolore confecti, obmutuerunt; cùm ſe ictu ferè oculi vidiſſent domo, familia, & omni ſupellectili deſtitutos. Miſerāda certè res, quæ non homines ſolùm, ſed medius fidius penè lapides etiam ipſos flere, & lamentari coegiſſet. Hominum cadauera tria, & quinquaginta reperta ſunt: boum, equorum, aſinorum, mulorum vis non pauca: ędes quamplurimæ ſolo æquatæ iacent. Aſonicum domicilium noſti, opinor, quàm pulchrum, quàm variè ſignis, tabulis ornatum: hortis, vinetis, viridariis, fontibus auctum, atque in Patauinis deliciis habitum: nunc ſpecum diceres, aut veriùs ſpeculum, in quo integrum cuique ſit, tantam calamitatem, iratęque fortunæ imagi-

nem intueri. Cæterùm, vt in tot miſeriis, & ærumnis locus adhuc aliquis clementiæ, atque miſericordię daretur, mirabile quiddam accidit, & certè dignum, cuius memoria ampliſſimis monumentis conſecretur. Accidit enim, vt Bernardinus quidam Foroiulienſis, ſutor, vir probus, & D. Antonij Confeſſoris clientellæ emancipatus, imbre adhuc maximo lapidum effluente, ad ſuos, auxilij gratia, curreret: cui obuiam facta vxor, nunciat, corruiſſe domum, duoſque filiolos, qui dormiebant, alterum menſium quatuor, alterum annorum circiter trium, ruinis oppreſſos, atque ſepultos eſſe. Aduolat ille ſtatim, & obſcura, qua obcæcabatur, caligine pauliſper diſcuſſa, domus reliquias inuenit; lectumque & cunas, vbi iacebant pueri, lateribus, cęmento, tignis, tegulis, ſaxis, & id genus aliis obductas penitus eſſe.

Tectum enim ſupra contignationem ceciderat,& vtrumque ſupra lectum,quod infra erat: tota materia ad altitudinem pedum ferè ſex. Admouet aures, nec voces filiorum audit: heu,inquit,mortui filij ſunt, ſtatimque ruinam detrahere incipit,ſed ſolus deſperat, ob materię multitudinem,ſe operi ſufficere poſſe. Inclamat: tres illicò præſtò ſunt amici, & omnes ſimul quàmcelerrimè ad opus accedunt. Supra cunas non multum materię ciderat; ideò minorem puerum,ſpirantem quidem,ſed morti proximum è ruinis extrahunt, in capite,humero, mento, temporéque oblæſum; qui ab genitrice excipitur, eiuſque complexu fouetur. Accedunt ad alterum, cumque multum materiæ detraxiſſent,puluinar detegunt, & ponè pueruli caput tantùm, apertis quidem oculis, ſed immotis, & puluere conſperſis: fa-

cies itidem tota puluerulenta, ſanguinéque ex ore, & dextro tempore ſenſim effluente, madefacta. Non vociferatur, non mouetur, non ſpirat, indicant, omnes mortuum. Conantur illum è ruina extrahere, ſed pondus nimium, quo corpus reliquum premebatur, conatus irritos facit: tantus enim materiæ aceruus erat, vt fulcra lecti, grauitati cedentia, diffracta conciderint. Demunt denuò, imminutoque pondere, ſtoream ſubleuant; quæ proximè cum reliqua materia pueri corpus vſque ad collum operiebat; horaque amplius magno adhibito conatu, illum denique, corroſis aliquantulum femoribus, extraxerunt. Pater continuò D. Antonii opem implorans, nullo intermiſſo tempore, accepto puero, citato gradu ad eius ædem proficiſcitur, hac fide munitus, vt ſancti viri precibus, ſibi eſſet Deus

omnipotens mortuum filium reſti-tuturus. Affertur puer, cadentibus brachiis, capite, cruribus, colore liuido, ita, vt omnis multitudo ſubſequens illum omninò mortuum reputaret. Quinimmò Ioannes quidam à Porta, ſcholaris Græcus Cæphalenenſis, rem audiens, nec, vt ipſemet aſſeruit, S. Antonii miraculis credens, acceſſit ad puerum, quem cùm mortuum iudicaſſet, riſit patris ſimplicitatem, & vnà cum aliis Eccleſiam introiuit, de ſanctitate viri periculum facturus. Ingreſſus igitur Bernardinus templum, magno comitatu, proiicit filium ante Sancti ſepulchrum; ibique ex intimo corde, multis nō ſine lachrymis, ad eum preces effundens, humiliter rogat, vehementerque petit, vt viuum ſibi filium elargiatur. Admiranda res, vix dum effuſæ preces, cùm pueri labra quodam ex aſtantibus tangente, ille

ſtatim oculos, caput, brachia, pedes mouere incipit; atque erectus hilari vultu ſepulchrum verſus aſpiciens, quaſi gratias benemerenti Antonio agere velle videbatur. Reſonat tunc clamoribus Fanum, Surrexit puer, Surrexit: & præcipuè Græcus ille Antonii ſanctitatem, nouumque miraculum prædicauit. Amplectitur genitrix puerum, cui aqua benedicta faciem abluit, & ouum ſorbile porrigit, quod à monumenti cuſtode acceperat, ſed tamẽ illud renuit. Deinde habitis Antonio gratiis, parentes diſcedunt, & puerum in domum compatris deferunt, quem paulò poſt fruſtulis panis, vino madefactis, reficiunt. Sumpto cibo, obdormiuit, & experrectus ſurrexit, loquens, ambulans, ridens, ac ſi nihil mali ei accidiſſet. Intus tamen nonnihil doloris ſentiebat, & liuor quidam in pectine, & virgula remanſit, atque po-

ſtridie alui excrementa ſanguine tincta prodierunt, interioris contuſionis euidentiſſimum ſignum. Interrogatus, quiſnam eum ſubleuaſſet? Reſpondit, Beata Virgo, & D. Antonius. Præterea ſe, dixit, cùm in lecto eſſet, puerorum copiam, iunctis manibus vidiſſe, parenteſque rogitabat, vt ad ſuam cameram redirent, eoſdem reuiſuri. Quinimmò cùm multis poſt diebus vellem ego puerum de ſinu patris, apud me exiſtentis, excipere, & ipſe plorans recuſaret; veni, inquam, eamus ad pueros: ipſe ſtatim venit, & manus iunxit. At verò eo ipſo calamitatum die, non huic vni tantùm D. Antonius, ſed rurſum alteri quoque beneficum ſe, atque benignum admodum præbuit. Namque Anna, cuiuſdam lapicidæ vxor, cùm quatuor filios haberet, abſens, ſtrepitu perterrefacta, domum accurrit, quam pariter euer-

ſam reperit,& filios lapidibus obrutos. Auxilium petit: concurrunt nónulli: ruinas auferunt, & cùm integram horam laboraſſent, quatuor menſium infantem inueniunt, totum contuſum, & vulneratum, fracto penitus brachio, qui paucis poſt diebus è vita deceſſit. Mox ſex annorum puellam ferè incolumem extrahunt. Deinde quatuordecim annorum adoleſcentem omninò extinctum. Denique tribus poſt horis trium annorum puellam, quam mater adamabat, confractam, obtritam, ſanguine perfuſam, lapidibus confectam, & morte deletam reperiunt. Excipit eam mater, dumque miſerabilem caſum deplorat, percrebuit rumor, defunctum puerum, non ita pridem ad altare D. Antonii delatum, parentis fide, ac precibus reuixiſſe. Hoc audito, eadem fide aduolat & ipſa: puellam obiicit, precatur,

obteſtatur, implorat, & poſt quartam horæ partem redditur voti compos: filia enim oculos aperit, eleuat, &, magna adſtãtium admiratione, vitæ reſtituitur. Quoniam verò, ob res huiuſmodi geſtas, multitudinis amor commoueri cœpit, ipſa fama, & opinione miraculorum; ideò illuſtriſſimus Epiſcopus, & admodum R.P. Inquiſitor ea diligentia, & vigilantia, qua ſolent, in rem hanc inquiſiuerunt, & conuocatis puerorum parentibus, vnà cum iis, qui ad ruinas detrahendas auxilium tulerant, & multis etiam eorum, qui in templo S. Antonij aderant; omnes iureiurando affirmarunt, ſe tàm puerum, quàm puellam mortuos vidiſſe, & eos tales pro certo putaſſe. Neque verò in re tanti ponderis ſolo fuerũt vulgi teſtimonio contenti, ſed Theologos quoque, Iuriſconſultos, Philoſophos, & Medicos ſemel, & ite-

rum in concilium adduxerunt, vt ſuam quiſque ſententiam diceret. Omnium primi fuerunt Medici, quorum nonnulli arbitrati ſunt, cõtingere facilè potuiſſe, vt hi pueri non mortui quidem, ſed metu perterriti, atque exanimati fuerint, repentinaque apoplexiâ correpti. Nãque apoplexia nihil eſt aliud, quàm repentina quædam motus, ſenſus, omniſque animalis functionis priuatio: qua qui perculſus eſt, totus illicò quaſi attonitus concidit; & ſi malum acerbum eſt, fixis oculis, ſine ſenſu, ſine motu, ſine mente iacet, ſolaque à mortuo reſpiratione diſſidet. Eius cauſa in cerebro ſemper exiſtit, quod commune eſt motus, ſenſuſque principium. Poteſt autem eſſe aut interior, aut exterior. Interior eſt craſſus, frigiduſque humor, omnes cerebri ventriculos affatim inferciẽs. Aut minimum quiddam, quod retis

Conſultatio Medicorum. Opinio I.

Apoplexia quid.

Apoplexiæ cauſa duplex.

Io. Fernelius lib. 5. Pathologia cap. 3.

admirabilis arterias, per quas ſpiritus ex corde in cerebri ſinus influit, repentè coarctat, aut obſtruit. Exterior eſt aut caſus, aut capitis ictus, aut conſternatio vehemens, aut quiduis aliud, cerebri ventriculos lędens, & animalis ſpiritus, ac facultatis tranſitum ad debitas partes quoquo modo impediens. Quod in his pueris apoplexiam induxit, fortè fuiſſe ſubitam quandam concitationem, ex metu ortam, dixerunt: qua animales ſpiritus in cerebri ventriculos vehementer agitati, illos ita obſtruxerint, vt immobilia corpora, & ſenſu carentia ad tempus reddiderint; quēadmodum interdum obſeruatum eſt in iis, qui bombardæ ſtrepitu, aut ictu fulminis, & improuiſa etiam colaphi percuſſione conciderunt. Si quis autem pueros diligenter obſeruaſſet, in iis fortaſſe & reſpirationem, & arteriæ micationem deprehen-

Ex ictu fulminis quidam ſtatim apopletici conciderunt.

Amatus Luſit. cent. 3. curat. 23. Hercul. Saxo. in ſua Pract.

diſſet: quæ in apoplexia, niſi cùm iam in propinquo mors eſt, magna, & vehemens eſſe ſolet, quamuis reſpiratio obſcura, atque difficilis. Neque verò abſurdum putarunt, pueros, tantâ ruinarum mole oppreſſos, reſpirare potuiſſe: nam fortè, interpoſito trabe, aut ſaxo, decidens materia impediri potuit, quominus eoſdem iacentes penitus obrueret, ſuffocaretque. Exiſtimarunt alii in ſyncopen potiùs, quàm in apoplexiam incidere pueros potuiſſe. Eſt enim Syncope, teſte Galeno, præceps virium lapſus: innatus namque calor ad cor, tanquam ad propriam arcem confugit, & exteriores partes derelinquit. Hinc fit, vt in ſyncope pulſus aut nullus ſit, aut extremè rarus, & obſcurus: corporis ſumma frigeant, tempora, ceruix, & thorax frigido ſudore madeant; facies palleat; totum corpus quaſi eneuatum ia-

Opinio ſecunda.

Syncope, quid.

Gal. 12. metho. & Paul. lib. 3. cap. 34.

Syncopes cauſæ.

ceat, mens, omniſque ſenſus deficiat. Symptoma hoc timor grauis, voluptas maxima, mœſtitia fortis, prohibita reſpiratio inferre poſſunt. Probabile autem cenſuerunt, horum alterum, aut etiam vtrunque videlicet timorē grauem, & prohibitam reſpirationem inducere pueros in ſyncopem potuiſſe. Nam fortaſſe reſpiratio ſub illis ruinis aut nulla fuit, aut adeò exigua, vt vix ſpeculo, aut flammæ motu in accenſa candela deprehendi potuiſſet. Animans autem aliquandiu ſine reſpiratione, & ſola tranſpiratione viuere poſſe, putant iam ſatis experientia comprobatum.

Opinio tertia. Suffocationis cauſæ, & ſigna.

Alij neque apoplexiam omninò, neque ſyncopen hunc affectum eſſe cenſuerunt, ſed alium quendam miſſum, & vteri præfocationi perſimilem; qui tunc accidere ſolet, quotieſcunque obſtructis quoquo modo faucibus, per aliquod temporis

ſpatium

ſpatium ſpiritus intercluditur. Affe-ctus hic, vt perſæpè in ſe ipſis mulieres experiuntur, ſenſum, pulſumque per interualla intercipit, ita vt laborantes prorſus immobiles, mortuiſque ſimillimæ iaceant. Non negarunt quidem, impediri potuiſſe in pueris tranſmiſſionem animalium ſpirituum è ventriculis cerebri in reliquum corpus, atque adeò affectum apoplexiam redolere: prohibitam rurſum reſpirationem fuiſſe; atque ita ad ſyncopen accedere. Sed addiderunt præterea, tormentarium puluerem vim quandam habere condenſandi aërem, ac inſuper veneficam, quæ haud difficulter vnà cum alterius pulueris attractione, ſuffocationem inducere potuerit. Itaque omnes vnanimes concluſerunt, nullum mortis ſignum in dictis pueris euidens, ac neceſſàrium fuiſſe, probabilia tamen multa, vt ſi quis piè

credere vellet, eos verè mortuos eſſe, & D. Antonii precibus, ac meritis ſurrexiſſe, id citra omnem ſolicitudinem, ac ſcrupulum facere poſſit. Cùm hac de re abundè ſatis, atque prudenter à Medicis diſputatum eſſet, inueſtigataque cauſa, quæ pueros non mortuos quidem, ſed exanimatos, & morti proximos reddere potuiſſet; ad Theologos dicēdi munus delatum eſt, quorum pariter ſententiæ variæ fuerunt. Viſum eſt nonnullis, cùm vel ex Medicorum ſententia probabilius ſit, extinctos fuiſſe pueros, quàm non extinctos; iniuriam quodammodo fieri & Antonij ſanctitati, & piorum hominum fidei, niſi duo hæc miracula promulgentur, quorum fama iam ad longinquas oras permanarit. Cui tamen opinioni ſtatim reclamatum eſt: quoniam impiis hominibus anſa daretur multa, de veris, & approbatis

Theologorum diſputatio.

Opinio prima.

miraculis aliquid detrahendi, niſi horum ſignum aliquod firmum, & cõſtans præberetur. Idque illis ad obtrectandum ſatis eſſet, reſciſſe, Medicos concordi ſententia ſtatuiſſe, pueros non perſpicuè, ac euidẽter mortuos eſſe, ſed in apoplexiam, ſyncopen, aut alium his perſimilem affectum incidere potuiſſe. Statuerunt alij, ad confirmandam D. Antonij ſanctitatem, nouis miraculis non eſſe opus, cùm ipſa per ſe ſatis pateat: & propterea ſi miraculum illud dicitur, quod cauſam habet ſimpliciter occultam, quodque naturæ facultatem omninò excedit, non ita facilè id eſſe miraculo tribuendum, quod in naturæ vires peritiſſimi Medici referri poſſe cenſuerunt. Addiderunt, eos, qui ab Helia, Eliſæo, Chriſto, & Apoſtolis vitâ donati ſunt, ſaluos omninò, atque incolumes reuixiſſe: pueris autem, vbi ſurrexerunt, multa do-

Opinio ſecunda.

Miraculum quid.

D. Tho. par. 1. q. 105. art. 7.

luiſſe membra; quinimmò eorum alterum ſanguinem excreuiſſe. Sed hæc quoque ſententia reiecta eſt: nam ſi non fuit opus miraculis ad confirmandam D. Antonii ſanctitatem, fuit ſaltem opus ad confirmãdam, & augendam eorum fidem, qui pueros ad altare detulerunt, & multorum fortaſſe, qui eos ad eccleſiam proſecuti ſunt. Incertum præterea eſt naturæ opus, nec Medici ipſi idcirco id à natura factum eſſe neceſſariò concluſerunt, quia fieri potuit. At dicebant, incertum eſt, pueros mortuos eſſe. Rectè quidem, ſed incertius, viuos extitiſſe. Quòd autem, poſtquàm ſurrexerunt, dolorē in membris perceperint, & eorum alter ſanguinem excreuerit, hoc nihil de miraculo detrahit, immò magis corroborat: ſignum enim eſt euidens, eos ruinarum pondere verè preſſos, atque adeò ſuffocatione ex-

tinctos fuiſſe. Neque verò opus erat, nouo miraculo prohibere, quominus delapſus iam ſanguis ad inferiores partes poſtridie vnà cum excrementis exiret: id enim naturali facultati relictum eſt, cùm pręſertim puer ille ſtatim reuixerit. Ab oculis quoque Pauli Apoſtoli, vbi viſum recepit, quędam quaſi ſquamæ ceciderunt, quas probabile non eſt, recens à Deo creatas, ſed ex coacto potiùs humore, ad eius oculos delapſo, genitas fuiſſe. Aliorum ſententia fuit, in hoc ancipiti caſu, nullam certam, ac neceſſariam miraculorum rationem habere nos poſſe, probabiles tamen, & ſuaſorias quamplurimas: quæ quamuis ſingillatim acceptę exigui momenti ſunt; omnes tamen ſimul ſumptæ, vim maximam habent demonſtrandi. Puerum in primis duabus ferè horis, puellam verò tribus, ſub ruinis extitiſſe. Vtrunque mor-

Actuum 9.

Opinio tertia.

Rationes plures ſuaſoriæ ad probandum miraculum.

tuum tàm parentes, quàm aſtantes iudicaſſe. Tales quoque nonnullos Philoſophiæ Doctores,& Medicinæ candidatos reputaſſe. Tàm puerum, quàm puellam, non antè, ſed ſtatim ac ad altare D. Antonii delati ſunt, mouiſſe oculos,& ſurrexiſſe. Eoſdem ſubleuatos ne per horam quidem pòſt ægrotaſſe. Pueri patrem continuò D. Antonii opem imploraſſe,& puellæ matrem, audito miraculo, magnâ fide ad eius ædem cucurriſſe. Miraculum etiam confirmare videtur illa pueri reſponſio, ac inſuper viſio, eiuſdémque tàm iucunda recordatio. *Sed* præ cæteris abrogata per Græcum illum D. Antonii miraculis fides: quam quidem placuit Deo nouis miraculis ſuſcitare. *Sicut* olim quorundam hæreticorum occaſione ductus, qui Antonium virum ſanctum eſſe negabant, ſupernaturali virtute effecit, vt calix vi-

Confirmatio ſatis valida.

treus, magno impetu ſaxo impactus, ſaxum frangeret, illæſuſque maneret: atque rurſus, vt exſiccata iamdiu vineæ ſarmenta, & in combuſtibilem faſciculum redacta, vuas emitterent. Non fuit, qui huic ſententiæ refragaretur; quinimmò multi in eam ſtatim pedibus ire viſi ſunt, atque eandem exemplis, & autoritatibus confirmare. Narrat enim D. Auguſtinus, Eleuſinum, virum Tribunitium apud Hipponem, ſuper memoriam Stephani martyris, quæ in ſuburbano eius eſt, ægritudine exanimatum, infantulum filium ſuum poſuiſſe, eundémque poſt orationem, quam ibi multis cum lachrymis fudit, viuentem leuaſſe. Gregorius item Turonenſis refert, infantulũ mortuum à parentibus ante ſepulchrum Maximi Regiẽſis Epiſcopi proiectum, & per noctem, clauſo templo, ibi relictum, parentum fiduciâ, atque pre-

Exempla puerorum quorundã, qui ad ſanctorum ſepulchra delati reuixerunt.

D. Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei. cap 8.

Gregor. Turo. de gloria confeſſorum cap. 83.

catione exauditâ, à mortuis excitatum. Quidni igitur & Antonius ſuorum clientum precationibus auditis, obtinere à Deo potuit, vt eorum mortui filii ad vitam reuocarentur? Si maiorem miraculi euidentiam quæramus, videbimur certè, dixit nobilis, & venerandus ſenex ex eo cœtu, increduli magis, quã Hebręi:
Lucæ cap. 8. nam vbi Chriſtus mortuam filiam Principis Synagogæ ſuſcitauit, non dubitarunt ij, quin mortua eſſet, ſed obſtupuerunt ſtatim, & crediderũt: & tamen nondum abſolutum erat duarum horarum ſpacium, cùm occubuerat. Sed facite, inquit, nullum euidens mortis ſignum in pueris extitiſſe, hoc ſaltem fateamur oportet, eoſdem tanta rerum congerie ſtipatos, D. Antonii precibus, viuos, atq; incolumes, quamuis metu perterritos, & conturbatos permanſiſſe. Neque verò id gratia tantùm dicetur,

ſed miraculum; cùm æquè miraculum ſit, naturalem animæ à corpore diſceſſum inhibere, ac eandem iam egreſſam corpori reſtituere. Auditâ Theologorum communiore ſententiâ, quæ ad miraculum inclinare videbatur, placuit illuſtriſſimo Epiſcopo, vt tertio loco Philoſophi in arenam deſcenderent; exploraturi, num, citra morbum, ea, quæ pueris acciderunt, naturę viribus addici aliquo modo poſſint: expediebat enim, ad miraculi confirmationem, naturæ vires quoquo modo perpendiſſe. Renuebant Philoſophi, ne de re incerta fruſtra philoſophari viderentur, & probabilem tantùm diſputationem inſtituere: nihilominus, vt illuſtriſſimo Præſidi obtemperarēt, duobus primùm, diſputationis gratia, poſitis tanquam certis (qualia tādem ipſacunque fuerint) quid de re propoſita vnuſquiſque ſentiret, libe- Concertatio Philoſophorum.

rè pronunciarunt. Eorum, quæ tanquam certa poſita ſunt, alterum erat, pueros, ruinis obrutos, non reſpiraſſe: alterum, eoſdem verè mortuos eſſe. His poſitis, duo pariter in dubiũ vocata ſunt: alterum, vtrum hi pueri tamdiu, abſque reſpiratione, viuere potuerint: alterum, vtrum eoſdem mortuos ſola natura, citra vllum miraculum, vitæ reſtituere valuerit. De primo nulla fuit apud ipſos difficultas, ſed omnes vnanimi conſenſu decreuerunt, tamdiu pueros abſque reſpiratione viuere non potuiſſe. Namque ſpiratio, vt Medici quoque fatentur, adeò viuentibus neceſſaria eſt, vt & viuentem non ſpirare, & ſpirantem non viuere, ex diametro pugnent. Si cauſam quæras tantæ neceſſitatis, dicunt eſſe triplicem, innati caloris refrigerationem, continuum pabulum, & fuliginum expurgationem: alioqui vnà

An quis poſſit ſine reſpiratione viuere.

Gal. 4. 5. 6. de lo. aff. & lib. de vtilit. reſpirat. cap. 1.

Reſpirationis neceſſitas triplex.

cum animante extingui calorem, & extabeſcere neceſſe eſt; eo modo, quo flamma Medicis cucurbitulis, aut anguſto conclaui coercita marceſſit. His omnibus conſultrix natura in terrenis animantibus vna aëris attractione prouidit. Qui ſi modicè frigidus eſt, cor, quod calore ingenti, tanquam flamma exardeſcit, commodè refrigerat: ſi purus, ac tenuis, congruens ſpirituum ſubſtantiæ, cui calor inſidet, alimentum ſuppeditat: ſi liberè expiretur, fumoſa ignis, caloriſue excrementa ſecum ducit. Efficientem reſpirationis cauſam dixerunt Philoſophi eſſe calorem in corde exiſtentem: ſiquidem caloris proprium eſt, humorem attollere, vt patet in feruentibus ollis: ideò ſanguis in corde feruens, ipſos atque adeò pulmones dilatat, fitque motus cùm pectoris, tùm arteriarum, vnde pulſus, & reſpiratio oritur. Medici verò

Cauſa efficiens reſpirationis apud Philoſophos.

Ariſt. lib. de vita, & morte, cap. vlt. ſect. 34 probl. 52.

Cauſa efficiens reſpi-

rationis apud Medicos. *Gal.5. de lo. aff.cap.1.*

verò reſpirationis motum non à calore, ſed à muſculis thoracis effici cenſuerunt. Hincque inter illos ortum eſt diſſidium, quod ad præſentem difficultatem dirimendam haud exigui ponderis eſt. Cùm enim reſpiratio apud Medicos muſculorum, atque neruorum miniſterio fiat, neceſſariò confeſſi ſunt, ipſam inter voluntarios motus numerandam eſſe. Philoſophi verò, qui eam calori tribuunt, inter naturales recenſuerunt.

Reſpiratio Medicis motus eſt voluntarius, Philoſophis verò naturalis.

Medicorum ratio.

Rationes vtrinque fuerunt variæ, ſed afferam præcipuas. Quod enim reſpirationem arbitratu noſtro excitare poſſumus, & eandem crebriorem, aut rariorem, velociorem, aut tardiorem reddere, contraque ſedare, & cohibere cùm volumus, apertè commonſtrant, dixerunt Medici, eam eſſe motum, qui noſtro arbitrio ſubiiciatur. Quod verò non eſt in poteſtate noſtra, reſpirationem quarum-

Philoſophorum ratio.

libet cohibere; ideò Philoſophi, ipſam eſſe motum naturalem, atque adeò neceſſarium, concluſerunt. In quam ſententiam poſteà Medici deſcenderunt, dicentes, reſpirationem eſſe quidem voluntarium motum, non tamen prorſus, & abſolutè, vt locutionem, & ambulationem, ſed quadā affectus neceſſitate ductum, & incitatum, vt vrinæ, & fœtus excretionem. At Philoſophi hinc demonſtratione elicuerunt, naturalem omninò motum ipſam reſpirationem eſſe: reſpirationis verò modum, & eiuſdem cohibitionem quandam à voluntate noſtra pendere. Id autem à natura ad animantium conſeruationem inſtitutum eſſe, vt ſcilicet aliquandiu ſub aqua viuere, & inquinati, ac malè olentis aëris inſpirationem euitare poſſent: quemadmodum etiam vrinæ, & excrementorum alui retentionem, maioris commo-

Philoſophorū optima concluſio de reſpirationis motu.

Philoſophorum aduerſus Medicos validiſſima ratio.

Vide And. Ceſalp. lib. 5. Perip. quæſtion. q 5.

ditatis gratia, volũtati ſubiecit. Omnium autem validiſſima ratio aduerſus Medicos ea fuit, quoniam in apoplexia, iiſdem autoribus, perit omnis ſenſus, & voluntarius motus, cerebri ventriculis affatim repletis: reſpiratio autem non perit. In promptu fuit reſponſio, animal videlicet tũc quadam affectus neceſſitate compelli. Sed ſtatim reiecta eſt: nam quomodo apoplexia correptus ſentire poteſt neceſſitatem reſpirandi, qui excellentia ſenſibilia non percipit, ſiue pungas, ſiue vras? Si itaque reſpirationis motus abſque ſenſu fit, iam planè conſtat, ipſum nequaquam voluntarium, ſed naturalem eſſe.

Sola tranſpiratio in illis pueris non ſatis eſſe potuit ad vitam conſeruandam.

Id cùm ita ſe habeat, concors Philoſophorum ſententia fuit, dummodo verum ſit, pueros non reſpiraſſe, eo neceſſariò ſuffocatione extinctos eſſe. Neque verò ſola tranſpiratio, quę fit arteriarum pulſu, ad

eorum vitam tuendam ſatis eſſe potuit: nam tametſi in reliquis corporis partibus calorem conſeruet; in corde tamen, quod arboris incendio flagrat, id efficere nequit, cùm maiore illud adminiculo, & quaſi flabello indigeat, cuiuſmodi ſunt pulmones, qui dum attolluntur, aëris inſpiratio fit, dum in ſeſe concidunt, expiratio, & ex his duabus vna reſpiratio perficitur. Nonnulli tamen probare conati ſunt, prohibitam omninò reſpirationem non tàm citò mortem inducere: nam & Iulius Secundus Põtifex Maximus, duos dies, vt fertur, abſque reſpiratione vixit, mortuuſque ab omnibus reputatus fuit: & Ioannes quidam Leſcot, quòd non ſpiraret, & mortuus crederetur, viuus ſepultus eſt. Quibus Philoſophi obuiam euntes, reſponderunt, hallucinatos fuiſſe illos, qui ægrotis aſtabant, putantes, eos nullo pacto reſpi-

Falſa exempla nonnullorum, qui crediti ſunt per multum temporis ſpacium abſque reſpiratione vixiſſe.

raſſe, quia reſpiratio inſenſibilis erat. Immò de Ioanne illo traditum eſt, eum ſtatim moueri cœpiſſe, ac halitum ſibi pręcluſum eſſe perſenſit. Quod animaduertentes ii, qui terra ipſum operiebant, opere ſtatim deſtiterunt, eundemque animam iam agentem ſubleuarunt. Hinc monuerunt Medici, eos, qui apoplexia, vel affectu ſimili mortui eſſe creduntur, non ſtatim ſepeliendos eſſe, ſed vbi etiam variis experimentis compertum eſt, ipſos non reſpirare, adhuc expectandum, donec vel pars aliqua liueſcat, vel corpus malè oleat: proditum enim eſt, nonnullos ſepulturę datos, paucis poſt diebus viuos repertos eſſe. At exemplum ab aliis allatum eſt, quo probare contendebant, hominem vel ſine vlla omninò reſpiratione viuere poſſe. Ferunt enim, Conradum quendam Braitenauerum, Viennæ Auſtriæ propter furtum

Medicorũ monitum de non ſepeliendis ſtatim apoplexia mortuis.

Lud. Mercat. cap. de Apoplexia.

Exemplum notabile cuiuſdam ſuſpendio necati.

Martinus Iſengrinius ex actis Acad. Vien. lib. de ſucceſſio Geſin- [illegible]

furtum laqueo necatum, cùm horis aliquot pependiſſet, ſub crepuſculum à carnifice in Gymnaſium Medicorum, (qui cadauer à Magiſtratu, Anatomiæ cauſa impetrarant) deportatum, ad ſe rediiſſe: & contra carnificis immanitatem, qui laqueũ de collo pendentem denuò conſtringere parabat, defenſum, ſcriptorióque cultello tribus venis apertis, loqui, & ambulare cœpiſſe, & cum Pedello Academiæ Viennenſis Oetingam, voti perſoluendi cauſa, profectum eſſe. Hoc autem exemplum ne digitum quidem Philoſophos fecit à propria ſententia diſcedere. Negarunt enim omnes, ſuſpenſum illum hominem prorſus non reſpiraſſe: nam fortaſſe ex ſuſpendendi modo accidere potuit, vt laqueus non omninò fauces præcluſerit, atque adeò reſpirationi facultas aliqua relicta fuerit. Quamquidem reſponſio- Strangulati qui interdũ

ad ſe redeunt.
Hip. 2. Aph. 43.
Celſus lib. 2. cap. 7.

nem, autoritate Hippocratis, Medici roborarunt, qui docuit, ſtrangulatos, aut ſuffocatos, nondum tamen mortuos, ſæpiùs ad ſe redire, dummodo tamen circa eorum os collecta ſpuma non apparuerit. Spuma enim illa exitiale ſignum eſt, indicãs, cor, & pulmones, ſpirandi neceſſitate compulſos, vltimum conatum adhibuiſſe. Hinc Celſus, nec is ad vitam redit, qui ex ſuſpendio, ſpumante ore detractus eſt. Quod ad alterum attinet dubium, Philoſophi omnes conſtanter aſſeuerarunt, nullam eſſe in natura vim, quæ mortuos ad vitam reuocare poſſit, illud ratum habentes, quod in Philoſophia ſatis tritum eſt, A priuatione ad habitum naturæ viribus regreſſum minimè dari. Quare concluſerunt, aut verè pueros mortuos non eſſe, aut certè eos naturaliter non reuixiſſe. Aliqui tamen ibi aderant, qui, vt eruditionis

Nulla eſt in natura vis, quæ mortuum rediuiuum facere poſſit.

ſuæ potius ſpecimen aliquod præberent, quàm vt Philoſophos coarguerent, dixerunt, ſe apud probatiſſimos autores legiſſe, mortuos plures, citra vllum miraculum, ſolis naturæ viribus reuixiſſe. Attuleruntque exempla varia, quæ, tanquam inania, ſingillatim à Philoſophis reiecta ſunt. Ex Rauiſio primùm, Glaucum quēdam mortuum, præter omnium expectationem, guſtato mellito pharmaco, reuixiſſe. Riſerunt hîc Philoſophi: nam ſi Glaucus mortuus fuit, quomodo pharmacum guſtare potuit? Fuit tamen, qui ex eodemmet Autore, vnde Rauiſius exemplum accepit, ſcrupulum diluerit. Vulgari, inquit, rumore Glaucus mortuus erat, non re vera; ideò cùm poto melle, denuò, prodiit in publicum, quaſi rediuiuus apparuit iis, quibus perſuaſum fuerat eum vitâ defunctum eſſe. Hincque adagium illud

Rauiſius de iis, qui mortui reuixerunt.

Glaucus poto melle reuixit, *Adagium.*

Fabuloſa exempla.
Lege Plinium lib. 7. c. 52. & 55.

originem traxit,, Glaucus poto melle, reuixit. Deinde ex Herodoto, Plutarcho, & Plinio retulerunt, Ariſteam Proconneſium, Caſtrobii filium, ſæpius defunctum reuixiſſe: qui etiam animã quoties voluit, reſumere potuit, ita vt aſſiſtentes eius animã corui effigie euolantem ex ore viderint. Rurſus Auiolam conſularem defunctum in rogo reuixiſſe, altaque voce viuere ſe exclamantem, pædagogi ſui auxilium imploraſſe, ſed è flammis eripi non potuiſſe. Hæc autem ſtatim ex eodem Plinio confutata ſunt, qui inibi ſcribit ad verbum, *Plena præterea vita eſt his vaticiniis, ſed non conferenda, cùm ſæpiùs falſa ſint.* Et alibi, *Similis & de aſſeruandis corporibus, ac reuiuiſcendi promiſſa à Democrito vanitas, qui non reuixit ipſe.* Hîc de Ecſtaſi, & Lycanthropia diſputari cœptum erat, num ſcilicet dari naturaliter poſſint: ſed admodum

R^dus^ P. Inquiſitor ſilentium fieri iuſſit, & ſtatim ad Iuriſconſultos dicendi prouincia demãdata eſt. Quorum ſententia tripartita fuit. Dixerunt nonnulli, in miraculis promulgandis, oppidò quàm cautè procedendum eſſe. Non enim caſu, & temerè miracula fiunt, ſed ad confirmationem fidei: propterea debent eſſe firma, certa, euidentia, & talia, quæ ſupra ſpem, & facultatem admirantis conſiſtant, ſicut fuit Maris rubri, & Iordanis fluminis diuiſio, aliaq; plura, quæ tàm in veteri, quàm in nouo teſtamento leguntur. In re autem noſtra nullam miraculi euidentiam habemus: nam ignoramus primùm, quonam pacto pueri ruinis ſuccumberent: deinde materiæ qualitatem, quæ proximè pueros operiebat: tertiò nullus fuit Medicinæ peritus, qui micantem, aut non micantem arteriam obſeruauerit, experi-

Iuriſconſultorum ſententia triplex. Prima.

Miraculum Canoniſtis quid ſit. *De Conſecrat. Diſt.* II. c. *Reuera.*

mentumue aliquod ad reſpiratio nem dignoſcendam adhibuerit. Prę terea vocati, atque rogati teſtes non ij ſunt, quibus hac in re plena fides habenda ſit: quod enim iudicium ferre potuerunt puerorum parentes, tot miſeriis excruciati, tantoque luctu, atque mœrore confecti? Alii verò, qui vel ad ruinas detrahendas prę ſtò fuerunt, vel magno comitatu, ad templum S. Antonij concurrerunt, rudes ferè omnes, & ſimplices erant, atque ad pietatem propenſi; propterea mirum non eſt, ſi facilè dixerint, ſe & pueros mortuos, & eoſdem rediuiuos vidiſſe. His itaque omnibus diligenter perpenſis, ſeſe in propoſita diſceptatione incertos, & ambiguos declararunt. Conſuluerunt alij, tutius eſſe, de eo, quod propoſitum erat, nihil modò decernere, ſed rei caput Romam mittere, & Summi Pōtificis decretum expectare. Nō pla-

Secunda.

cuit hoc conſilium præſertim Illmo ac Reu^{mo} Epiſcopo : exiſtimauit enim, Summum Pontificem, cùm nihil certi habeat de quo iudicium facere poſſit, rem ipſam, aut parui, aut nihili facturum, eandémq; ſilentio, & obliuione obruturum. Deniq; cenſuerunt alij, inſigne hoc factum neque omninò ſilentio prætereundum eſſe, neque tanquam miraculum celebrandum, ſed rem totam, ſicuti eſt, ſyncera, & candida narratione exponendam, vt liberum cuique ſit, in quam partem maluerit, inclinare: ita enim nec piis hominibus deuotionis occaſio adimetur, nec impiis obtrectandi relinquetur. Approbarunt omnes hoc temperamentum, & diſputatio concluſa, terminatáque eſt.

Tertia, quæ eſt Diſputat[illegible] deciſio.

INDEX RERVM

notabilium, quæ in duobus libris de Diuinatione continentur.

Lib. I. Epist. I.

AVTORIS opinio de abditis cælorum viribus. 3
Ariſt. non conceſſit qualitates occultas. 5
Qualitates occultas concedere, à Philoſopho non eſt alienum. ibid.
Qualitates occultæ à multis Theologis conceduntur. f. 11
Ariſt. cur non admiſerit qualitates occultas. 12
Influxus cæleſtis virtutis in mundum inferiorem qualiſnam ſit. 13
Aſtrologiæ diuinatricis vtilitas. 15
Aſtra nulla ſunt, quæ priuatã virtutem in hunc, vel illum hominem influant. 16

Epist. II.

Aſtrologia quid. 19
Aſtrologi quotnam ſphæras, & ſtellas conſiderent. ibid.
Signorum Zodiaci differentiæ variȩ. 20
Planetarum conſideratio varia. 21

Domus cæleſtes, ab Aſtrologis effictæ, quid ſignificent. ibid.
Aſtrologia iudiciaria in quibus præcipuè exerceatur. 23
Arabum, & Chaldęorum figmenta varia, ad diuinatricem Aſtrologiam pertinentia. 24

E p i s t. III.

Diuinatio quid ſit. 25
Autor de diuinatrice Aſtrologia quid ſenſerit. fol. 28.
Philoſophi præcipui diuinatricem Aſtrologiam quanti fecerint. ibid.
Aſtrologia diuinatrix à Theologis, & S. Patribus reprobata. ibid. & 29
Autores varij contra diuinatricem Aſtrologiam. ibid. & ſequent.
Aſtrorum ſi qua eſt peculiaris virtus, certò ab homine ſciri non poteſt. 33
Aſtrologicarum domorum, atque ſignorum ſignificationis vanitas. ib.
Aſtra in cælo nulla ſunt, quæ homines ad bonum, vel ad malum flectant. 35
Capitis, & caudę Draconis, atque etiam Partis Fortunę inanis ſignificatio. ibid.
Cœleſtes conſtitutiones duæ, quę ſint ſimiles, obſeruari non poſſunt. 37
Aſtrologiæ diuinatricis origo non eſt diuina. 42
Aſtrologiæ diuinatricis origo vera. 43
Aſtrologiæ diuinatricis autores primi quinam fuerint. ibid.

Dæmonum operatio frequens in diuinatrice ſuperſtitione. 44
Dæmones quomodo futura cognoſcant, & cum Aſtrologis communicent. 45
Quam habent determinatam cauſam ab homine certò ſciri non poſſunt. 46
Cœleſtia corpora ſunt rerum inferiorum cauſæ duntaxat vniuerſales. 48
Aſtrologi in rebus leuiſſimis mendaces ſæpius deprehenduntur. ibid.
Aſtrologia diuinatrix penitus reiicienda. 50

EPIST. IV.

Imaginum cæleſtium origo varia. 51
Imagines inuiſibiles ab Aſtrologis poſitæ. 53
Aſtrologorum temeraria obſeruatio in cœleſtibus imaginibus. 55
Aſtrologorum vanitas de imaginibus inſculpendis. ibid.
Imagines cęleſtes à ſignis differunt. 56
Signa cæleſtia ab Aſtronomis poſita. 57
Imagines cæleſtes quænam ſint. 58
Imagines cæleſtes Aſtrologorum arbitrio effictæ. ibid. & 59
Imagines non ſunt ponendæ in cælo, ornatus gratia. 59
Imagines cœleſtes nullam habent vim ſibi ſimilia procreandi. 60

EPIST. V.

omo ſcientia boni & mali à Dæmone dece-
H

ptus. 64
Homo naturà ſcire deſiderat. 65
Dæmon magiſter optimus Aſtrologicæ diſciplinæ. 66
Hylech,& Alchochoden quid ſint. ib.
Aſtrologorum figmentum de annis planetarum. 67
Vitæ humanę lõgitudo, aut breuitas à quonam pendeat. 68
Planetarum vis in hominis ortu quouſque extendatur. ibid.
Aſtrologorum inanis doctrina de Alchochoden. 70.71
Nomantiæ,& Geomantiæ deliramenta. 70
Aſtrologorum diſcordia de Alchochoden. 71
Alchochoden argumento euidenti reprobatur. ibid.
Anni veterum iidem fuerunt, ac noſtri. 72

EPIST. VI.

Pars Aſtrologis quid ſit. 74
Pars Fortunæ cæteris præſtantior. 75
Pars Fortunę à Ptolom. Lunæ horoſcopus appellatur. ibid.
Partes planetarum ab Hermete Ægyptio primùm effictæ. 76
Partes innumeræ ab Arabibus temerè excogitatæ. 77
Partes ab Aſtrologis efficta quonam pacto in rebus hiſce inferioribus agant. ibid.
Partes ab Aſtrologis efficta phyſica ratione tolluntur. ibid.

Aſtrologorum diſcordia in partibus extrahe dis earum vanitatem indicat. 8
Aſtrologorum figmenta varia. i
Figura quomodo habeat agendi vim.

Epist. VII.

Planetarum dignitates præcipuæ ab Aſtrologi effictæ. 8
Aſtrologorum diſſenſio in planetarum termi nis ſtatuendis. 8
Domus planetarum deſtruuntur. 8
Aſtrologorum vanitas de ſexu planetarum, atque ſignorum. 8
Signa cæleſtia nullas habent natura ſua qualitates elementarias. 90
Planetæ nullum vnquam detrimentum patiuntur. 96
Planetæ nullo ſe odio perſequuntur, vt falsò Aſtrologi docent. 97
Planetarum exaltatio deprimitur. 97
Planetarum triplicitates exploduntur. 99
Planetarum termini reprobantur. 101
Planetarum facies abolentur. 102

Epist. VIII.

Planetarum aſpectus quid ſint. 105
Planetarum aſpectus quot ſint. ibid.
Aſpectuum vires, & qualitates ab Aſtrologis effictæ. 106
Coniunctio non eſt omnium aſpectuum validiſſima. ibid.

Planetę omnes eclipſim aliquam pati poſſunt. 109
Planeta nullus malus eſt. 110
Coniunctionem bonorum planetarum bonam eſſe,& malarum malam, dictum abſurdum. ibid.
Aſpectuum omnium qualitas, ex diſtantia ſumpta, reiicitur. 111
Aſpectuum virtus ex lumine orta refellitur. 112
Lumen quid apud Philoſophos. 113
Aſtrologorum doctrina de planetarum aſpectibus vnde ortum duxerit, & quàm grauiter hallucinati ſint. 114. 115
Planetæ omnes, præter Lunam, proprio lumine lucent. 115
Numeri nullam habent efficiendi vim. ibid.
Aſtrologici fundamenti de planetarum aſpectibus euerſio. 118

EPIST. IX.

Retrogradatio planetarum quid ſit. 120
Aſtrologorum ſententia de planetarum retrogradatione. 121
Autoris ſententia de planetarum retrogradatione contra Aſtrologos. 122
Combuſtus planeta Aſtrologis quid ſit. 125
Combuſtio in corporibus cæleſtibus ineptè ab Aſtrologis ponitur. 126
Aſtrologorum de planetarum combuſtione dictum inane. 127

EPIST. X.

Caput, & Cauda Draconis Aſtronomis quid 129

EPIST. XI.

Agendi principia,& inſtrumenta tria in corporibus cæleſtibus. 134

Primi Mobilis actio in rebus inferioribus. 135

Noua ſphæra quidnam tardiſſimo ſuo motu moliatur. 136

Stellatum cælum quid efficiat. 137

Stellarum fixarum varietas in octauo cælo. ibid.

Lumen nullum in cœlo efficiente caret virtute. 138

Aſtrologorum vanitas in rerum euentibus prædicendis. 139

Aſtris ſingulis an propria intelligentia præſit. 140

Defluxus præcipuum eſt inſtrumentum ſtellarum. 140

Stella quò maior eſt, eò maiorem habet agendi vim. 141

Aſtrologorum ſententia de ſtellarum defluxibus. 142

Aſtrologorum ſententia de ſtellarum defluxibus refellitur. 143

Stellarum vires in quibuſnam rebus exerceantur. 144

Planetarum virtus in Mundi regimine. ibid.

Sol aſtrorum omnium princeps, 145

Lucentis corporis conditiones. ibid.

Planetarum magnæ coniunctiones quid efficiant. 146

Aſtrologorum ſomnia de magnarum coniunctionum ſignificationibus. 147

EPIST. XII.

Otio literato nil dulcius. 148

Summi Opificis duo præcipui miniſtri, Cælum, & Materia prima. 150
Naturalis corporis ſpecies omnes. 151. & ſeq.
Cæleſtibus corporibus quænam ſubiiciantur. ibid.
Cæleſtia corpora quid lumine, & occultis qualitatibus in elementariá regionem efficiant. 152
Homo quoad partem ſentientem cælo ſubditus. 157
Anima rationalis cæleſtibus corporibus non ſubiicitur. 158
Aſtrologorum fallacia de cælorum viribus in mundum inferiorem. 159
Studia hominum varia non pendent à ſtellis. 163
Leges non ſubiiciuntur aſtris. 164
Iulii Firmici impium dictum. 164

Epist. XIII.

Aleæ teſſerarumque inuentores quinam fuerint. 168
Laconis dictum apud Plutarchum. ibid.
Adagium ex Heſiodo apud Eraſmum. ibid.
Hippocratis ſententia. 169
In ludis occultum aliquid. ibid.
Ludentium genera tria. 170
In ludis cur qui neque fortunatus, neque infortunatus eſt, quandoque vincat, quandoque vincatur. ibid.
Opiniones variæ de proſpera & aduerſa fortuna in ludis. 171. & ſeq.
Caſus quid. 172
Fortunæ Templum apud Antiquos. 173

Fortuna cæca eſt,& homines cæcos facit. ibid.
Sors eſt animi filia,Euripidis dictum. 176
Ariſt.celebre dictum. ibid.
Auicenna quid ſenſerit de proſperitate in ludis. 178
Cogitatio nihil in exteriorem materiam efficere poteſt. 179
Faſcinatio quomodo fiat. 180
Aſtrologorum opinio de proſperitate in ludis. 181 181
Socrates quid ſenſerit de proſperitate, vel aduerſitate in ludis. 185
Geniorum genera varia. 186
Autoris opinio de proſperitate, vel aduerſitate in ludis. 188
Dæmones poſſunt taxillos, & aleas velociter mouere,& intuentium oculos fallere. 189
Dæmones poſſunt ludentes illuſione decipere. 190
Dæmones poſſunt chartas,quæ in manibus alterius ludentis ſunt,alteri indicare. 191
Dæmones cur aliquibus operam præſtent in ludis,aliquibus verò contrarii ſint. ibid.
Angeli poſſunt in ludis ſuppetias ferre. 192
Deus an ſit cauſa proxima proſperitatis alicuius in ludis. ibid.

EPIST. XIV.

Electio temporis opportuni in Chymicæ artis operibus qualis eſſe debeat, ſecundum Aſtrologos. 195
Electionum autores præcipui quinam fuerint. 196
Electiones Aſtrologis quid ſint. ibid.

Electionum

Electionum vtilitas apud eoſdem. 197
Electiones in quibus rebus exerceantur. 198
Electio pro ludis taxillorum ſecundùm Meſſahallach. 199
Electionum doctrina impietatem olet. ibid.
Electionum doctrina inanis eſt. 200
Electionum doctrina puerilis. ibid. & ſeq.

EPIST. XV.

Aſtrologorum doctrinæ de Interrogationibus fundamentum præcipuum. 207
Aſtrologorum diſſidium de figura Interrogationis. ibid.
Interrogationis aptæ conditiones apud Aſtrologos. 208
Interrogationum exempla varia. ibid.
Interrogationum Autores præcipui. 209
Autoris de Interrogationibus ſententia. ibid.

EPIST. XVI.

Aeris mutationes à cælo pendent, vt à cauſa efficiente. 216
Aeris affectiones variæ à tribus ſuperioribus planetis, atque etiam à ſtellis fixis excitantur. 217
Aſtrologiæ quænam pars in aeris mutationibus ſit approbanda. 218
Albumaſaris, aliorumque Aſtrologorum de aeris mutationibus doctrina falſa. 219
Autoris ſententia de eluuionum cauſa. 220
Aeris mutationes variè à luminaribus, & à tribus planetis ſuperioribus pendent. ibid.
Aſtrologorum quorumdam minutorum in aeris mutationibus obſeruationes vanæ. 221
Aſtrologiæ pars, quæ eſt de aeris mutationibus

Tt

incerta redditur, ob materię inconſtantiam, & accidentium varietatem. 224

EPIST. XVII.

Medici plerique celeberrimi abſque Aſtrologia. 226
Aſtrologia quantum medico neceſſaria ſit. 227
Aſtrologia nonnihil vtilitatis medico affert. ib.
Planetarum dominatus in humoribus, & facultatibus animę. 231
Aſtrologorum inanes obſeruationes in exhibendis medicamentis. ibid.
Aſtrologorum doctrina falſa de Lunę viribus in corporibus ægrotantium. ibid.
Dies critici non pendent à motu Lunæ, ſed à cauſa ſecretiore. 234
Medicus in expellendis morbis cauſas proximas, & præcipuas attendere debet. 235

LIB. II. EPIST. I.

Chiromantiæ Autores proſcripti. 237
Chiromantia quid. 238
Chiromantię fundamentum præcipuum. 240
Manus diuiſio in radicem, palmam, & digitos. 241
Manus linearum diuiſio in naturales, & accidentarias. ibid.
Montes planetarum in manibus. 244
Chiromanticorum diſſidium de montibus planetarum. 245
Planetarum characteres à chiromanticis conſiderati. 246
Literæ diuinæ ſeptem apud Chiromanticos. 246

Punctulorum, qui apparent in vnguibus chiromanticæ ſignificationes. 247
Chiromanticorum obſeruationes, antequam iudicium ferant. 248
Chiromantiam ponunt Chiromantici in numero ſcientiarum. 249
Chiromantiæ ſubiectum. 250
Chiromantia variis ſcientiis ſubiicitur. ibid.
Chiromantiæ autores varij. ibid.
Ariſt. de chiromantia ſcripſit. 251
Chiromantici ſuam ſcientiam Diuinæ Scripturæ autoritatibus confirmant. 251
Chiromantia duplex. 252
Chiromantia Aſtrologica inanis diuinatio eſt. 253
Chiromantię principia incerta, & ſponte ficta. 254
Chiromanticorum temeritas, atque ſtultitia. 256
Chiromanticorum effugium. ibid.
Chiromantici verum interdum caſu prænunciant. 256
Chiromantici ſibi ipſis parum conſtantes. 257
Chiromantia curioſorum ludus. 258
Autoritates Diuinæ Scripturæ, ex lib. Iob, & Exodi, pro Chiromanticis adductæ, explicantur. 259 & 260
Chiromantia Naturalis vera ſcientia eſt, & pars Phyſiognomiæ. 260
Chiromantiæ Naturalis Ariſt. meminit. 261
Vitæ longitudinem, & breuitatem cur à lineis, quæ ſunt in manu Ariſt. elicuerit. 262
Linearum, quæ ſunt in manu, vſus. 265
Tt ij

Linearum varietas in manibus vnde oriatur. 268
Articulatio, quâ talis eſt, an rectè indicet vitæ periodum. 267

Epist. II.

Phyſiognomiæ Aſtrologicæ fundamenta præcipua. 271
Linearum frontis ſignificatio. 272
Phyſiognomiæ Aſtrologicæ, ſeu Metopoſcopiæ confutatio. 273
Phyſiognomiæ autores pręcipui. 276
Phyſiognomia duplex. ibid.
Phyſiognomia naturalis approbatur. 277
Phyſiognomia quid. 279
Phyſiognomica ſigna vnde ſumantur. ibid.
Phyſiognomica ars non niſi frequenti exercitatione acquiritur. 281
Phyſiognomica exempla, ab Ariſt. deſumpta. ibid.
Animi affectus non ab vno tantùm ſigno, ſed à pluribus iuxta phyſiognomica pręcepta ſumenda ſunt. 283
Corporis temperies nullam in animi affectibus neceſſitatem inducit, ſed ſolùm propenſionem. ibid.
Phyſiognomi de brutis faciliùs, quàm de hominibus iudicare poſſunt. 284

Epist. III.

Deus ſolus futura prænoſcit. 284
Autor quid de Geomantia ſentiat. ibid.
Geomantia quid. 285
Geomantiæ origo apud Autores varios. 286
Geomantia vetus qualiſnam fuerit. 88

Sortis genus conſultorium à Theologis admittitur. ibid.
Geomantiæ ars à recentioribus cogitata.. 289
Geomanticæ figuræ quomodo deſcribantur. ib.
Geomanticum archetypum. 290. & ſeq.
Geomanticarum figurarum nomen, & numerus. 296
Geomanticæ figuræ, quas dicunt cæleſtibus figuris, atque planetis eſſe ſubiectas. ibid.
Geomanticarum figurarum qualitates. 297
Geomantię pręcepta. 298
Geomantiæ autores præcipui. 299
Geomanticorum temerarium dictum. 300
Sortes olim licitæ, ad diuinã voluntatem expiſcandam. 301
Geomantia inane commentum eſt, vel eo ipſo, quod diuinatrici Aſtrologiæ ſubiicitur. ibid.
Geomantiæ fundamenta omnia deſtruuntur. 302. & ſeq.
Geomanticæ figuræ cælorum defluxus excipere nequeunt. 308
Geomantici iudicij exemplum, & leuitas. 309
Geomantia latrunculorum ludo ab autore aſſimilatur. 310
Geomantica ars ad inuentoris arbitrium accõmodata. 311
Geomantia à grauibus autoribus neglecta. ibid.

E p i s t. IV.

Nomantia ſpuria. 313
Nomantię autores. 314
Nomantia quid. ibid.
Nomantię fundamenta. 315

Nomantici quid ſe ſcire profiteantur. ib.
Nomantia diuinatrici Aſtrologiæ ſubdita. 316
Nomanticorum Rota. ibid.
Nomanticorum literæ,& numeri. 317
Nomanticum artificium. ibid.
Nomantici mentiuntur, dum aiunt, Enoch inuentorem fuiſſe Nomantiæ. 318
Arithmetica tempore Enoch nondum erat inuenta. 319
Enoch nec literas cognouit, nec ſciuit linguam Latinam. ibid.
Nomantici effutiunt, dum aiunt, Ioſeph Ægypti ſterilitatem Nomantia prædixiſſe. 320
Nomanticus Pythagoras numquã fuit, quamuis numerorum ſcientiam optimè tenuerit. ibid.
Nomantiæ ars non eſt omninò cum Cabala eadem. 321
Literæ, aut Numeri nullam in ſe cæleſtem, aut diuinam vim recipere poſſunt. ibid.
Nomantici fundamenti vanitas de literis, & numeris cæleſtibus ſignis, planetiſque ſubiectis. 323
Nomanticorum principia non ſunt per ſe nota, ſed rationi omninò aduerſantur. 324
Nomanticorum leuitas de numerorum partitione. 325
Nomanticorum inconſtantia in Rotis, & Numeris deſcribendis. ibid.
Nomanticorum figmentum de linguæ Latinæ prærogatiua in Nomantica diſciplina. 326.
Autoritas Diuinæ Scripturæ pro Nomanticis adducta, quomodo intelligenda. ibid

Cabala generatim accepta quid ſit. 330
Cabala triplex. ibid.
Cabala Raimundi. ibid.
Cabala Magica. ibid.
Cabala Hebræorum. 331
Cabala quænam doceat. ibid.
Cabala quibuſnam primum ſecundum Cabaliſtarum ſententiam indicata fuerit. 332
Cabalæ profeſſor præcipuus Io. Picus Mirandulanus. 333
Cabala Hebræorum duplex. 334
Cabalæ diuiſio à Io. Pico tradita. ibid. & 336
Cabaliſtarum fundamentum præcipuum. 336
Cabalæ typus apud Hebræos fuit Salomonis templum. 338
Sephiroth decem apud Cabaliſtas quænam ſint. 339
Portę quinquaginta intelligentiarum à Cabaliſtis celebratæ. 340
Nomen Dei tetragrammaton Moſi primùm indicatum. 342
Nominis diuini reuolutiones duodecim apud Cabaliſtas. ibid.
Angelorum duo & ſeptuaginta nomina, quæ Cabaliſtæ eliciunt ex verſiculo Exodi cap. 14. 342
Nominum, & characterum vis maxima apud Hebræos. 343
Cabaliſtarum genus quoddam, à Necromanticis parum differens. 344
Cabaliſtarum obſeruationes variæ in

dictionibus,ſyllabis, & literis Diuinæ Scripturæ. 345
Cabaliſtarum obſeruatio in articulis. 347
Cabaliſtarum obſeruatio in numeris. 348
Cabalæ nomen Syriacum eſt. 349
Cabalæ origo, ſecundum Cabaliſtas. 352
Cabala apud Hebræos in maxima veneratione eſt. 353
Thalmudiſtę quinam ſint. ibid.
Thalmudiſtæ, & Cabaliſtę quid differant. ibid.
Cabaliſtę vnde dicti, ridicula opinio. 354
Dei opera omnia mirabilia. ibid.
Scientia certa eorum, quæ ſunt. 355
Scientiæ quædam quaſi ſemina in multorum mentibus Deus iecit. 356
Philoſophi vt plurimum in opinionibus verſantur. ibid.
Cabalæ origo incerta, nec Hebræis ita facilè credendum. 357
Salomonis templum quid re vera præſignificauerit: 358
Decem Sephiroth, & quinquaginta Portarum myſterium nullo certo innititur fundamento. 360
Nomen Dei tetragrammaton non habet vim illam efficiendi, quam exiſtimant Cabaliſtæ 392
Cabaliſtarum mendax, & vana regula de literarum tranſpoſitione. 362
Nomina Dei, & Angelorum, quà talia ſunt, nihil efficere poſſunt. 363
Hebraicæ voces non habent maiorem efficiendi vim, quàm aliarum linguarum. 364

Eccleſia cur aliquas voces Hebraicas , & Græcas retinuerit. 365
Voces non ſignificantes nullam habent efficiẽdi vim,contra Picum Mirand. 365
Lingua nulla eſt homini naturalis. 366
Lingua nulla eſt , quæ vim habeat ſupra res ipſas. ibid.
Adã cur omnibus animalibus imperauerit. 367
Miracula fiunt, non vi Cabalæ, ſed Dei omnipotentia. ibid.
Characteres Hebraici non iidem modo ſunt, qui olim fuerunt. 368
Cabaliſticę ſuperſtitiones,in ſacris literis interpretandis. ibid.
Cabala vera quænam doceat. 369
Docendi vetus conſuetudo qualiſnam fuerit. ibid.
Chriſtus ſymbolis,&parabolis vſus eſt. 370
Cabaliſtæ ridiculi. 371
EPIST. VI.
Magia vox Perſica eſt, & ſapientiam ſignificat. 373
Magi nomen quid nobis ſoleat indicare. 374
Magia latè accepta quidnam ſit. ibid.
Magię diuiſio in naturalem,artificioſam,&Dæmoniacam. ibid.
Magia naturalis quid. 375
Magia artificioſa quid. 376
Magia Dæmoniaca quid. 377
Magiæ Dæmoniacæ diuiſio in Theurgiam , & Goetiam. 378
Magiæ naturalis autor quiſnam fuerit. ib.
Magię naturalis Salomon peritiſſimus. ibid.

Magię naturalis profeſſores præcipui. 379
Magia artificioſa plures autores habuit. 380
Magia artificioſa interdum cum Dæmoniaca miſcetur. 380
Magiæ artificioſæ exempla varia. 381
Caput æneum humanum, ab Alberto, vt fertur, conſtructum, an potuerit articulatè loqui. 382
Magiæ Dæmoniacæ primus inuentor. 382
Magiæ Dæmoniacæ quinque fontes præcipui, tria hominum genera, ad illam capeſſendam idoneorum. 383
Magiæ Dæmoniacæ ſemina prima. 384
Gigantes ante diluuium in Magia Dæmoniaca à Dæmone inſtituti. 385
Cham poſt diluuium Magiam docuit. 385
Mizraim, filius Cham, Zoroaſter nuncupatus, Magiæ Dæmoniacæ Doctor præcipuus. 386
Zoroaſtres plures fuerunt. ibid.
Magi in Ægypto, & Perſide multiplicati. 387
Græci ad addiſcendam Magiam in Ægyptum commigrarunt. 388
Democritus de Magia ſcripſit. 388
Apollonius Tyanæus Magus inſignis. ibid.
Magiæ vſus in toto terrarum orbe iam frequēs. 389
Magorum duo genera. 390
Magorum efficti libri, ſub alieno nomine diuulgati. ibid.
Magorum execranda volumina. 391
Magiæ cognitio vtilis, & interdū neceſſaria. 392
Magiæ naturalis vſus probatur, dummodo ſtatus ſit in naturalibus cauſis. 393

Chymica ars qualiſnam ſit. 394
Medicæ ars in naturalis Magiæ partibus numeratur. 394
Magia naturalis, ſuperſtitioni coniuncta, reprobatur. 395
Magorum mirabiles effectus ab aſtris oriri non poſſunt. 396
Magici effectus non habent efficacitatem à determinata perſona. 397
Opiniones variæ de Magiæ effectibus. 397
Prophetia diuinum eſt munus, ſicut & priuilegium ſanandi ſtrumas, Gallorum Regibus conceſſum. 401
Marſi, & Pſylli quales. 402
Cogitationis vehementis vis. 404
Aſpectus, contactus, aut verborum vis in Magicis operationibus nihil efficere poteſt. 405
Magia artificioſa probatur, niſi tamen artificium mentiatur. 407
Magorum mendacia, & impoſturæ. 408
Incantationibus ad morbos tollendos an vti aliquo pacto liceat. 409
Incantationum vis ſecundum varias opiniones. 410
Cautio adhibenda in verborum, & characterum vſu, ad morbos tollendos. 412
Amuleta, Periapta, & Philacteria quid valeant ad morbos inhibendos. 413
Dæmonum fraus in nominibus, & characteribus deſcribendis. 414
Nominum, & characterum an ſit vlla vis in ſerpentes. 414
Diuina Scriptura frequenter parabolis vtitur.

Æſopi moralis fabula de Caſtore. 415
Magiæ Dæmoniacæ vſus omnibus legibus interdictus. 416
Magię Dæmoniacæ vſus defenditur à Platonicis. 417
Magia olim Salmanticæ docebatur. ibid.
Dæmones omnes, quibus Magi familiariter vtuntur, mali ſunt. 418
Angelorum bonorum munera. 418
Artis Notoriæ vanitas, Dæmonumque impoſtura. 419
Dæmonum vis, atque poteſtas deſcribitur. 421
Dæmonum poteſtas notabili diſtinctione declaratur. 422
Dæmones multa facere nequeunt, facultatis imbecillitate. ibid.
Lycanthropia omnis deluſoria eſt. 424
Samuel an verè à Pythoniſſa ſuſcitatus fuerit. 425
Bodini, & Pomponatii error de lycanthropia. 426
Dæmones poſſunt fæminas in mares mutare, non tamen contrà. ibid.
Dæmones rem inuiſibilem facere nequeunt. 427
Dæmones multa facere nequeunt, totius naturæ obnixu. 428
Dæmones quænam liberè facere poſſint. ibid.
Magi Pharaonis Iannes, & Mambres. 429
Dæmones præcipua quædam facere nequeunt, Diuino interdicto. 430
Dæmonum illuſiones varię. ibid.
Magorum miſerabilis finis. 431

Necromantia tanquam vana, & deteſtabilis ars ab Apoſtolica ſede condemnata. 432
Necromantię nomen multis admirandum. 433
Gentilitas in Deorum multitudinem, & varietatem propenſa. ibid.
Dij Manes apud inferos. 434
Necromantiæ origo. ibid.
Platonicorum de Diis Manibus opinio. 435
Lares, & Lemures, ſiue Laruæ. 436
Genij Manes crediti ab Antiquis. ibid.
Necromantia quid. 436
Necromantiæ ſpecies duæ. ibid.
Necromantiæ exercitatio qualis. 437
Oſirites herba Necromanticis familiaris. ibid.
Necromanticorum herba familiaris. ibid.
Necromanticorum ſacrificia. 437
Dæmones cogi non poſſunt ab hominibus. 440
Dæmon ſuperioris ordinis inferiorem cogere poteſt. 442
Angelus ſuperioris ordinis inferiorem cogere poteſt. ibid.
Animæ defunctorum nulla arte ab inferis, nec ex alio quouis loco euocari poſſunt. 443
Animæ ſanctorum interdum Dei iuſſu hominibus apparuerunt. 445
Animæ, quæ ſunt in Purgatorio, interdum exeunt ad petenda ſuffragia. 446
Pythones quinam ſint. 447
Necromantici pauperes, & miſeri. ibid.
Dæmones cur aliquando vera dicunt, & mirabilia faciant. 448
Separatæ mentes magnam habent agendi vim. 449

Hydromantiæ effectus varij. 451
Hydromantici effectus à naturali neceſſariaque cauſa non pendent. 452
Hydromanticorum effectuum cauſa pręcipua quænam ſit. 453
Hydromantia quid ſit. 454
Hydromantia quot modis exerceatur. ibid.
Fons Aretinus, olim celebris, ob Hydromanticas exercitationes. ibid.
Dęmones ſine mercede non operantur. 457
Pyromantia quid ſit. 458
Diuinationum genera varia. 459

EPIST. IX.

Augurium quid, 462
Auſpicium quid. 463
Aruſpicium quid. ibid.
Extiſpicium quid. ibid.
Omen quid. 464
Oſtentum quid. ibid.
Portentum quid. 461
Prodigium quid. ibid.
Augurum diſciplina vetuſtiſſima. ibid.
Auguriorum origo. 462
Hetruria olim Aruſpicinæ magiſtra. 462
Augures celeberrimi quinam fuerint. 463
Auguria à quibuſdam Philoſophis approbata. ibid.
Augurum collegium, olim apud Romanos celeberrimum. 464
Augurum ius maximum in Rom. Remp. 464
Augurum exiſtimatio. 465

Auguriorum quinque fontes præcipui. ibid.
Auguria ex Cælo. 466
Augurum diſciplina varia. ibid.
Auguria ex auibus. 466
Aues Deorum præcones. ibid.
Augurales aues. 467
Auguria ex pullorum tripudio. 468
Auguria ex quadrupedibus. ib.
Diuinatio ex piſcibus. 468
Auguria ex diris, atque portentis. 469
Auguria ex ſternutamentis. 470
Auguriorum exempla varia, ab Ægyptiis elicita. ibid.
Auguria ex particularum corporis palpitationibus. 471
Augures quatuor præcipuè in Auguriis conſiderant. 472
Auguriorum cauſa motrix quænam ſit, opiniones varię. 474
Auguriorum genera tria. 475
Auguria ſupra naturam duplicia. 476
Auguria Diuina. ibid.
Auguria Dæmoniaca. 477
Auguria Naturalia. 478
Augurium Vulturum. 480
Auguria artificioſa. ibid.
Auguria Diuina non ſunt vana, ſed eorum interpretatio à Deo pendet. 481
Auguria naturalia non contemnenda. 482
Auguria artificioſa penitus explodenda. ibid.
Auguria non poſſunt eſſe ſigna futurorum euentuum. 483
Auguria non poſſunt eſſe cauſę futurorum

euentuum. 484
Auguria non mouentur à cogitatione. 486
Dextrum,& ſiniſtrum in Auguriis nullam habent vim. 487
Auguria non mouentur à ſtellis. 487
Auguria non mouentur à Geniis. 488
Auguria non mouentur ab Angelis. 489
Auguria non mouentur à Deo. ibid.
Auguria artificioſa à Dæmonibus inuenta. ib.
Dæmonum verſutia in Auguriis. 490
Romanorum plebs, auguriis dedita. 491
Cicero Augur fuit,ſed Auguria contempſit. 492
Augurum fundamentum, ex obſeruatione ſumptum,deſtruitur. 495
Philoſophi,& Theologi Auguriis fidem abrogant. 496
Auguriorum vſus interdictus. ibid.

EPIST. X.

Mandriola ſuburbium Patauinum, vbi autor multa ſcripſit. 499
Somnia vnde oriantur. 500
Somniorum admirabilis contemplatio. ibid.
Somniant non solùm homines, verumetiam bruta quędam animantia. 501
Somniorum coniectores, vt cæteros vates parui æſtimat Autor. ibid.
Somnia Braſilienſium. 502
Somnia à quibuſdam Philoſophis reiecta. 502. 503
Somniorum materia difficilis, ſed tamen vtilis, & oblectationis plena. 504
Somnus omnium laborum profugium, & vitæ otium. 505

Somnus vnde oriatur. ibid.
Somnium cur à natura datum. ibid.
Somnii ſpecies variæ. 506
Somnia ſimillima Cytharæ. 507
Somnium quid. 507
Somniorum locus, & cauſæ. 508
Somnia à cibis. 509
Somniis Autumnalibus nulla fides habenda. ib.
Somnia ab humoribus. 510
Somnia ab affectibus. ibid.
Somnia à diuerſis cogitationibus. 511
Somnia ab ambiente aere. ibid.
Somnia à corporibus cæleſtibus. 512
Somnia à Deo. ibid.
Somnia modò clara, modò obſcura, tam probis, quàm improbis hominibus à Deo mittuntur. 513
Somnia ab Angelis, atque Dæmonibus. ibid.
Somniorum genera tria. 513
Stoicorum, & Epicureorum ſententiæ diuerſæ de Somniorum ſignificationibus. ibid.
Epicureorum argumentum præcipuum contra ſomnia. 516
Somniorum quorumdam Naturalium obſeruationibus. 516
Somniorum quorumdam Naturalium obſeruatio vtilis. 518
Somniorum, quę ab ambiente aere, vel à cęleſtibus corporibus fiunt, nulla certa diuinatio. ibid.
Somnium Aſtyagis. 519
Somnium Iulij Cæſaris. ibid.
Eumetris gemma, quam dicunt vera ſomnia

oſtendere. 520
Somno duæ portæ ab Homero adſcriptæ. 521
Somnia diuina diligenter obſeruanda. ibid.
Somniorum diuinorum interpretes quinam ſint. ibid.
Somniorum diuinorum exempla varia. 5[illegible]
Deus cur interdum myſteria dormientibus indicet. 522
Ariſt. argumentum contra ſomniorum diuinationem, & eiuſdem ſolutio. 523
Somnia Pharaoni, & Nabuchodonoſor à Deo data. 524
Somniorum Dæmoniacorum obſeruatio prohibita. ibid.
Dęmonum aſtus, & illuſiones per ſomnia. 525
Dæmones in ſomniis res occultas indicare poſſunt, futura contingentia nequaquam. 525
Somniorum diſciplinæ origo. 527
Somniorum diſciplina coniecturalis. 528
Somniorum libri adulterini. 529
Somniorum commentaria qui verè ediderint. ibid.
Somnia theorematica, & allegorica. 531
Somniorum allegoricorum diuiſio. 532
Somniorum diſciplinæ fundamentum duplex. ibid.
Somnia interpretandi regula duplex. 534
Somnia artificioſa ad nullam pertinent diſciplinam, ſed pura ſunt circulatorum commenta. 536
Ars nulla humana eſt, quæ diuinas viſiones interpretari doceat. 536
Somnia theorematica caſu aliquando vera

ſunt, allegorica verò prorſus inania. 537
Somniorum diſciplinę fundamentum, ab experientia ſumptum, deſtruitur. 538
Proportionem ſimilitudinis nihil ad ſomniorum veritatem efficere. 538
Somnia non poſſunt eſſe cauſæ rerum futurorum. 539
Somnia non poſſunt eſſe naturalia ſigna rerum futurarum. 540

EPIST. XI.

Oraculum quid. 543
Oraculis Græcia maximè dedita. 544
Oracula varia. ibid.
Oraculum in ſacris literis quid ſignificet. ibid.
Oracula non æquè ab omnibus Philoſophis æſtimata. ibid.
Oraculorum Ariſt. meminit. ibid.
Oraculorum ſpecus. ibid.
Oracula duplicis generis. 546
Oraculorum cauſa apud varios Philoſophos varia. ibid.
Nihil agit vltra ſuas vires. 552
Cognitio noſtra ortum ducit à ſenſu. 553
Scire noſtrum Platonicis eſſe quoddam reminiſci. 555
Spiritus phantaſticus quid ſit. 555
Demetrij ſatelles, ad oraculum ingreſſus, repentina morte ſublatus. 559
Aeris affectiones variæ, à cæleſtibus corporibus ortæ. ibid.
Aquarum vis quędam admirabilis. 560
Animus an habeat præſagiendi vim. 563
Ebrij cur quandoque diuinent. 564

Vu ij

Moribundi cur interdum vaticinentur. ibid.
Animus an habeat ingenitam vim carmina cō-
ficiendi. 566
Oraculorum vis, & cauſa ab autore explicatur.
568
Oraculorum cauſa triplex. 569
Oraculorum cauſa naturalis. ibid.
Terreſtrium exhalationum effectus varii. 570
Terreſtrium exhalationum vis quouſque ex-
tendatur.
Hederę facultas inſignis. 571
Oraculorum cauſa artificioſa. 572
Oraculorum reſponſa ambigua. ibid.
Oracula muneribus corrupta. 573
Oraculorum fraus. ibid.
Oraculorum cauſa ſupernaturalis. ibid.
Dæmones eſſe, cur Ariſt. confiteri noluerit. 576
Ariſtoteli quantum tribuendum 575
Autor quid de Dæmonibus philoſophicè ſenſe-
rit. 579
Mirabilia quædam de muliere à Dæmonibus
obſeſſa. 775
Mulieres cur frequentius, quàm viri à Dæmoni-
bus obſideantur. 578
Dæmones cur frequentius mulieres, quàm viros
obſideant. ibid.
Oracula à ſupernaturali cauſa re vera pendent.
Oracula, ex ſtatuis, aliiſque rebus inanimatis
reddita, qualia fuerint. 578
Oraculum Dodonis. 579
Oraculum Argiuum. ibid.
Oraculum Gerionis, olim in agro Patauino. ib.
Ligna varia, ex quibus Antiquitas ſimulachra

fingebant. 580
Deorum ſimulachra cur interdum ſudarint. 581
Dæmonum vis, ſimulachris adhibita. 581
Dæmones an Magica arte in ſtatuas poſſit introduci. 582

EPIST. XII.

Sibyllarum origo, & numerus. 584
Sibyllas fuiſſe quinam fuerint teſtati. 585
Sibyllæ multa de Chriſto pręnunciarunt. ibid.
Sibyllæ qualeſnam fuerint, Autoris opinio. ib.
Sibyllarum loca, vaticinationibus deſtinata. 586
Sibyllarum vaticinandi modus. 587
Sibyllinum oraculum. 588
Sibyllæ Cumanæ res geſta coram Tarquinio. ib.
Sibyllinorum oraculorum cauſa triplex. 592
Sibylla nulla fuit Moſe prior. 594
Sibyllinorum oraculorum fraus detegitur. 596
Sibyllarum imagines cur in ſacris ædibus pingantur. 598
Sibyllis fortaſſe prophetię donum, quod gratis eſt datum, conceſſum fuit. ibid.
Prophetia eſt donum gratis datum. 598

Index eorum, quæ in diſputatione de Puero, & Puella, &c. notatu digniore cenſentur.

APoplexia quid. 617
Apoplexię cauſa duplex. ibid.
Fulminis ictu quidam ſtatim apopletici conciderunt. 618
Syncope quid. 619

Syncopes cauſæ. 610
Suffocationis cauſę, & ſigna. ibid.
Miraculum quid. 623
Puerorum quorumdam exempla, qui ad ſanctorum ſepulchra delati reuixerunt. 627
Reſpiratio an ſit ad vitam neceſſaria, adeo vt ſine reſpiratione aliquis diu viuere poſſit. 630
Reſpirationis neceſſitas triplex. 630
Reſpirationis cauſa efficiens apud Philoſophos. 631
Reſpirationis cauſa efficiens apud Medicos. 632
Reſpiratio Medicis motus eſt voluntarius, Philoſophis neceſſarius. 632: 633
Tranſpiratio ſola ad vitam diu ſeruandam ſatis eſſe non poteſt. 634
Exempla nonnullorum falſa, qui crediti ſunt diu abſque reſpiratione vixiſſe. 635
Medicorum monitum de non ſepeliendis ſtatim apoplexia mortuis. 636
Notabile exemplum cuiuſdam ſuſpendio necati. 636
Strangulati qui ad ſe redeunt. 638
Vis nulla eſt in natura, quæ mortuum rediuiuum facere poſſit. 638
Rauiſius de iis, qui mortui reuixerunt. 639
Glaucus poto melle reuixit. Adagium. ibid.
Exempla fabuloſa de iis, qui mortui reuixerunt. 640
Miraculum Canoniſtis quid ſit. 641

APPROBATIO DOCTORVM.

Nos ſubſignati Doctores ſacræ facultatis Theologiæ Pariſienſis tractatum *de Diuinatione à Doctiſſimo Viro Domino Raguſeio Veneto, Profeſſore Medico*, editum, & in duos libros diuiſum, priorem quidem Epiſtolas ſexdecim, poſteriorem vero duodecim continentem. Additam præterea Epiſtolam miraculum complectentem de puero & puella D. Antonij precibus, vt enarrat à graui periculo mortis repente liberatis perlegiſſe, nihilque Ortodoxæ fidei ac bonis moribus diſſonans & repugnans deprehendiſſe teſtamur. Datum Pariſiis 4. Idus Febru. anno reparatæ ſalutis 1623.

P. Coppin, Rector S. Sulpicij à Faueriis.

F. Iacobvs Driet, Prior maioris Conuentus Auguſtinenſium Pariſienſium.

SVMMA PRIVILEGII.

Regio cautũ eſt priuilegio, ne quis intra ſexennium imprimat, neve vendat librum cui titulus eſt *Georgij Raguſeij Veneti Theologi, Medici, & Patauinæ Scholæ Philoſophi Ordinarij Epiſtolarum Mathematicarum, ſeu de Diuinatione libri duo,* præter Nicolaum Buon Bibliopolã Pariſienſẽ: qui ſecus faxit, præter amiſſionem librorum, 600 librarum Turonenſ. pœna mulctabitur, vti latius patet in ipſo diplomate dato Pariſiis x. die Decemb. 1622. ſubſignato

HENNEQVIN.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by [illegible]